## Acerca de este libro

Esta es una copia digital de un libro que, durante generaciones, se ha conservado en las estanterías de una biblioteca, hasta que Google ha decidido escanearlo como parte de un proyecto que pretende que sea posible descubrir en línea libros de todo el mundo.

Ha sobrevivido tantos años como para que los derechos de autor hayan expirado y el libro pase a ser de dominio público. El que un libro sea de dominio público significa que nunca ha estado protegido por derechos de autor, o bien que el período legal de estos derechos ya ha expirado. Es posible que una misma obra sea de dominio público en unos países y, sin embargo, no lo sea en otros. Los libros de dominio público son nuestras puertas hacia el pasado, suponen un patrimonio histórico, cultural y de conocimientos que, a menudo, resulta difícil de descubrir.

Todas las anotaciones, marcas y otras señales en los márgenes que estén presentes en el volumen original aparecerán también en este archivo como testimonio del largo viaje que el libro ha recorrido desde el editor hasta la biblioteca y, finalmente, hasta usted.

## Normas de uso

Google se enorgullece de poder colaborar con distintas bibliotecas para digitalizar los materiales de dominio público a fin de hacerlos accesibles a todo el mundo. Los libros de dominio público son patrimonio de todos, nosotros somos sus humildes guardianes. No obstante, se trata de un trabajo caro. Por este motivo, y para poder ofrecer este recurso, hemos tomado medidas para evitar que se produzca un abuso por parte de terceros con fines comerciales, y hemos incluido restricciones técnicas sobre las solicitudes automatizadas.

Asimismo, le pedimos que:

+ *Haga un uso exclusivamente no comercial de estos archivos* Hemos diseñado la Búsqueda de libros de Google para el uso de particulares; como tal, le pedimos que utilice estos archivos con fines personales, y no comerciales.
+ *No envíe solicitudes automatizadas* Por favor, no envíe solicitudes automatizadas de ningún tipo al sistema de Google. Si está llevando a cabo una investigación sobre traducción automática, reconocimiento óptico de caracteres u otros campos para los que resulte útil disfrutar de acceso a una gran cantidad de texto, por favor, envíenos un mensaje. Fomentamos el uso de materiales de dominio público con estos propósitos y seguro que podremos ayudarle.
+ *Conserve la atribución* La filigrana de Google que verá en todos los archivos es fundamental para informar a los usuarios sobre este proyecto y ayudarles a encontrar materiales adicionales en la Búsqueda de libros de Google. Por favor, no la elimine.
+ *Manténgase siempre dentro de la legalidad* Sea cual sea el uso que haga de estos materiales, recuerde que es responsable de asegurarse de que todo lo que hace es legal. No dé por sentado que, por el hecho de que una obra se considere de dominio público para los usuarios de los Estados Unidos, lo será también para los usuarios de otros países. La legislación sobre derechos de autor varía de un país a otro, y no podemos facilitar información sobre si está permitido un uso específico de algún libro. Por favor, no suponga que la aparición de un libro en nuestro programa significa que se puede utilizar de igual manera en todo el mundo. La responsabilidad ante la infracción de los derechos de autor puede ser muy grave.

## Acerca de la Búsqueda de libros de Google

El objetivo de Google consiste en organizar información procedente de todo el mundo y hacerla accesible y útil de forma universal. El programa de Búsqueda de libros de Google ayuda a los lectores a descubrir los libros de todo el mundo a la vez que ayuda a autores y editores a llegar a nuevas audiencias. Podrá realizar búsquedas en el texto completo de este libro en la web, en la página `http://books.google.com`

B-VIII-1

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Loÿsiana Bibl: ... acad. Lanf.

HENRICI KOEHLERI
PHILOSOPHIAE PROFESSORIS IN
ACADEMIA IENENSI

# IVRIS NATVRALIS
EIVSQVE
# CVMPRIMIS COGENTIS
METHODO SYSTEMATICA
PROPOSITI

## EXERCITATIONES VII.

CVM PRIVILEGIO REGIS POLON.
ET ELECT. SAXON.




FRANCOFVRTI AD MOENVM
APVD FRANCISCVM VARRENTRAPP.
MDCCXXXVIII.

Digitized by Google

Digitized by Google

VIRO
PRAENOBILISSIMO CONSVLTISSIMO
ATQVE PRVDENTISSIMO
DOMINO

IOANNI PETRO
RVPPEL,

IVRIS VTRIVSQVE DOCTORI,
SERENISSIMI PRINCIPIS
WALDECCENSIS
A
CONSILIIS AVLICIS,
NEC NON
REIPVBLICAE FRANCOFVRTENSIS
SENATORI GRAVISSIMO,
ELEGANTIORVM LITTERARVM
PROMOTORI,



Digitized by Google

PRAESENS
IVRIS NATVRALIS SYSTEMA,
FOETVM INGENII KOEHLERIANI
HOC EST SVMMI,
NVPER EHEV PATRE ORBATVM,
NOVO NVNC ORNATV
ET HABITV
IN SCENAM PRODVCTVM,
QVAM DILIGENTISSIME
COMMENDAT,
ET SVB
PATROCINIO
TANTI VIRI,
QVI
ET VERITATIBVS HEIC TRADITIS,

Digitized by Google

ET

METHODO VBIQVE OBSERVATAE

IVSTVM STATVERE PRETIVM

DIDICIT,

EVM PRODIRE IVBET,

SIMVLQVE

POST VOTVM ARDENTISSIMVM,

VT DEVS

EVM AMPLIVS FELICITER VIVERE,

RES

MAGNI PRINCIPIS

ET PATRIAE

PRVDENTIA SINGVLARI IVVARE,

ET IVSTITIAE AEQVE AC PRVDENTIAE

FRVCTIBVS FRVI IVBEAT,



Digitized by Google

SE

SVOSQVE LABORES

PRO RE LITTERARIA QVALESCVNQVE

PVBLICA MENTIS DEDITISSIMAE

PROFESSIONE

EA

QVA DECET

REVERENTIA COMMENDAT.

FRANCISCVS VARRENTRAPP.

Digitized by Google

HENRICI KOEHLERI,
PHILOS. MAG. IN ACADEM.
IENENSI.

# EXERCITATIONES JURIS NATURALIS,

EIVSQVE CVMPRIMIS
COGENTIS.

METHODO SYSTEMATICA
PROPOSITI.

Digitized by Google

Digitized by Google

# DISSERTATIO PROLVSORIA.

*In allegatis numeri Romani §§. diſſertationis hujus, Arabici vero §§. Exercitationum denotant.*

§. I.

SVnt cauſæ ſat graves, ob quas mihi exponenda eſt ratio inſtituti, quod eo tendit, ut nexu concatenato *Juris naturalis, ejusdemque cumprimis externi* ſeu *cogentis diſciplinam* proponerem Generoſiſſimis atque Nobiliſſimis Dnn. Auditoribus meis, quibus placuit, intereſſe acroaſibus, doctrinis hiſce a me hactenus deſtinari ſolitis, & quorum conatus eximii mihi addiderunt ſtimulum naturali methodo adumbrandi ſyſtema, cui ſuperſtrui poſſit pars philoſophiæ practicæ nobiliſſima.

§. II. Per *jus naturale externum* ſeu *cogens* intelligo complexum earum LL. naturalium, ad quarum cuſtodiam alter alterum ex dictamine rationis cogere poteſt. Quæ notio haud abludit ab idea aliorum, illud jus per normam naturalem, cui examen & deciſio diſceptationum & controverſiarum attemperari debeat, definientium. Cui ſcopo conveniens eſt inſtitutum eorum, qui ſoliciti fuerunt de condendo ſyſtemate, in quo conſpicerentur regulæ, a quarum cuſtodia felicitas & tranquillitas hominum externa dependeat, ſeu, quod idem



Digitized by Google

eſt, quæ a neceſſaria generis humani conſervatione ſeparari non poſſint, & ex quibus adeo negotia pacis & belli dijudicari debeant.

*Scholion.* Hoc jus denominationem haut incongrue nanciſcitur *a foro externo*, ubi ad illud reflectitur, vel cum GVNDLINGIO a coactione, cujus cauſas juſtificas illud commonſtrat. Nec deſunt, qui eandem ſolam philoſophiæ practicæ partem, quæ easdem cauſas oſtendit, & quæ LL., in negotiis belli & pacis dijudicandis obſervandas, complectitur, *Juris Naturalis* nomine inſigniunt.

§. III. Ex idea juris N. externi perſpicuum eſt, quod ea præcipue officia rationis hic loci in cenſum veniant, quæ coactionem patiuntur.

§. IV. Disquirendum itaque eſt, quænam officia, quæ Deus ope naturæ & rationis (§. 359.) nobis injungit aliis exhibenda, extorſioni ſubſint, & quæ *officia neceſſitatis* ſeu *ſtricta* appellari ſolent.

§. V. Quicquid officii erga alios noſtræ ſortis concipimus, illud ex amore proxime intelligimus. Hinc & officia neceſſitatis: ſi quæ dentur, ex eodem fonte profluere manifeſtum eſt.

§. VI. Cum amor ſit coactionis impatiens (§. 691.); clarum eſt, officia, quatenus ex amore tantum derivantur, extorqueri non poſſe, ſeu extorſionem officiorum erga alios ex ſolo adverſus eos amore non concipi.

§. VII. Officia neceſſitatis, qua talia, ex ſolo amore erga alios derivari neſciunt (§. IV. VI.).

§. VIII. Alia proinde nobis via calcanda fuit, qua officia, de quibus nobis ſermo eſt, diſtincte cognoſcere, & ab aliis officiis, quæ coactionem neſciunt, curate diſtinguere nobis liceat.

§. IX. Amorem erga alios deduximus ex ſtudio alios perficiendi (§. 701.), ſeu ex obligatione dirigen-



Digitized by Google

di actiones noſtras in aliorum æque ac noſtras perfectiones (§. 699.). Hoc fieri poteſt vel non ſubtrahendo ſeu relinquendo aliis bona, quibus jamjam inſtructi ſunt, vel augendo eos bonis, quibus deſtituuntur. Tertium officiorum genus erga alios non concipimus.

§. X. Præpono, nos a natura, ejusque auctore ita factos eſſe, ut eo diſpiciamus, ne pereamus, neve miſere & calamitoſe vivamus (§. 665. 687.)

§. XI. Auferas homini facultatem extorquendi ab aliis officia prioris generis; des eidem copiam cogendi alios ad officia alterius generis ſibi exhibenda; utroque caſu pereundum hominibus, miſereve ſaltem & calamitoſe vivendum eſſet (§. 733. 735.), & ex conſequenti contra legem naturalem palmariam ageretur.

§. XII. Cum nulla alia officia erga alios ſuperſint (§. IX.); ſequitur, ut & nulla alia officia ejusdem generis extorſioni ſubſint, ſi ex ſententia nonnullorum ſtatum ordinarium & regularem ſpectaveris, qui diſtinguendus eſt a ſtatu extraordinario & maxime irregulari, ubi favor neceſſitatis locum habet, de quo egi in fine exercitationis quintæ.

§. XIII. Officia neceſſitatis ſunt, ad quæ ſibi præſtanda alter alterum cogere poteſt (§. IV.). Jam cum nobis a natura & nutu creatoris (§. 330.) detur copia cogendi alterum, ut nobis non detrahat bona, quibus jamjam inſtructi ſumus (§. IX.); officia neceſſitatis eo tendunt, ne quis alteri detrahat id boni cujuscunque, quo eum jamjam ornatum deprehendit.

§. XIV. Sic incidimus in notam characteriſticam, eamque perpetuam & determinatam (§. XII.) officiorum neceſſitatis, qua poſita eorum confuſio cum officiis heterogeneis evitari poſſit, quod in diſciplina juris externi maximi momenti eſt.

§. XV. Alterum genus officiorum erga alios eo redit,

 ut

ut eos augeamus iis bonis, quibus deſtituuntur (§. IX.), quod cum dependeat ab amore, quo alios complectimur (§. 689.); eadem *officia amoris & humanitatis* vocantur, a quibus accurate officia neceſſitatis diſcriminare poſſumus (§. XIV.), idque ob notam characteriſticam determinatam, quam adduximus.

§. XVI. Officia neceſſitatis eo tendunt, ne quis alteri detrahat id boni cujuscunque, quo eum jamjam ornatum deprehendit (§. XIII.). Complexum omnium bonorum, quibus aliquis inſtructus eſt, commode vocare poſſumus SVVM (§. 747.); officia ergo neceſſitatis eo tendunt, ut quis SVVM *cuique* tribuat, vel quod eodem redit, ut quis ab alieno abſtineat. Notio ALIENI ad notionem SVI facile formari poteſt. Hæc nova eſt notio determinata officii neceſſitatis, dummodo inhæreamus notioni τ8 SVVM, jam allatæ, id quod regulæ logicæ in concipiendo ſyſtemate requirunt.

§. XVII. Terminum SVI in hoc ſignificatu aſſumere eo minus dubitavi, quo magis cum hac voce eandem ideam copulaſſe videatur GROTIVS c. 17. §. 2. L. II. de J. B. P. cujus verba hæc ſunt; *Natura homini* SVVM *eſt vita, non quidem ad perdendum, ſed ad cuſtodiendum, corpus, membra, fama, honor, actiones propriæ; Dominio & pactis quomodo* SVVM *cuique ſit &c.* Conferri meretur B. VELTHEMIVS in introduct. ad Grotii J. B. & P. in nota ad hunc locum.

§. XVIII. Sic nactus ſum principium determinatum, unde doctrinas *Juris Naturæ* externi determinate derivare mihi licuit, & quod ad SVVM CVIQVE redit, quodquecum ABSTINENTIA ALIENI conſpirat (§. 754.), quam GROTIVS pro charactere juſtitiæ (externæ) videtur aſſumſiſſe, præcipue cum injuſtitiæ naturam non niſi in ALIENI VSVRPATIONE poſuerit §. 8. Proleg. de J. B. P.

§. XIX.

§. XIX. Hac ratione non difficile eſt determinatu, quæ ſit obligatio externa, quod jus perfectum, pro attributo perſonæ ſumtum, & quod illa non minus quam hoc ultra cuſtodiam τ8 SVVM cuique non ſit extendendum (§. 763. 778.).

§. XX. Nec minus inde perſpicuum eſt, quænam res ad *forum externum naturale* pertineant, diſcernendum *a foro interno & tribunali rationis*, quod illo latius patet. conf. §. 738.

§. XXI. Hoc pacto nobis licuit diſtincte ob oculos ponere juſtitiam externam ſeu expletricem, eamque ab juſtitia interna curate diſcriminare (§. 797. 798.)

§. XXII. Cum violatio officiorum neceſſitatis dici ſoleat & mereatur LÆSIO PERFECTA; hæc nihil aliud poteſt eſſe quam violatio τ8 SVVM cuique (§. XVI.) In quocunque caſu hujusmodi turbationem ejus, quod alterius eſt, non deprehendimus, ibi læſionis externæ nihil admitti poſſe conſtat.

§. XXIII. Idea determinata læſionis determinat etiam notionem *damni, proprie & ſtricte talis*, & in foro externo ſpectati, quod per malum ex læſione oriundum definivimus (§ 769.).

§. XXIV. Bona quæcunque, quibus inſtructi eſſe poſſunt homines, vel a natura, vel ab eorum facto, ſeu arte proficiſcuntur. Hinc diſtinguimus SVVM in CONNATVM & ACQVISITVM (§. XVI).

§. XXV. Ex hac diviſione dependet partitio *obligationis externæ* in *connatam & adventitiam*, nec minus diviſio juris *in connatum & quæſitum* (§. 1272.).

§. XXVI. Factum, unde ſubnaſcitur SVVM QVÆSITVM, poteſt eſſe occupatio rei nullius, nec minus pactum. Hinc datur SVVM QVÆSITVM OCCVPATORIVM. Datur & PACTITIVM, de quo inferius.

§. XXVII. Species SVI connati ſunt corpus, mem-

bra, & organa illius, unio animæ cum corpore, vita, virginitas, jura noſtra connata (§. 786.), vires, quibus natura nos dotavit, æqualitas & paritas in ſtatu naturali (§. 906.), libertas naturalis in eodem ſtatu (§. 944.) fama, & exiſtimatio ſimplex (§. 1050.), bonum jucundum, & quæ poſſint eſſe alia.

§. XXVIII. Unde ſponte incidimus in ſpecies violationis τȣ ſuum connatum & ex conſequenti in ſpecies læſionum, inde intelligendarum citra pactum aliquod prævium.

§. XXIX. Cum læſio ſit cauſſa belli juſtifica (§. 1092.) ſpecies læſionum, ad violationem ſui connati ſpectantium, nobis ſuppeditarunt ſpecies cauſſarum belli juſtificarum. conf. §§. 1199. 1201. 1204.

§. XXX. Doctrina læſionum & damnorum inde pendentium generalior in ſphæra juris Naturalis externi, eſt omnium maximi momenti. Quæ ratio eſt, cur eas à §. 945. usque ad §. 996. enucleatius tractaverim.

§. XXXI. Juxta notas de læſione & damno aſſumptas determinavi, quænam læſiones in foro externo culpoſæ doloſæve dici mereantur. conf. 947. usque ad §. 954.

§. XXXII. Dari læſiones, quæ nec culpoſæ nec doloſæ ſunt, & quæ adeo nec intellectum nec voluntatem lædentis præponunt, §. 959. demonſtravi. Unde concipere nobis licuit, actiones injuſtas ἀπὸ τȣ agere injuſte diſtinguendas eſſe.

§. XXXIII. Quibus caſibus ex uſu ejus, quod noſtrum eſt, oriantur læſiones, §. 965. ſeqq. tetigi.

§. XXXIV. Interceptionem ejus, ad quod alteri in ſtatu naturali nullum jus competit, damnum non eſſe in eodem ſtatu, § 977. condocet.

§ XXXV. Damnum, quod in conſequentiam venire

Gratio

Digitized by Google

*Grotio* dicitur eſſe damnum improprie tale, §. 985. commonſtravi.

§. XXXVI. Dari incrementum unius, ex quo ex accidenti & citra intentionem agentis oritur alterius decrementum, quod tamen pro damno habendum non eſt, ex §§. 978. 984. patebit.

§. XXXVII. Ab hiſce doctrinis de læſione generalioribus ad læſiones ſpeciales, easque ante pacta conſideratas, deſcendo.

§. XXXVIII. Officia de non contemnendis aliis exhibui §. 998. ſeqq. Agitur ibi de exiſtimatione, de infamia, ejusque inurendæ cauſſa juſtifica, eamque ab inſigni alterius improbitate & injuſtitia externa derivandam eſſe, §. 1034. oſtendi.

§. XXXIX. Quo caſu contemtus noſtri ſit læſio, §. 1026. quo ſecus §. 1018. condocui.

§. XL. Quæ ſuperbia pro læſione ſit habenda, §. 1031. indicavimus.

§. XLI. Violationem famæ eſſe læſionem, §. 1050., nec minus crudelem eſſe in ſeipſum, qui famam negligat, §. 1048. demonſtravi.

§. XLII. Doctrinam de jure ſermonis ante pacta, de falſiloquio & mendacio, de ſimulationibus, de reſervationibus, quas dicunt mentales, earumque moralitate egi §. 1060. ſeqq.

§. XLIII. Subjungo §. 1072. ſeqq. jus jucundi naturale, nec minus §. 1078. jus virginitatis connatum, virgini competens.

§. XLIV. De jure læſi in lædentem vel nos læſurum connato in ſtatu naturali & de obligatione connata lædentis ad reparandum damnum egi §. 1079. ſeqq. explicatius.

§. XLV. Solam læſionem & injuriam ut imminen-



Digitized by Google

tem certam, illatamve eſſe cauſſam belli juſtificam, §. 1092. demonſtravi.

§. XLVI. Diſtinguenda eſſe bella à latrociniis (§. 1093.), hoſtem à latrone (§. 1094.) nec minus ab inimico (§. 1105.) monſtravi.

§. XLVII. Conſectaria funeſta, quibus ſtipatur odium erga hoſtes vel inimicos §§. 1106. 1107. 1108. ὡς ἐν παρόδῳ repræſentavimus, inſimulque oſtendimus, ea nobismetipſis, odio ejusmodi flagrantibus, detrimentoſa eſſe.

§. XLVIII. Cum læſio ſit vel imminens, vel jamjam illata, ob priorem vero defenſio nobis competat; de jure defenſionis §. 1111. ſeqq. fuſius agitur.

§. XLIX. Ex jure defenſionis §. 1115. jus præventionis concipimus.

§. L. Cum §. 1116. demonſtraverimus, remedia violenta in defenſione ſuſcipienda proportionata eſſe debere propulſationi periculorum, in quæ defenſor conjectum ſe deprehendit; eadem remedia comparanda non eſſe cum remediis, quibus utitur aggreſſor, nec mala, defenſori metuenda, cum malis, ad quæ invaſori inferenda defenſor cogitur (§. 1117. 1118.)

§. LI. Cur defenſio ſit diſtinguenda a reparatione damni & ſatisfactione, §. 1121. docuimus.

§. LII. Media in pace de bello, tanquam illius conſervandæ remedio, & medio in bello de pace reconcilianda, tanquam fine, cogitandum eſſe, §. 1129. oſtendimus.

§. LIII. Quo pacto ex defenſore aggreſſor, ex læſo lædens fieri poſſit, §. 1130. ſeqq. demonſtravimus.

§. LIV. Adjutor hoſtis noſtri quo caſu reputandus ſit pro hoſte, & quando ex auxiliis, quæ feruntur hoſti, oriantur læſiones & cauſſæ belli juſtificæ, de hoc egimus §. 1134 ſeqq.

§. LV.

§. LV. Ad terminos defenſionis §. 1143. delabor, & quo caſu defenſor in transgreſſione limitum defenſionis ad infirmitatem humanam provocare poſſit, §. 1151. indicatur.

§. LVI. Remedia proportionata, quibus defenſor, qua talis, vel læſus in reparatione damni extorquenda uti poſſit, eſſe diſcriminanda à remediis, quorum uſum nobis ſuadent prudentia & juſtitia interna ante exiſtentiam articuli defenſionis vel poſt damni alicujus perpeſſionem; §. 1162. ſubmonui.

§. LVII. Indigitavi §. 1163. 1164. læſiones, ad quas perferendas in foro nec interno, nec externo obligamur.

§. LVIII., Veram prudentiam politicam, quæ ad utilitatem noſtram externam in commercio humano promovendam contendit (§. 1170.), non niſi utile verum & durabile ſectari, §. 1175. demonſtravi.

§. LIX. Licet in foro externo gaudeamus jure poſtulandi damni vel levioris reparationem vel refrænandi nos læſurum ab illius illatione; regulæ tamen prudentiæ nos ſæpius commonent, ut remittamus jus noſtrum (§. 1178.), & læſiones non ſolum levioris, ſed & quandoque majoris momenti perpetiamur (§. 1179.).

§. LX. Juſtus, interne talis, ſollicitus eſt, de excogitandis remediis, quibus abſque detrimento inimicis inferendo, eos impedire poſſit, quo minus illi læſiones in actum mittere valeant (§. 1183.). Nec minus idem juſtus non permittit, ut inimici prætextum ei nocendi, quem tecte quærunt, nanciſcantur, (§. 1185.)

§. LXI. Quod prudentia politica vera exigit, id diſtinguendum eſt ab iis, quæ bracteata politica ſuggerit (§. 1184. 1186. 1187.).

§. LXII. De moderamine inculpatæ tutelæ §. 1191., de fuga ac regreſſu invaſi §. 1198. loquor. Quid ſentien-

Digitized by Google

tiendum ſit de paritate armorum, §. 1194. decidimus, & cur integritas membrorum corporis cum internecione alterius defendi poſſit, §. 1195. evicimus.

§. LXIII. Virgini, aliisque fœminis competere jus defenſionis cruentæ ad congreſſum venereum violentum impediendum, §. 1199. commonſtravimus.

§. LXIV. Modos reparandi damna ſubindicavi §. 1210. ſeqq.

§. LXV. Jus vel potius favorem neceſſitatis (*das Nothrecht*) §. 1218. definivimus.

§. LXVI. Diſcrimen ſtatus moralis regularis ab irregulari & extraordinario §. 1221. determinavimus.

§. LXVII. Favorem neceſſitatis non niſi in caſu extremæ neceſſitatis habere, §. 1225. docuimus.

§. LXVIII. Licet jus neceſſitatis detur contra eos, qui nos nec lædunt, nec lædere conniruntur (§. 1227.), neque illud adeo jus belli dici mereatur, (§. 1228.), nec ei, qui cum extremo periculo pereundi conflictatur, culpa vel dolus tribui poſſit (§. 1230.); contra ejusmodi tamen homines nobis competere jus defenſionis, §. 1223. demonſtravi.

§. LXIX. Caſus neceſſitatis effecerunt, ut homines ad *rationem ſtatus* provocare ſoleant; notionem illius latius, ſtrictiusve ſumtæ §. 1238. ſeq. evolvi.

§. LXX. A jure connato progreſſus ſum in exercitatione ſexta & ſeptima ad jus quæſitum, quod ſubnaſci ſolet ex factis humanis, quorſum referendæ ſunt pactiones.

§. LXXI. Cum læſio ſit violatio τῦ SVVM CVIQVE (XXII.), indagandum mihi fuit, an violetur id, quod alterius eſt, ſi quis pactis ſtare nolit. Quod ſi fieri poſſit, violationem pactorum læſionibus annumerari fas erit.

§. LXXII. Auxilia, quæ alii ab aliis expectare poſſint,

Digitized by Google

ſint, dedere occaſionem promiſſionibus (§. 1250.), in auxilio vero, quod nobis ab aliis fertur, ex alieno fit noſtrum (§. 1252.); promittentes itaque eo tendunt, ut ex ſuo fiat alienum.

§. LXXIII. Sed quæritur, quænam ad promiſſum concurrere debeant, ex quibus intelligere nobis detur ejus validitatem. Ad quam requiri conſenſum alterius ſeu acceptationem ejus, cui fit promiſſum, demonſtravi §. 1275. Sed cum *pactum* ſit promiſſum acceptatum ab altero; validitas promiſſi exigit pactum. Quam propoſitionem deprehendes in §. 1286.

§. LXXIV. Equidem cum promiſſiones & conſequenter pacta ad auxilia, aliis ferenda contendant (§. LXXII.); iis caſibus, ubi ad auxilii lationem obligamur, etiam promiſſa, adeoque & pacta ſunt valida h. e. effectui danda, præcipue cum ante pacta ad opem alteri ferendam obſtringaris. Sed cum auxilii latio ſit officium amoris (§. 740.) extorſionis impatiens (§. 691.); hactenus non niſi obligationem internam ſervandi pactum concipimus (§. 737.).

§. LXXV. Quæritur itaque, undenam perſpiciamus obligationem pactorum externam & perfectam?

§. LXXVI. Condocet §. 1302., promittentem velle, ut τὸ Suum actu fiat alienum, & ex §. 1303. patet, acceptantem promiſſum etiam velle, ut alienum actu fiat ſuum. Vnde clarum eſt, quod uterque paciſcentium velint, ut, quod partis unius eſt, actu fiat alterius (§. 1304.).

§. LXXVII. Sed nova vice quæritur, quandonam intentio ſeu voluntas efficax paciſcentium nanciſci poſſit effectum. Scimus, quod illa ad actus externos prorumpat, niſi impediatur (§. 508.). Impedimentum hic loci eſt id, in quo deprehenditur ratio, cur finis paciſcentium in actum mitti non poſſit (§. 515.) Sed

ratio

ratio ejuſmodi continetur in rebus vel abſolute, vel naturaliter, vel moraliter impoſſibilibus (§. 39. 307. 483.). Triplex igitur concipimus impedimentum in noſtro argumento. De impedimentis primi & ſecundi generis non erit, cur loquamur, cum fines in ſe contradictorii, noſtrasve vires ſuperantes exiſtentiam reſpuant, adeoque efficiant, ut & promittentes & acceptantes habeantur pro ſtultis & abſentibus (§. 1334.). Reſtant igitur impedimenta ultimi generis, quæ moralia audiunt, & quæ ex promiſſione rerum moraliter impoſſibilium, cooriuntur.

§. LXXVIII. Promiſſiones rerum moraliter impoſſibilium ſunt actiones legibus repugnantes (§. 483.), adeoque & injuſtæ (§. 412.), idque in foro externo, ſi illæ juri externo naturali, h. e. τω ſuum cuique (§. XVIII.) contradicant. Tollas & ejuſmodi impedimentum morale, h. e. ponas, pactioni non obſtare ejuſdem injuſtitiam; intentio paciſcentium, hoc eſt, mutatio τϰ ſuum in alienum (§ LXXVI.), actum indipiſcitur. Si pactis non obſtet injuſtitia, ea juſta ſunt; ex pactis itaque juſtis concipimus rationem ſufficientem mutationis actualis τϰ ſuum in alienum. Pactis ergo juſtis alienum actu mutatur in *noſtrum*, quod *conventionale ſeu pactitium* eſt (§. XXVI.). Qui proinde pacta juſta violat, violat τὸ ſuum cuique.

§. LXXIX. Violatio τϰ ſuum eſt læſio (§. XXII.). Violatio pacti juſti eſt violatio τϰ ſuum cuique (§. LXXVIII.). Violatio ergo pacti juſti eſt læſio. Quam propoſitionem quæſivimus (§. LXXI.), & §. 1311. Exerc. adduximus.

§. LXXX. Officium neceſſitatis eo tendit, ne SVVM CVIQVE violemus (§. XVI.). Qui violat pacta juſta, is violat τὸ ſuum cuique (§. LXXVIII.); officia ergo neceſ-

Digitized by Google

neceſſitatis eo tendunt, ne violemus pacta juſta. Enim vero officium neceſſitatis ſeu ſtricte dictum dicitur etiam obligatió externa & plena (§. XIX.), pacta juſta obligationem externam & conſequenter jus perfectum producunt conf. §. 1324. 1328. 1329. 1330.

§. LXXXI. Hac ratione etiam concipimus, quomodo officium amoris ſeu indebitum, per pacta juſta abeat in officium debitum (§ LXXIV.). conf. §. 1325. 1326.

§. LXXXII. Quibus demonſtratis ad doctrinas, quæ huc ſpectant, ſpecialiores progredior, quarum non niſi palmarias hic commemorare licet.

§. LXXXIII. Solo conſenſu noſtro pactitio, eodemque juſto, τὸ noſtrum & conſequenter jura noſtra transferri in alios, §. 1349. 1350. evici. Hæc propoſitio eſt maximi momenti in concipiendis aliis doctrinis arduis.

§. LXXXIV. Cum §. 1347. egerim de conſenſu expreſſo & tacito, quæraturque utrum aliquis, qui ſciens & non impeditus contra alterius actum, in ſui præjudicium tendentem, non proteſtatus eſt, in ſuſceptionem illius actus tacite conſenſerit. Demonſtravi hoc aſſertum ex natura noſtra §. 1363. Quæ propoſitio in indaganda præſcriptione gentium inſignis utilitatis eſt.

§. LXXXV. Vtrum dolus, error & metus pactis officiat: de primo §. 1380., de altero §. 1387. ſeqq., & de ultimo §. 1393. ſeqq. egi.

§. LXXXVI. Doctrinam generalem de diligentia debita & de culpis §. 1402. propoſui, quatenus ea in pactis occurrere poſſit. Culpam latam cur dolo æquiparari poſſit, §. 1413. demonſtravi.

§. LXXXVII. Nota eſt regula juris: Id quod noſtrum eſt, non niſi facto noſtro, in alterum transfertur.

Digitized by Google

fertur. Quæ cum in negotiis hominum, in ſtatu naturali viventium, momentoſa ſit, eam §. 1429. evici.

§. LXXXVIII. Hominibus, diverſæ religioni addictis, immo & infidelibus pacta eſſe ſervanda, §. 1436. demonſtravi.

§. LXXXIX. Tractationem de jure pactitio excipit doctrinade jurejurando, præcipue cum omnia juramenta non niſi promiſſoria ſint. conf. §. 1457.

§. XC. Cum homines ad jusjurandum eo religioſius ſervandum commoveantur, ſi de pœnis divinis arbitrariis ſatis convicti ſint, & ſi ſciant, in ſyſtemate divino nullam actionem irremuneratam impunitamve manere; §. 1450. demonſtrationem illarum pœnarum tangere volui.

§. XCI. In exercitatione VII. tranſeo ad jus dominiorum. Præpoſitis notionibus de rebus communibus, nobis propriis & alienis, §. 1484. ideam dominii formo, & ejus introductionem ad conſervandam generis humani felicitatem apprime, idque hypothetice neceſſariam fuiſſe, §. 1490 evinco.

§. XCII. Modum acquirendi dominium originarium eſſe occupationem, §. 1506. oſtendi, unde ad novam ſpeciem ſui quæſiti, quod occupatitium differentiæ gratia vocamus, incidimus. conf. §. 1508.

§. XCIII. *Titulum* eſſe cauſſam acquirendi dominium remotam ſeu cauſſam juris, *modum vero acquirendi dominium* eſſe cauſſam nanciſcendi proprietatem rerum proximam ſeu cauſſam facti, §§. 1509. 1510. 1511. diſtincte evolvi.

§. XCIV. Feram, non niſi vulneratam, captam nondum eſſe, ſi ſtatum naturalem ſpectaveris; §. 1513. condocuimus.

§. XCV.

Digitized by Google

§. XCV. De rebus abjectis §. 1519. de fœtura animalium §. 1521. de alluvione §. 1522. de adjectione terræ cum coalitione conjuncta §. 1523. de theſauro §. 1524. de rebus inventis §. 1529. ſeq. egimus.

§. XCVI. Ideam alienationis rerum noſtrarum §. 1534. evolvi. Cauſſas, quibus homines ad rerum ſuarum dominia transferenda commoti ſunt, ſtrictim tetigi §. 1536.

§. XCVII. Modum acquirendi dominia derivativum in ſolis pactis juſtis contineri, §. 1538. demonſtravi.

§. XCVIII. Diviſionem juris proprietatis ad prima principia revocavi, & ideas domini utilis & directi; nec minus proprietarii, uſufructuarii & uſuarii §. 1549. ſeqq. exhibui.

§. XCIX. Dominum utilem cum domino directo manere in nexu, §. 1559. commonſtravi. Id quod etiam de uſuario, uſufructuario, & proprietario aſſerui §. 1557. Ejusmodi nexum, ex diviſione jurium in partes oriundum, § 1560. generaliter demonſtro, & ad reſp. mixtas, nec non ad dyarchias, triarchias illuſtrationis gratia provoco.

§. C. Cum ſæpius fiat, immo fieri debeat, ut res externæ unius cum uſu virium alterius ſeu cum operis, & operæ cum operis commutentur; analogiam, quæ rebus externis, cum uſu virium noſtrarum intercedit, commonſtravi, atque inde oſtendi, quæ de rebus externis, in dominio noſtro exiſtentibus concipiuntur, ea etiam ad operas & labores applicanda eſſe, quantum id quidem permiſerit analogia. conf. §. 1568.

§. CI. Vnde intelligitur, debilitationem virium alterius & turbationem ac circumſcriptionem liberi earum uſus, cum damno noſtro, proprie tali, non copulati, læſionibus perfectis recte annumerari (§. 1569.).

§. CII. Hoc in argumento ſuffecerit attendiſſe ad notionem ſui, §. XVI. adductum, & quæ ad vires noſtras earumque uſum & ex conſequenti ad labores & operas



Digitized by Google

noſtras applicanda venit. Cum violatio τῦ ſuum cuique ſit læſio perfecta (§. XXII.), concluſio, §. CI. prolata, intellectu facilis erit. Mihi liberum non fuit deſerere notionem Sui, cum de formando ſyſtemate Iuris Naturalis externi ſollicitus fuerim, conf. §. XVIII.

§. CIII. Uti dominia rerum alienationi earum, atque hæc earum commutationi occaſionem præbuere (§. 1575.); ita commutatio rerum operarumque pepererunt earum pretia, (§. 1583. 1584.), quæ ex illarum utilitate, nobis ſingulariter ex illis percipienda, & raritate, tanquam concauſſis, derivo §. 1573.

§. CIV. Domino vindicavi jus pretium rei ſuæ commutandæ cum aliis rebus ex arbitrio determinandi (§. 1588. 1589), ſi forum externum, idque naturale, ſpectaveris, licet dominus in æſtimandis rebus coram tribunali rationis tueri ſe ſæpius non poſſit.

§. CV. Pretium non rebus ipſis ineſſe, ſed ab impoſitione hominum, quæ non niſi imaginaria eſſe poteſt, dependere, §. 1601. indicavi. Nec minus §. 1603. commonſtravi, illud idem eſſe non niſi fictionem.

§. CVI. Incommoda & difficultates, quibus permutationes rerum & pretium earum vulgare premuntur, ſtrictim repræſentavi §. 1604. & inde ad occaſionem pretii eminentis §. 1605. progreſſus ſum.

§. CVII. Tandem inveſtigo, utrum & ſub qua hypotheſi præſcriptiones inter gentes liberas locum habere poſſint, & utrum occupatio bellica ſit modus acquirendi dominium rerum hoſtilium.

§. CVIII. Hæc ſufficiant protuliſſe in medium, quantum id quidem idea proluſoria de Iure Naturali externo hominum ſingularium permiſerit.

§. CIX. Cum in noſtra diſciplina ſtatus naturalis ſit probe diſtinguendus a ſtatu civili; priorem adumbravi in Exercitatione V. §. 888. ſeqq. Hominibus, in ejusmodi ſtatu

Digitized by Google

ſtatu viventibus, quales gentes liberæ ſunt, jus æqualitatis ſeu paritatis ratione τῆς προεδρίας non minus quam imperii (§. 906.), æqualitatem jurium & obligationum (§. 904.), libertatem externam, quam alias naturalem vocant, eandemque ſummam (§. 916.). vindicavi.

§. CX. Statum naturalem non eſſe ſtatum licentiæ, §. 921. condocui. Nec minus §. 941. demonſtravi, eundem non niſi contingenter eſſe ſtatum belli. Nihilominus tamen, cur non omnes homines vivere poſſint in ejusmodi ſtatu, & cur in imperiis ſummorum principum nobis veneranda ſit providentia ſummi NVMINIS, illud §. 942. adnotavi.

§. CXI. Hæc ſunt, B. L. quæ viſa mihi ſunt præmonenda de tractatione Iuris Naturalis externi, cujus ad ſocietates applicationem, ſub auſpiciis divinis adumbrandam, jam meditor.

§. CXII. Sed jam reſtat, ut & paucis exponam cauſſas, quibus adductus ſum, ut doctrinas, quæ in primis exercitationibus continentur, præmitterem.

§. CXIII. Ius Naturale externum continet officia erga alios neceſſitatis, quorum ad cuſtodiam alter alterum cogere poteſt (§. II. III. IV.), quæque ſunt infimi generis, ſi ſphæram moralem ſpectaveris, & quæ probe diſtinguenda ſunt ab officiis honeſtatis & amoris.

§. CXIV. Hæc ratio fuit, ut exponerem, quæ amor erga alios expoſcat, ſi ductum rationis ſequi velimus. Feci hoc à §. 699. uſque ad §. 746.

§. CXV. Doctrinam de auxilio, aliis ferendo, §. 720. ſeqq. propoſui, ut examinare potuerim, an illud in foro externo extorſionem patiatur. Sententiam negantem demonſtravi §. 766. qua, tanquam præmiſſa, in explanandis aliis materiis, ad jus externum ſpectantibus, uſus ſum; id quod ex doctrina de pactis præcipue perſpicuum eſt (§. LXXII.).



Digitized by Google

§. CXVI. Eum, qui auxilium fertur, & adjutorem repræſentare unicam perſonam, & utriusque vires pro unica vi habendas eſſe, evici §. 725. 726. Quam propoſitionem commode applicare potui ad auxilia, quæ hoſti feruntur, & quæ efficiunt, ut & auxiliatores ejusmodi pro hoſtibus jure reputentur. Conf. §. LIV.

§. CXVII. Ob arctiſſimam copulam, quæ officiis erga alios intercedit cum officiis, nobismetipſis præſtandis, de poſterioribus egi §. 621. ſeqq., quantum id quidem inſtitui noſtri ratio permiſerit. Principinm officiorum, nobis debitorum abſolvitur hac propoſitione: DIRIGE ACTIONES IN TVAS PERFECTIONES (§. 340.).

§. CXVIII. Ad quam regulam obſervandam nos obligari a natura, patet ex §. 340.

§. CXIX. Sed cum ſtudium nos perficiendi ſit conjunctum cum ſtudio perficiendi alios (§. 699.); natura etiam obligamur ad adimplendam hanc regulam: PERFICIAS ALIOS HOMINES.

§. CXX. Obligationem hanc, quam ex contemplatione naturæ cognoſcimus, eſſe divinam, §. 330. 825. 830. demonſtravimus.

§. CXXI. Cum regnla, cui actiones liberas attemperare obligamur, dicatur lex (§. 345.); utramque regulam eſſe legem naturalem, inſimulque divinam (§. cxx.), clariſſimum eſt. Id quod etiam intelligendum eſt de illis regulis, quæ nexn concatenato inde derivantur.

§. CXXII. Hac ratione nanciſcimur duas methodos inveſtigandi leges naturales, quarum prior ex conſideratione naturæ, altera vero ex perfectionibus divinis easdem nobis ob oculos ponit. Id quod indicavi §§. 286. 287. 289.

§. CXXIII. Cum altera methodus eo tendat, ut obligationem cuſtodiendi leges naturales ex voluntate divina eliciamus, demonſtravi §. 823., cuſtodiam legum naturalium copulatam eſſe cum illuſtratione gloriæ divinæ, cui ut attemperemus actiones noſtras, voluit OPTIMVM illud NVMEN (§. 816.).

§. CXXIV.

§. CXXIV. Cuſtodiam juris Naturalis & gentium eſſe copulatam cum illuſtratione gloriæ divinæ, illi perpendant, qui arbitrantur, ob religionis, quam profitentur, amplificationem violari poſſe pacta, cum gente, quæ ſacra diverſa ſectatur, inita. Quo facto ſententiam ſuam, tranquillitati & felicitati generis humani, cujus illi pars ſunt, inimiciſſimam eſſe cognoſcent, ſi conſectaria funeſta, inde oriunda, curate ſpectaverint, cum ob æqualitatem jurium & obligationum (§. 904.) gentibus diverſæ religionis non minus tribuere debeant jus conculcandi pacta, & jura Gentium ob religionis, quam profitentur, propagationem.

§. CXXV. Sed & cum eadem ſententia ex ipſa theologia naturali refutetur, inſignem hujus uſum in robore, juri Gentium vindicando, perſpicimus.

§. CXXVI. Priorem, quam §. CXXII. indigitavimus, methodum tractandi jura naturalia, qui improbaverit, is mecum etiam atque etiam conſideret, Romanis, Græcis, Scythis aliisque gentibus, de Deo ejusque voluntate alias minus recte ſentientibus, nota fuiſſe jura Gentium æque ac matheſios theoremata; is expendat, unde Q. Curtius noverit diſcrimen inter hoſtes & latrones, quibus Alexandrum in concione, quam Scytharum legatis tribuit, annumerat, nec minus differentiam hoſtis ab inimico, ad quam Sogdiani in loco, §. 1105. citato, dicuntur reflexiſſe. Quæ vel ſola differentia præponit, Curtium non niſi læſionem pro cauſſa belli juſtifica habuiſſe, id quod cognitionem aliarum veritatum præſtruit. Hæc & innumera alia juris naturalis dictamina, nec ex cultu idolorum, qui erat proxime erroneus, nec ex theologia naturali, quam non ſatis introſpexerunt, ſed ex natura, ope rationis, ejusque analogi, h. e. auxilio experientiæ (§. 356. 357.) ſibi aliisque innotuere.

§. CXXVII. Cum cuſtodia legum naturalium copulata eſt illuſtratio gloriæ divinæ (§. 823.). Enim vero cuſtodia legum naturalium complectitur cultum officiorum naturalium erga nos & erga alios; idem cultus officiorum, nobis



Digitized by Google

atque aliis præſtandorum, conjunctus eſt cum illuſtratione gloriæ divinæ. Illuſtratio gloriæ divinæ eſt principium officiorum erga Deum. Cultus erga officiorum erga Deum eſt copulatus cum cuſtodia officiorum erga nos & alios.

§. CXXVIII. Virtus attemperandi actiones ſuas gloriæ divinæ dicitur *pietas*. Concipimus ergo nexum, qui intercedit *Pio naturali* cum officiis erga nos & alios. De pio naturali egi §. 838. ſeqq., ut diſcrimen & gradationem officiorum naturalium adumbrare potuerim.

§. CXXIX. Gloriæ divinæ illuſtrationem & conſequenter adimpletionem officiorum, Deo exhibendorum, copulatam eſſe cum amplificatione felicitatis noſtræ aliorumque §. 828. demonſtravi. Unde facile erit ad intelligendum, DEVM etiam tanquam parentem benigniſſimum in ejus legislatione nobis eſſe venerandum, id quod B. Thomaſius graviter inculcavit. Hac ratione ſummum NVMEN a deſpodiſmo liberatur, cum gloria, quam tyrannus ſtolide ſectatur, cum infelicitate eorum, quibus imperat, copulata ſit.

§. CXXX. Doctrinas de eo, quod decet, ſeu quod pulchrnm eſt in actionibus humanis §. 854. ſeqq. & de eo, quod licitum eſt in foro externo §. 861. ſeqq. propoſui. Non omne, quod licet, decere, §. 867. explanavi.

§. CXXXI. Doctrina de exceptionibus, ex colliſione legum & inde deſcendentium officiorum oriundis, eſt maximi momenti in ſphæra morali. Quam in principio Exercitationis IV. exhibui.

§. CXXXII. Cum in tota ſphæra morali doctrina de obligatione & imputatione ſit maximi momenti, eam in Exercitatione II. & III. fuſius expoſui.

§. CXXXIII. Applicationem legis ad facta in doctrina de imputatione præcipue attendendam eſſe § 381. commonſtravi.

§. CXXXIV. Judicium collectivum latum de moralitate actionum, de earum merito vel demerito, ad imputationem moralem referendum eſſe, §. 414. 423. ſubindicavi.

§. CXXXV. Dari quantitates morales, §. 432. evici.

Jurispru-

Digitized by Google

Jurisprudenti competere, facultatem commenſurandi moralitatem, merita & demerita actionum, §. 437. commonſtravi.

§. CXXXVI. Doctrinam de voluntate efficaci & ſimplici propono §. 508. Eadem voluntas ſeu propoſitum agendi copulatum eſt cum fine, exiſtentiæ reddendo, cum uſu remediorum (§. 513.), cum remotione impedimentorum (§. 518.), nec minus cum expectatione & ſuſcitatione occaſionis (§. 528.). Et cum leges in eis, quibus eæ præſcriptæ ſunt, requirant voluntatem efficacem, eis convenienter vivendi (§. 539.), eædem etiam nos obligant ad ea, quæ cum voluntate efficaci connexa ſunt.

§. CXXXVII. Quid ſit diligentia debita in genere, quid culpa, quid proæreſis ſtricte dicta ſeu dolus, §. 586. 587. adnotavi.

§. CXXXVIII. *Actionis*, cujus exiſtentia vel non exiſtentia ad noſtram voluntatem efficacem referri debet, *autores vel cauſſa* dicimur (§. 567.).

§. CXXXIX. Actiones impntabiles etiam illas eſſe, quarum autores ſumus, §. 569. demonſtravimus.

§. CXL. Actionum culpoſarum, quarum autores nos eſſe §. 568. evici, imputabilitatem demonſtrativa ratione aſſerui §. 569.

§. CXLI. Voluntas efficax, ad legum cuſtodiam relata, eſt cauſa & fons imputabilitatis (§. 572.). Unde imputabilitatem conatus, hujusque crimen deduxi (§. 586.).

§. CXLII. Actiones metu coactas eſſe voluntarias & imputabiles, §. 580. ſeq. plus una vice demonſtravi. Quo ſignificatu voluntas coacta etiam voluntas dici mereatur, ex §. 583, patebit.

§. CXLIII. Cur effectus, ex noſtris actionibus oriundi nobis imputari poſſint, §. 593. 594. condocui.

§. CXLIV. Et ne deeſſent mihi principia demonſtrandi, in prima exercitatione proprietates animæ noſtræ recenſui, interſperſis hinc inde aliis veritatibus, quibus in concionando & explicando ſyſtemate carere non potui.

§. CXLV.

Digitized by Google

§. CXLV. Nullam notionem, nec ullam propoſitionem in prima exercitatione deprehendimus, cujus uſum in progreſſu ſyſtematis non experti ſumus, id quod ex citationibus patebit.

§. CXLVI. In fine ejusdem exercitationis ideam de natura evolvi, ut terminos, quos requirit jurisprudentia naturalis, eo religioſius cuſtodirem.

§. CXLVII. Quid ſit naturale in genere, quid naturale corpori vel animæ; quid vivere convenienter naturæ, plus ſimplici vice explicare mihi licuit. De primis naturæ homini cum brutis communibus & de primis naturæ homini propriis, §. 281. 282. egimus.

§. CXLVIII. Quæ in hac diſſertatione præliminari via analytica propoſui, ea mihi proponenda judicavi methodo ſynthetica, quæ quippe prælectionibus academicis mihi videtur accommodatior, cum illa a ſimplicioribus & facilioribus ad magis compoſita progrediatur.

§. CXLIX. Antequam huic proluſioni finem impono, juſtum eſt, ut commemorem nomina Virorum Juvenum Generoſiſſimorum & Nobiliſſimorum, ad verumque doctrinæ ac vitæ decus feliciter contendentium, qui priores quinque harum exercitationum in cathedra publica me comite defenderunt. Elegit

primam de natura humana morali

DN. MART. WANCKHEL DE SEEBERG, Eq. Tranſilvanus,

alteram de obligatione & lege naturali

DN. CAROL. ALEXAND. DE KVNSBERG, Eq. Franconicus,

tertiam de Imputatione

DN. JOH. JVSTINVS SCHIERSCHMIDIVS, Gothanus,

quartam de officiorum naturalium diſcrimine

DN. WOLFFIVS ABRAHAMVS GERHARDVS, Lign. Sileſius,

quintam

Digitized by Google

quintam de jure læſi in lædentem connato
DN. HERMANNVS ADOLPHVS LE FEVRE, Lubecenſis,

§. CL. Cum in ſeculo, ubi ſcientias inſigniter promotas deprehendimus, utendum nobis ſit ingeniis auxiliatricibus; fateor ingenue, me cum voluptate inſigni profeciſſe ex monumentis virorum celeberrimorum, id quod vel ex citationibus, hinc inde obviis, patebit. Neminem offendi; nemini bellum indixi; non niſi eos, quibuscum vi ſyſtematis, quod de Jure naturali externo formo, conſentire mihi licuit, allegavi, amicus omnibus, inimicus nemini. Apprime attentus ero ad dubia, a viris cordatis & formandi ſyſtematis intelligentibus mecum benevole communicata, nec me, meliora edoctum, flecti neſcium eſſe, ipſo opere demonſtrabo, ſola mihi reſervando jura, quæ ex defenſione ſyſtematis cooriuntur. Valeas, Lector Benevole, meque, qui Te colit & veneratur, favore tuo digneris. Dabam Jenæ ad d. XIV. Octobris, A O. R. MDCCXXIX.

Hæc ante triennium. Libellum in eo recudendo recognovi, de ſi eoque emendando ſollicitus fui. Et cum in prælectionibus doctrinas, id quidem opus fuerit, ex principiis ſyſtematis magis determinare, in formandis demonſtrationibus nonnullas propoſitiones intermedias eisdem hinc inde intertexere, & varias notiones, conſectaria, aliaque, quæ ad illuſtrandas materias faciunt, interſpergere hactenus conſueverim; illas determinationes & propoſitiones intermedias, nec non eas definitiones & corollaria in altera hac editione eum præcipue in finem ſuperaddere volui, ut ne impoſterum nimium temporis dictandis inſumere debeam, utque aliis, quibus placuerit inſpicere haſque qualescunque meditationes, magis pateſcat mens mea. Nec deſunt theſes, quarum demonſtrationes auxi aliis, quippe quas incluſi ſcholiis, ut haſce ab illis facilius ſepararem. Uſus ſum ſæpius vocabulo ſcholii, ut ad doctrinas, ſyſtemati jam intertextas, in citationibus commode provocare potuerim;



Digitized by Google

In elaborando jure Gentium, cujus quintum ſpecimen typis jamjam impreſſum eſt, non ſine inſigni voluptate expertus ſum fœcunditatem principiorum, quæ arripuiſſe eo minus me pœnitet, quo magis eorum conſenſum cum meditatis virorum, quorum merita encomio meo majora ſunt, & quos hinc inde allegavi, obſervare mihi licuit. Indicem adjeci ſat locupletem, ſi ſpectes doctrinas diſciplinæ noſtræ domeſticas. Nihil reſtat, niſi ut TE, B. L. meque & meos conatus qualesquales providentiæ SVMMI NVMINIS, qni fons eſt LL. naturalium & felicitatis noſtræ duraturæ, atdenter commendem. Jenæ ad d. XIX. Sept. A. R. S.

MDCC XXXII.

Digitized by Google

*Q. D. B. V.*

# EXERCITATIO I.

## DE
## NATVRA HVMANA MORALI.

§. 1.

HOmo conſtat ex anima & corpore. Inter has duas ſubſtantias deprehendimus arctiſſimam unionem, quam nonnulli ex influxu phyſico, ex aſſiſtentia divina alii, ex harmonia præſtabilita alii derivare ſolent. Diſciplina, de qua delineanda ſolliciti ſumus, doctrinas controverſas, minimum dubias, omnes reſpuit. Quam ob cauſam ſine neceſſitate animum noſtrum faceremus dubium, ſi ulli horum ſyſtematum jus Naturæ & Gentium, palmariam philoſophiæ practicæ partem, ſuperſtruere velimus.

§. 2. Et corporis & animæ & utriusque unionis rationem in contemplatione naturæ humanæ habendam eſſe ex §. 1. patet.

§. 3. Corpus præditum eſſe natura diverſa a natura animæ, notum fiet inferius.

§. 4. Natura itaque humana duabus naturis diſtinctis, iisque unitis conſtat. (§§. 1. & 3.).



Digitized by Google

§. 5. Methodus ſynthetica, quam ob majorem facilitatem analyticæ jam præferendam exiſtimo, requirit, ut a ſimpliciſſimis auſpicemur & inde ad magis compoſita & conceptu difficiliora lento pede progrediamur. Jam cum idea naturæ, ſpeciatim humanæ, ita comparata ſit, ut ex phænomenis, in homine deprehenſis, illam eruere valeamus, noſque ad indolem mentis, quæ ob ſolam ſpiritualitatem moralitatis capax eſt, palmario reſpicere teneamur; præmittere facultates illius, a poſteriori cognoſcendas, præcipue cum in doctrinis juris N. ad illas, ceu ad principia experientiæ indubitata, ſecure provocare & poſſimus & debeamus. Interſpergam hinc inde notiones & veritates, quæ non minus in viribus animæ diſtinctius indagandis & applicandis, quam in ipſa methodo, quæ in inſpiciendo jure naturæ majoris neceſſitatis eſt, propius rimanda utiles nobis eſſe poſſint.

§. 6. Datur in nobis aliquod ens, quod ſui aliarumque rerum, extra ſe poſitarum, conſcium eſt. Hoc dicitur *anima ſeu mens.* Character hic, quod ad præſens noſtrumque attinet propoſitum ſufficit, ex quo mens noſtra cognoſcatur & ex quo illa ab aliis quibuscunque objectis diverſis diſtinguatur.

§. 7. Hoc *conſcium eſſe* eſt primum axioma, quod in mente noſtro experimur. Illud nihil aliud eſt, quam actus, quo mens vel ſe ipſam ab objectis repræſentatis vel hæc a ſe invicem diſtinguit.

§. 8. Actus, quo mens objectum ſibi quomodocunque repræſentat, dicitur *perceptio in genere* ſumta.

§. 9. Actus, quo mens perceptionis alicujus ſibi conſcia eſt, a LEIBNITIO *apperceptio* dicitur. Cum ea, quæ in intellectu diverſa ſunt, diverſimode repræſentari debeant in imaginatione per ſymbola ad evitandam confuſionem; apperceptio a perceptione nuda merito diſcernitur. Solum ſomnum adduxiſſe ſufficiat, in quo quidem animæ perceptiones, minus tamen apperceptiones tribuendæ veniunt,

Digitized by Google

niunt, quippe quas in ſtatu vigilantis & ſomnii ſimul in ea deprehendimus.

§. 10. *Conſcientia mentis* noſtra quidem ſignificatione eſt diſtinctio ſui a rebus & rerum repræſentatarum a ſe invicem (§. 7.). Apperceptio itaque ejusmodi diſtinctionem vel ſui ab objectis repræſentatis vel horum a ſe invicem involvit (§. 9.).

§. 11. Perceptio copulata cum conſcientia ſui vel rerum repræſentatarum dicitur *cogitatio*, teſte uſu loquendi vulgari.

§. 12. In cogitationis actu perceptio & apperceptio concurrunt (§. 11. 9.).

§. 13. Quatenus mens percipiens diſtinguit vel ſe ab objectis repræſentatis vel hæc a ſe invicem, eatenus cogitat (§. 11. 7.).

§. 14. Uſum habet doctrina de apperceptione in materia de imputatione.

§. 15. Repræſentatio ſeu imago objecti, in perceptione occurrens, dicitur *idea* ſeu *notio*: Objecta ipſa repræſentata appellantur *ideata*.

§. 16. Notio vel ſufficit ad rem repræſentatam ab aliis objectis diſtinguendam, vel minus. Priori caſu *notio clara*, poſteriori *obſcura* audit.

§. 17. Applicari aptæ ſunt hæ definitiones ad omnes ideas ſenſibus immediate hauſtas non minus qnam ad eas, quæ in diſciplinis eruditis nobis obveniunt.

§. 18. Eædem definitiones & ad res, prima vice nobis occurrentes & ad eas, quæ nobis denuo fiunt obviæ, ſe extendunt.

§. 19. Qui terminos male applicat, virtutes cum vitiis, vel aliquod negotium cum negotiis diverſis confundit; is eorum terminorum, virtutum, vitiorum, illius negotii ideam obſcuram habere cenſetur. Hinc is matrimonium conſcientiæ obſcure cognoſcit, qui illud cum matrimonio ad Thalac vel cum concubinatu confundit.



Digitized by Google

§. 20. Si quis rem ſibi oblatam ab aliis rebus vel coexiſtentibus vel ſucceſſivis diſtinguat, in illius mente dubio procul aliquis character reſideat, neceſſe eſt, quo illam diſtinguit & ex quo illam iterata vice recognoſcit. Hanc notam characteriſticam anima vel ſigillatim ac diſcretim ſibi repræſentat, vel minus. Priori caſu notionem claram *diſtinctam*, altero vero *confuſam* appello. Sic ſi quis in emtione-venditione, cujus claram ideam habet, translationem dominii a parte venditoris & determinatam pecuniæ ſummam, ab emtore venditori ſolvendam, ſibi ſigillatim repræſentet, ei diſtinctam emtionis-venditionis ideam tribuimus. Sed ſi quis quidem norit, negotium aliquod obvium dici emtionem-venditionem, notam vero illius characteriſticam ſibi ſigillatim non repræſentet, nec ſi linguæ gnarus ſit, illam recenſere poſſit aliis, id poſtulantibus; ei notionem illius negotii confuſam adſcribimus.

§. 21. Eam ob cauſam notandam eſſe judico doctrinam de notionibus claris & diſtinctis, ut, quid ſit Naturæ lumen, cujus partem præcipuam Jus Naturale conſtituit, propius inſpicere poſſimus. Sic efficitur, ut illas Leges æternas eo curatius indagare valeamus.

§. 22. Per *lumen, in mundo externo obvium*, intelligimus illud, quod efficit, ut objecta externa circumjecta a ſe invicem diſtinguere valeamus. Et cum claræ & diſtinctæ ideæ in mente noſtra ſint ita comparatæ, ut ea, quæ in aliqua idea totali deprehenduntur, a ſe invicem ſecernere poſſimus (§. 16. 20.); claritate & diſtinctione ſeu perſpicuitate idearum *Lumen mentis* noſtræ, ut nos illud conſideramus, abſolvi liquido conſtat. Hinc creſcente cognitione rerum clara & diſtincta, creſcat lumen mentis neceſſe eſt. Unde patet, ex obſcuritate idearum §. 16. indigitata, *tenebras mentis* conſtare.

§. 23. *Notio* diſtincta *completa* nuncupatur, quæ continet characterem rei perpetuum, h. e. perpetuo ſufficientem

ad

Digitized by Google

ad rem aliquam ab aliis rebus diſcernendam; *incompleta*, cujus nota rei characteriſtica eſt temporaria. Sic ſiquis dixerit, *mendacium* eſſe *falſiloquium*; notio hæc mendacii incompleta eſt, quæ evadit in completam, ſi addideris verba: *conjunctum cum damno alterius*.

§. 24. Notiones completæ nomine *definitionum* inſigniuntur, ſi illæ terminis indigitentur.

§. 25. Definitiones ad lumen mentis ſpectare, ex §§. 24. 23. 22. patet. Summam cautionem adhibendam nobis eſſe in definitionibus admittendis exinde patet, quia illæ per ſyſtema formandum ſe diffundunt & concluſiones afficiunt.

§. 26. *Senſus externus* eſt facultas animæ percipiendi objecta externa, mutationem in organis ſenſoriis producentia. Facultas percipiendi mutationes animæ internas *ſenſus internus* vocatur, cum mens ſe ipſam percipiat ſenſu quodam interno. Perceptiones ejusmodi dicuntur *ſenſationes*. Notandum quod vocabulum *ſenſus* vel pro facultate vel pro organo ſenſorio, vel pro ipſa perceptione ſumatur.

§. 27. Senſu plures aliæ ideæ excitantur in nobis quam quæ requiruntur ad characterem rei diſcretivum, notionem diſtinctam conſtituentem. (§. 20.) Ille character, e. gr. furis, eſt quaſi involutus innumeris ideis e. gr. ratione loci, temporis & aliarum circumſtantiarum ſingularium, quæ omnes ideæ heterogeneæ in evolvendis notionibus diſtinctis & definitionibus exprimi apta ſymbolis. Ex quo conſequitur, ut ſenſus non ſigillatim & diſcretim nobis characteres rerum repræſentent. Ergo *repræſentationes ſenſuales*, *qua tales*, *ſunt confuſa*. (§. 20.) Huc ille canon: Confuſa ſentimus, diſtincta concipimus, Conf. §. 41.

§. 28. Ex collatione definitionum perceptionis, cogitationis & notionis patet, perceptionem & conſequenter

cogitationem a notione differre ut actum continentem a contento, quod ab illo idealiter ſeparatum eſt. Notum eſt, quod res ſingulares, h. e. ſenſibus obviæ, involvant ſpecies & genera, quæ proprie dicuntur notiones. Conf. §. 273. Met. *Wolffii*. Eodem modo perceptionem ſeu ſenſionem diſtinctam ab idea diſtincta diſcernendam eſſe puto, cum alicujus rei, quam diſtincte percipimus, notionem confuſam habere poſſimus. Sic ſi quis pecuniam adſpiciat, argentum, monetæ figuram, colorem, imaginem principis, ejus nominis litteras, cyfras, reliqua, ſibi repræſentare & conſequenter in ſtatu perceptionum diſtinctarum verſari poteſt, cum tamen *pecunia* non habeat notionem diſtinctam, quæ eſt menſura pretiorum vulgarium univerſalis vel alia ejusmodi nota characteriſtica, a pluribus aliis ideis accidentalibus diſtincte perceptis ſeparanda. Hinc a notionibus diſtinctis ad perceptiones diſtinctas valet quidem argumentatio, quæ tamen non eſt reciprocabilis.

§. 29. Proinde fieri poteſt, ut ſenſus vel externus vel internus varia a ſe invicem diſcernibilia in aliquo objecto nobis repræſentet vividiſſime, teſte exemplo §. 27. in medium prolato, atque adeo ad perceptiones rerum claras & diſtinctas perducat; ſed quatenus ſenſus ſingularia & individualia repræſentet, multasque ideas admiſceat ideæ characteriſticæ univerſali, quæ notio diſtincta eſt (§. 20.); eatenus repræſentationes ſenſuales, qua tales, ſunt confuſæ. Diſtinguamus ergo diſtinctum, in perceptione ſeu ſenſione obvium, ab illo, quod notionem diſtinctam conſtituit. Soli ſenſus ad alterum diſtinctum evolvendum non ſufficiunt, ſed intellectus accedere debet ad notionem diſtinctam ex perceptione diſtincta eruendam. Sic e. gr. ſiquis unum vel plures caſus ſingulares v. c. de furto ſecundum omnes circumſtantias ſpeciales vivide & diſtincte repræſentet ſenſu, is habet perceptionem ſ. ſenſionem diſtinctam;

Digitized by Google

ſtinctam; ſed ſi univerſale furti ab illis caſibus ſingularibus abſtrahit, notionem diſtinctam format.

§. 30. Hæc eam ob cauſam etiam adduxi, ut ſciamus, quorſum nobis in Jure N. concipiendo ſit progrediendum. Subſiſtendum quippe nobis non eſt in ſtatu perceptionum diſtinctarum acquieſcendo quippe in caſibus ſingularibus, ſed & eo allaborandum, ut ſimul ſtatum notionum diſtinctarum nanciſcamur. Id quod in omnibus ſcientiis opus eſt.

§. 31. Monita ejusmodi ad methodum ſpectantia, addere lubet in gratiam dominorum meorum auditorum.

§. 32. Facultas reproducendi perceptiones rerum, olim ſenſibus obviarum vel alio modo cognitarum dicitur *imaginatio* ſeu *phantaſia*.

§. 33. Quatenus itaque imaginatio ideas ſenſuales ſupponat & hæ confuſæ ſint (§. 27.); ipſæ repræſentationes imaginativæ confuſæ ſunt.

Huc accedit, quod imaginatio æque ac ſenſatio non ſolum characterem diſcretivum, ſed cum innumeris aliis mixtum reproducat, teſte experientia (§. 20.27.).

§. 34. Experiundo quotidie diſcimus, a ſenſu varias res vel ſimultaneas vel ſucceſſivas conjunctim nobis repræſentari, atque adeo ob id eodem tempore in nobis naſci plures ideas inter ſe conjunctas. Porro novimus, quod ſi vel ope ſenſuum imaginationis excitetur in nobis aliqua idea, quæ olim cum aliis ideis vel affectibus certis copulata fuit, reliquæ ideæ ſociæ, quin & illi affectus in mente noſtra nova vice cooriantur. Hoc phænomenon animæ, quod inſignis uſus eſt in omni philoſophia, *Legem imaginationis, vel aſſociationem idearum, imaginum & affectuum* appellamus, de qua, quantum conſtat, primus egit IO. LOCKIVS *de intellectu humano L. II. cap. XXXIII.*

§. 35. Quantum conferat applicatio hujus phænomeni ad gratiam a natura probe diſtinguendum, B. BVDDEVS



Digitized by Google

*in Inſtitut. Theol. Moral. P. I. c. I. Sect. V. §. IX.* egregie commonſtravit.

§. 36. Fieri ſolet, ut phantaſia ideas reproductas diverſimode vel dividat vel componat, ita ut ideæ totali inde ſubortæ nullum extra mentem objectum reſpondeat. Ob quam operationem animæ *facultas fingendi* tribuitur, ejusmodi vero ideæ dicuntur *fictiones*, quæ adeo nihil aliud ſunt, quam ideæ ex imaginaria & arbitraria combinatione rerum, alias ſeparatarum, vel diviſione rerum alias combinatarum ortæ, & quibus totalibus nullum extra mentem objectum reſpondeat. Huc referas centaurum, ſphingem, hirco-cervum, nec minus conſenſum fictum, ſocietatem & populum, inſtar individui humani conſideratum, characterem repræſentativum, legatis tribui ſolitum, pretium rerum vulgare & eminens &c.

§. 37. *Contradictio* eſt ſimultanea unius ejusdemque rei affirmatio & negatio. Ut indolem contradictionis veræ penitius inſpiciamus, illam caſu dato illuſtremus.

| *Idiomata veri Philoſophi*, qui | *Idiomata Ethnici, qua talis*, qui |
|---|---|
| A) Admittit unicum Deum; | a) Non admittit unicum Deum, plures enim Deos ſtatuit; |
| B) Rationem exiſtentiæ mundi in unico Deo quærit; | b) Rationem exiſtentiæ mundi non in unico Deo, ſed in pluribus diis quærit; |
| C) Perfectiones abſolute ſummas Deo tribuit. | c) Non perfectiones abſolute ſummas, ſed imperfectiones & imbecillitates humanas diis tribuit. |

Si contuleris idiomata utriusque inter ſe, a tollet A, b abſorbebit B, & c deſtruet C. Sic ſi ponatur hæc propoſitio: *Philoſophus eſt ethnicus*; poſitis iisdem nec mutatis ideis, idiomata

Digitized by Google

idiomata prædicati deſtruerent idiomata ſubjecti, atque adeo omnes ideæ evaneſcerent & prorſus nulla idea remaneret. Ergo poſitis ideis ſubjecti & prædicati, propoſitio continet contradictionem veram, quæ degeneraret in ſpuriam ſeu apparentem, ſi aliam ideam vel ethnici vel philoſophi formare volueris, e. gr. ſi quis omnes gentes, ſacris Chriſtianorum non-addictas, pro ethnicis habeat. Dantur pacta abſurda, quæ ex idea contradictionis dijudicari debent.

§. 38. Ea, quæ involvunt contradictionem, *impoſſibilia*; quæ vero contradictionem nullam involvunt, *poſſibilia* audiunt. Definitionem impoſſibilis ſic evinco:

*Principium contradictionis*, quod ab omnibus admittitur, hæc propoſitio eſt: Impoſſibile eſt, idem ſimul eſſe & non eſſe. Ergo impoſſibile eſt illud, quod ſimul eſſe & non eſſe ponitur. Τὸ eſſe affirmat, τὸ non eſſe negat. Ergo impoſſibile eſt illud, quod ſimul affirmatur & negatur. Simultanea ejusdem rei affirmatio & negatio dicitur contradictio (§. 37.); ergo impoſſibile illud dicendum, quod involvit contradictionem.

§. 39. Poſſibile & impoſſibile vel in ſe vel reſpective ad aliquod ſyſtema, e. g. mundanum, conſiderari poteſt. Priori caſu *poſſibilitas* & *impoſſibilitas* dicitur *interna*, quæ cum abſoluta coincidit; poſteriori vero ea *externa* ſeu *extrinſeca* ſeu *hypothetica* appellatur. Sic Academia Scientiarum, a LEIBNITIO Viennæ delineata, & in tres claſſes, puta Litterariam, Mathematicam & Phyſicam diviſa, eſt quidem poſſibilis, intrinſece talis; ſed fieri poteſt, ut ſit impoſſibilis, extrinſece ſpectata, reſpective nimirum ad noſtrum mundum exiſtentem accepta. Idem ſentiendum de ſocietate Recognoſcentium univerſali, cujus delineationem ſapientem & egregiam nobis dedit S. R. Dn. LANGIVS Idſteinenſium Sacrorum Antiſtes.

§. 40. Phantaſiæ combinatio & diviſio arbitraria eſt vel rerum inter ſe non pugnantium vel ſibi invicem contradi-



Digitized by Google

centium. Ergo *fictiones* ſunt vel *poſſibiles* vel *impoſſibiles* (§. 38.) quæ ultimæ vocantur *chimera*. Si in civitatibus abſenti, intellectu & voluntate prædito tribuatur conſenſus per fictionem, conſenſus fictus poſſibilis oritur.

§. 41. *Concipere aliquam rem* eſt illam ſibi diſtincte repræſentare. Et illud, quod eſt diſtincte repræſentabile, dicitur *conceptibile*. Wolffius in Prol. Log. Lat. minoris §. 10. intellectum per facultatem concipiendi h. e. diſtincte repræſentandi poſſibilia definit. Conf. §. 61.

§. 42. *Ratio* eſt id, unde aliquid concipitur. *Principium* eſt, quod in ſe continet rationem alterius. *Principiatum* eſt, quod habet rationem ſui in altero. Sic ſi τὸ velle exſpatiari ponas principiatum, repræſentatio tempeſtatis ſerenæ poteſt eſſe ratio & anima ipſa erit principium. Sic officia & jura naturalia ſunt principiata, propoſitiones, ex quibus illa concipiuntur, complectuntur eorum rationes, & propoſitio fundamentalis, in qua illæ propoſitiones continentur, eſt eorum principium.

§. 43. *Ratio ſufficiens* dicitur illa, qua poſita ſunt conceptibilia ea omnia, quæ in aliqua re (exiſtente) deprehenduntur, ſeu, præter quam ad conceptibilitatem alicujus rei nihil aliud requiritur. Inferius e. g. patebit, qnod ratio ſufficiens obligationis & juris pactitii non ex ſola promiſſi juſtitia, ſed ſimul ex promiſſi acceptatione alterius concipiatur.

§. 44. Nihil exiſtit abſque ratione ſufficiente, cur potius ſit, quam non ſit. Hæc propoſitio dicitur a LEIBNITIO *principium rationis ſufficientis* ſeu *convenientiæ*.

§. 45. Si Phantaſia combinet ſibi invicem non contradicentia, hoc fieri poteſt vel cum ratione ſufficiente vel minus. Hinc *fictiones poſſibiles ſunt vel principio rationis ſufficientis conformes vel difformes* (§. 40. 44.). Dantur respublicæ fictæ huc referendæ. Si in jure ſociali & Gentium conſideretur ſocietas, vel integer populus inſtar individui humani, fictio hæc eſt poſſibilis & cum ratione ſufficiente

forma-

formata, cum illa naturæ humanæ & aliis principiis rationis convenienter ſit concinnata & ita comparata, ut ope illius jus naturale ſingulorum ad integras ſocietates & gentes applicari poſſit. Conf. §. 17. Jur. Gent., nec minus §§. 145. 246. Met. Wolff.

§. 46. Ex quibus per legitimam conſequentiam poſſibilia fluunt, ea poſſibilia eſſe, aliunde conſtat.

§. 47. Ergo ſi ex fictione aſſumta juſte argumentando poſſibilia deduxeris, ipſa quoque fictio poſſibilis ſit neceſſe eſt. Hinc ſi dentur fictiones morales, ex quibus quædam officia & jura hominum poſſibilia deduci poſſint, illas eſſe poſſibiles nova ratione evincitur. Porro ſi ponatur fictio, ex qua legitime concludendo derivantur impoſſibilia, fictio ipſa impoſſibilis haberi debet.

§. 48. Datur in mente facultas, qua illa recognoſcit, ſe ideas ab imaginatione reproductas olim habuiſſe, quæ *memoria* dicitur.

§. 49. *Attentio* eſt mentis facultas ſe ex pluribus, quæ in aliqua re deprehenduntur, ita defigendi in uno, ut illius ſibi mens magis conſcia ſit, quam reliquorum. Hinc efficit attentio, ut una idea cum aliis copulata, plus claritatis nanciſcatur quam reliquæ (§. 16.).

§. 50. *Eadem* ſunt quæ ſibi mutuo poſſunt ſubſtitui, ſalvo omni reſpectu, ita ut perinde ſit, ac ſi ſubſtitutio non fuiſſet facta.

§. 51. *Diverſa* ſunt, quorum mutua ſubſtitutio mutationem producit.

§. 52. *Similia* ſunt, quorum ea, ex quibus aliqua res cognoſcitur & quibus illa diſtinguitur ab aliis, ſunt eadem. *Similitudo* eſt identitas characteris duarum rerum.

§. 53. *Diſſimilitudo* eſt diverſitas characteris duarum rerum.

§. 54. *Cognitio reflexionis* abſolvitur attentione repetita per varias ideas partiales, ex quibus componitur idea totalis, qua nobis objectum aliquod repræſentamus.

Huc

Digitized by Google

Huc ſpectat facultas *comparandi* & *meditandi*, qua ſimilitudines & diſſimilitudines rerum cognoſcimus (§. 52. 53.).

§. 55. Notemus facultatem attendendi, reflectendi, comparandi eo magis, ut *prima natura homini cum brutis communia* diſtinguamus ab illis, quæ *homini propria* ſunt, & quibus jus naturæ, quod natura omnia animalia docuit a Jure N. humano, ad quod concipiendum homo cognitione reflexiva aptus redditur.

§. 56. Similitudo rerum eſt fundamentum ſpecierum & generum earum. Hinc *notiones* dicuntur *generales* & *univerſales*, quæ ſimilitudines rerum indigitant. Et cum actus reflexus detegat ſimilitudines ejusmodi (§. 54.), ille efficit, ut notiones generales diſtinctas & definitiones rerum eruamus (§. 20. 24.). Hæc facultas formandi notiones univerſales nos a brutis atque adeo naturam noſtram a natura animali & per conſequens jus naturæ, quod natura omnia animalia docuit, a Jure Naturæ humano diſtinguit.

§. 57. Homines auxilio actus reflexi obſervarunt ſimilitudines rerum (§. 54.), quas ſignotenus ſepararunt, h. e. per impoſitionem terminorum vel aliorum ſymbolorum arbitrariorum. Sed cum ſimilitudines rerum ſubminiſtrent ideas generales & univerſales (§. 56.), adeoque & diſtinctas (§. 20.), homines uſi ſunt ſymbolis ad indigitandas notiones generales & univerſales. Quæ eſt ratio, cur Cel. WOLFFIVS cognitionem rerum univerſalium, quas terminis aliisque ſymbolis exprimimus, vocaverit *ſymbolicam* ſeu *diſcurſivam*.

§. 58. Senſus & imaginatio turbant attentionem (§. 27 33. 49.) & conſequenter actum reflexum (§. 54.).

§. 59. In mente datur *facultas judicandi*, qua nexum vel ſeparationem duarum vel plurium idearum nobis repræſentamus. Repræſentationes nexus vel ſeparationis duarum vel plurium idearum *judicia* appellantur.

§. 60. *Ratiocinari* dicimur, cum ex duobus judiciis elicimus tertium, quod nuncupatur *collectivum* ſeu *diſcurſivum judicium*.

Digitized by Google

*judicium*. Repræſentatio ejusmodi judicii tertii, ex duobus aliis eruti, *ratiocinium* appellatur.

§. 61. Facultatem mentis ſibi diſtincte repræſentandi poſſibilia *intellectum* appellabimus. Notemus, hoc vocabulum ſæpius ſumi in ſenſu ampliori pro quacunque facultate res cognoſcendi, ſive id fiat confuſe ſive diſtincte. Hoc pacto ſenſatio & imaginatio ad intellectum referuntur (§. 26. 32.). Sed cum facultas diſtincte repræſentandi objecta ab illa prorſus differat, qua nobis res confuſe repræſentamus, facultatem priorem peculiari termino circumſcribendam eſſe patet ex regula ſuperius §. 9. allata. Quid ſit *intelligibile*, ex definitione prævia pateſcit. Intelligibile eſſe conceptibile, clarum eſt ex §. 41.

§. 62. Ex conceptu poſſibilitatis vel actualitatis alicujus notionis vel judicii oritur *certitudo cognitionis noſtræ*.

§. 63. Deficiens repræſentatio poſſibilitatis vel actualitatis notionum vel judiciorum parit *incertitudinem cognitionis*, alias *dubia* vocari ſolitæ, & in certam abeuntis, ſimul ac poſſibilitatem vel actualitatem ideæ animadverterimus.

§. 64. Notiones vel judicia poſſibilia dicuntur *logice vera*; quæ vero impoſſibilitatem involvunt, *logice falſa*. Hinc notiones vel judicia, prout illæ iſtave vel contradictionem vel nullam pugnantiam continent, ſunt vel falſa vel vera, logice talia (§. 38.). Unde dijudicandum eſt, an dentur fictiones, quæ referri poſſint ad veritates, e. g. ſi dividantur jura, qualia ſunt proprietas, majeſtas, in partes, minus tamen ſegreges, ſeu a ſe invicem actu divelli neſcias.

§. 65. *Experientia* eſt cognitio, quam acquirimus reflectendo ad objecta, nobis a ſenſibus noſtris oblata.

§. 66. Senſus eſt vel externus vel internus (§. 26.). Hinc *experientia* vel *externa* vel *interna* eſt (§. 65.).

§. 67. Senſus nobis repræſentant actualia ſeu exiſtentia, quæ dicuntur res ſingulares. Experientia itaque verſatur circa ſingularia (§. 65.). Hinc ille, qui provocat ad experi-

perientiam, tenetur allegare caſum quendam ſingularem, ut nobis innoteſcat, quidnam ſenſu perceperit.

§. 68. Cognitio acquiſita per experientiam dicitur *a poſteriori* hauſta, & *judicia* inde formata *intuitiva* appellabimus, quæ ſunt repræſentationes phænomenorum ſeu mutationum, ſenſibus perviarum & connexarum cum rebus. Fieri poteſt, ut ex ejusmodi judiciis intuitivis ratiocinando eruamus judicia collectiva (§. 60.). Confuſio judiciorum collectivorum cum judiciis intuitivis dicitur *vitium ſubreptionis* a Cel. WOLFFIO. Quod vitium committitur e. g. ab illo, qui fluidum magneticum, a phyſicis alias cum ratione ſufficiente admiſſum, ex experientia notum eſſe aſſeveraverit.

§. 69. Experientiæ ſunt rerum ſingularium (§. 67.). A rebus ſingularibus ſeu exiſtentibus ad poſſibilitatem earum tutiſſima valet conſequentia. Ergo experientiæ ſunt repræſentationes rerum poſſibilium. Hinc experientiæ, cognitio a poſteriori hauſta, judicia intuitiva (§. 68.) principiis veris (§. 64.) certis & indubitatis (§. 62. 63.) annumerari ſolent.

Doctrinæ præviæ & ſecuturæ de facultatibus animæ, intimo ſenſui obviæ, ſunt experientiæ atque adeo principia vera, certa & indubitata, quorum concluſiones legitimo modo & concatenatim formatæ æque veræ, certæ & indubitatæ ſint neceſſe eſt (§. 46.).

§. 70. Omnia phænomena mundi phyſici vel moralis habent rationem ſufficientem (§. 44.). Omnes itaque effectus phyſici vel eventus morales ſub certis conditionibus contingunt; quæ conditiones *requiſita veritatis contingentis* vocantur. Si ponantur igitur eædem conditiones in duobus phænomenis contingentibus, phænomena ſimilia ſeu *caſus ſimiles* dicuntur.

Hinc *ſimilitudo caſuum* eſt identitas circumſtantiarum, ad caſuum exiſtentiam concurrentium. Ex quo perſpicitur, quid ſit *expectatio caſuum ſimilium*.

§. 71.

Digitized by Google

§. 71. Cum effectus complures phyſici non minus quam morales & eorum conditiones in ſenſus incurrant; ope experientiæ ejusmodi ſimilitudinem caſuum obſervare poſſumus (§. 65. & 70.). Hinc illi, qui experientiæ actiones ſuas attemperant, quales ſunt præcipue politici, caſuum ſimilium expectatores ſunt (§. 70.), idque cum ſucceſſu, ſi ad circumſtantias ſeu conditiones phænomenorum determinatas curate reflexerint (§. 65.).

§. 72. Ex §. 71. patet, quid ſit *imitatio oculata* ſeu *maſcula* diſtinguenda ab *imitatione coeca*, ad quam illud ſpectat: Duo cum faciunt idem non eſt idem. Huc referas illud Horatianum: *O imitatores ſervum pecus!* Nec minus notemus locum SENECAE *de vita beata Cap. I.* Nihil magis præſtandum eſt, quam ne pecorum ritu ſequamur antecedentium gregem pergentes, non qua eundem eſt, ſed qua itur &c. *Imitatio* denotat conatum ſe efficiendi alteri ſimilem. Applicetur notio ſimilitudinis (§. 52.).

§. 73. *Nexus* eſt illa rerum ad ſe invicem relatio, vi cujus altera continet rationem alterius coëxiſtentis vel ſucceſſivi. Hinc datur *nexus* vel *rerum ſimultanearum* vel *ſucceſſivarum*. Quænam ſint *connexa*, ex definitione prævia facile judicandum. Hæ notiones illuſtrari poſſunt partibus horologii, conſtitutionibus alicujus reip. inter ſe connexis.

§. 74. *Demonſtratio* (ἀπόδειξις) eſt non interrupta concatenatio ſeu connexio plurium ratiociniorum, in quibus nullæ præmiſſæ admittuntur, niſi quarum certitudinis antea introſpectæ reminiſcamur. Seu: *demonſtratio* eſt non interruptus plurium ſyllogismorum nexus tamdiu continuandus, donec vel aſcendendo perveniamus ad ejusmodi proſyllogiſmos, in quibus præmiſſæ principia indubitata ſunt, vel deſcendendo delabamur in concluſionem, de cujus veritate quæritur.

§. 75. In demonſtrando propoſitiones ſubſequentes rationem ſufficientem habeant in propoſitionibus præviis neceſſe eſt (§. 73. 74.).

§. 76.

Digitized by Google

§. 76. In demonſtrationibus propoſitiones ita coordinandæ ſunt, ut ſequentes ex præcedentibus conceptibiles (§. 75. 43.), adeoque diſtincte repræſentabiles ſint (§. 41.).

§. 77. Experientiæ principiis demonſtrandi merito accenſentur (§. 74. 69.).

§. 78. *Scientia* eſt habitus intellectus deducendi concluſiones ex principiis indubitatis, idque nexu concatenato ſeu ſyllogiſtico.

§. 79. Cognitio, quæ vel nititur principiis non ſatis certis, vel nexu propoſitionum legitimo deſtituitur, vel utroque defectu laborat, dicitur *opinio*.

§. 80. Scientia eſt cognitio demonſtrativa (§. 78. 74.). Experientiæ ſunt principia, in ſcientiis adhiberi apta (§. 77.).

§. 81. *Syſtema veri nominis* eſt complexus plurium poſſibilium inter ſe connexorum. In ſyſtemate locum habet illud Hippocratis: Σύμπνοια πάντα, *omnia conſpirant*.

§. 82. Scientiæ debent eſſe ſyſtemata (§. 78. 71.). Et cum Jus N. ſcientiis annumeretur, illud inſtar ſyſtematis concipiendum. Unde nonnulli illud catenam pluribus annulis ſimilibus conſtantem cum B. GVNDLINGIO appellarunt.

§. 83. *Invenire veritates* eſt nihil aliud quam elicere veritates incognitas ex quibusdam cognitis, idque per ſyllogiſmos concatenatos. Huc ſpectat *ars heuriſtica*, quæ eſt dexteritas incognitum ex cognito deducendi.

§. 84. Veritates incognitæ, inveniendæ ex cognitis, cum hiſce debent habere relationem. Eiusmodi relatio eſt ſimilitudo, quæ cognito intercedit cum incognito. Ex cognita itaque ſimilitudine rerum a cognito ad incognitum argumentari licet, quantum id ferat ſimilitudo eruta. Efficit itaque hæc ſimilitudo, ut incognitum transmutari poſſit in cognitum.

§. 85. Regula, vi cuius incognitum inveniendum in æquipollens aliquod cognitum transmutatur, *principium re-*

*ductionis*

Digitized by Google

*ductionis* dicitur a Cel. WOLFFIO, qui primus fœcundiſſimi hujus principii ideam diſtinctam cum publico comunicavit.

§. 86. Hoc principio utimur in tranſitu a Jure Naturæ ſingulorum ad Jura Socialia & Gentium faciundo. Quo facto Jus Gentium æque ac Jus N. ſingulorum ad inſtar ſyſtematis & ſcientiæ (§. 81.) tractari poteſt. Evinci quippe poteſt, quamlibet ſocietatem, vi definitionis, inſtar individui humani repræſentari poſſe ob ſimilitudinem, quam inter humanum individuum & ſocietatem quamcunque adeoque & totum populum, reipublicæ ſyſtema conſtituentem, obſervamus.

§. 87. Equidem diffitendum non eſt, artem ſyllogiſticam eſſe remedium inveniendi, cum ex definitionibus aliisque principiis, tanquam ſumtionibus cognitis incidere ſoleamus in concluſiones, antea incognitas. Verum enim vero præclare monuit Cel. WOLFFIVS, inveniendis novis doctrinis non ſufficere ſolos ſyllogismos, qui præmiſſas cognitas jamjam ſupponunt & qui adeo adhiberi non poſſunt, ſi vel utraque vel alterutra præmiſſarum deſtituamur. Circumſpicienda itaque inventoribus fuerunt alia ſubſidia & artificia hevriſtica, quibus nobis principia ſeu præmiſſæ ſubminiſtrantur, & quibus ope ſyllogismorum ad novas concluſiones deſcendere poſſumus. Ad hæc artificia inventiva ſummo jure referendum eſt principium reductionis, cujus uſu ex gr. hæc propoſitio eruta eſt: ſocietas & per conſequens reſpublica repræſentat individuum humanum. Hinc quicquid in Jure N. ſingulorum cognovimus, illud ad quamlibet ſocietatem compoſitam non minus quam ſimplicem, adeoque ad totas gentes applicari poteſt, dummodo notemus, ex differentia ſpecifica ſocietatis & reipublicæ oriri concluſiones, ſocietatibus & rebuspublicis proprias.

§. 88. Duce eodem principio reductionis inciderunt veri indagatores in *fictiones hevriſticas* ſeu *doctrinales*, quarum ope veritates, antehac incognitas, concatenatim ratioci-



Digitized by Google

inando intellectui eruere datur. De eorum indole & ſpeciebus, in matheſi, doctrina morali & J. N. & G. obviis, deque illas eliciendi methodo, egimus in *diſſertatione de indole fictionum hevriſticarum*.

§. 89. In anima datur facultas ſimilitudines rerum celeriter obſervandi, quæ dicitur *ingenium*. Quo abſtruſioribus itaque ſimilitudinibus eliciendis aliquis aptus eſt, eo ingenioſiorem ſe eſſe oſtendit.

§. 90. Ad artem hevriſticam, ad uſum principii reductionis & ad fictiones hevriſticas indagandas ingenium multum confert (§. 83. 84. 85. 87. 88. 89.).

§. 91. In inventis ergo novis examinandis & dijudicandis artificia, ab uſu ingenii non minus quam ſyllogiſmorum applicatione pendentia, probe penſitanda ſunt.

§. 92. Dantur caſus, in commercio mundi apprime difficiles, ex quibus ope ingenii feliciter nos extricare poſſumus, præcipue ſi nobis res ſit cum inimicis, ad quorum conatus malignos retinendos ingenium nobis conſilium, tanquam remedium mitius, duriori præferendum, ſuppeditare ſolet. Quid in exequendis conſiliis & in colenda prudentia præſentia ingenii nos juvet, experientia edocemur.

§. 93. Perſpicientia nexus rerum poſſibilium dicitur *Ratio*, (die Vernunfft). Huc quadrat locus, in cap. IV. L. I. offic. Cic. obvius: „Homo, quod *rationis* eſt particeps, „per quam conſequentia cernit, cauſas rerum videt, ea„rumque progreſſus, & quaſi anteceſſiones non ignorat, ---- & rebus præſentibus adjungit atque *annectit* futuras. ---- Quibus ex verbis patet, definitionem rationis ab uſu loquendi veterum non abludere. Nec deſunt alia loca auctorum, quibus idem evincere poſſem. Et ſi vel ipſos caſus ſpeciales, ubi vocabulo *rationis* utimur, inſpexeris, notam characteriſticam indicatam deprehendes; ſi quis e. gr. ratione commenſuret actiones in contrahendo matrimonio, in eligendo vitæ genere vel in ſuſcipiendo quocunque alio negotio.

§. 94

Digitized by Google

§. 94. Notio rationis præcipuum uſum habet, ſi demonſtrare velimus, Jus N. eſſe dictamen rationis Et cum *virtus philoſophica* ſit conformatio actionum ad ductum juris N., eandem ipſam eſſe habitum attemperandi actiones rationi prælucendi, evincemus. Quam propoſitionem Cel. WUCHERERUS pro axiomate virtutis jure aſſumſit.

§. 95. Eæ notiones & propoſitiones, quæ impoſſibilia (§. 93.), atque adeo contradictoria (§. 38.) & abſurda ſeu *ἄτοπα* (§. 37.) continent, e ſphæra rationis eliminandæ ſunt.

§. 96. Formatio & examen ſyſtematum ab uſu rationis pendent (§. 81. 93.).

§. 97. In ſphæram rationis non niſi aſſerta demonſtrata (§. 73. 74.), ſcientifica (§. 78.) aliis poſſibilibus non repugnantia & talia, quæ vel ex aliis poſſibilibus vel ex quibus alia poſſibilia concipi poſſunt, (§. 46.) recipienda eſſe clarum eſt.

§. 98. Subeſt cauſa, eaque prægnans, cur ejusmodi corollaria interſpergam, ne ſomnia, chimæras, judicia male cohærentia, figmenta absque ratione ſufficiente aſſumta in ſinum juris naturæ admittamus & diſciplinam ſanctam, quam a Deo autore ortam eſſe loco convenienti demonſtrabimus, coinquinemus turpiter & adulteremus.

§. 99. Quod cum aliis poſſibilibus vel veritatibus, jamjam demonſtratis, connecti, ſeu ex illis concipi poteſt, *rationi conforme* dicitur (§. 93. 64. 73.).

§. 100. Quod contradicit veritatibus jamjam cognitis & demonſtratis, *rationi difforme* ſeu *ἄλογον* eſt (§. 93.). Veram contradictionem intelligo, ſuperius §. 37. adductam.

§. 101. Sunt multa, quorum quidem nexum cum aliis veritatibus non introſpicimus, quæ tamen nullam involvunt contradictionem, nec aliis veritatibus jamjam cognitis vere repugnant; ea ſunt *ſupra rationis ſphæram*, cum iis, quæ rationi contraria ſunt, non perperam confundenda (§. 100. & 51.).

§. 102. Quæ ope rationis inſpicimus, *a priori cognoſcere* dicimur.



Digitized by Google

§. 103. Qui perſpicit nexum rerum poſſibilium, ille rationes unius poſſibilis connexi in altero poſſibili obvias cognoſcit (§. 73.) adeoque poſſibilia connexa a ſe invicem diſtinguit. Mens itaque ratione prædita diſcernit poſſibilia connexa (§. 93.) & per conſequens cognitione diſtincta poſſibilium gaudet. *A ratione itaque uſus intellectus, vel ſtricte ſumti, ſeparari non poteſt* (§. 61.). Quicquid itaque ratione h. e. a priori (§. 102.) attingi poteſt, illud eſt intelligibile.

§. 104. Mens, ſolo ſenſuum auxilio, h. e., experientia utens, vel ultra illius terminos non adſcendens, nexum rerum ſenſualium cum aliis veritatibus non introſpicit (§. 65.). Lacus e. gr. rubeſcere interdum experiundo diſcimus, cujus in phænomeni obſervatione ſola ſi acquieſcimus, nexum illius cum cauſis non inſpicimus. Sic fit, ut phyſici gravitatem corporum ceu nudum phœnomenon in explicandis aliis doctrinis aſſumant. Ex quo patet, cur experientiam ſeu cognitionem a poſteriori, rationi ſeu cognitioni a priori contradiſtinguere ſueverint philoſophi (§. 93. 102. 68.).

§. 105. Quo major vel minor eſt perſpicientia nexus rerum poſſibilium, eo major vel minor eſt vis rationis. Ubi quis plane nullum nexum veritatum introſpicit, in illo plane nullam dari rationem clareſcit (§. 93.).

§. 106. Si ad tenellam reſpiciamus ætatem noſtram, ſi conſideremus homines loquela deſtitutos, ſi attenti ſimus ad eos, quos a brutis nutritos & educatos novimus, ſi tandem perpendamus, augmentum & amplificationem ſcientiarum ab incremento artis characteriſticæ nimium quantum dependere; cognitionem ſymbolicam rationis cultui plurimum contuliſſe nemo inficias ibit. Conferri merentur caſus, quos in CONNORII Evangelio Medici *p.* 133. & in hiſtoria Ac. Sc. Pariſinæ *Anni* 1703. *p.* 22. *ſeqq.* non minus quam in Act. Er. Lipſ. *Anni* 1706. *p.* 366. relatos legimus.

§. 107. Expectatio caſuum ſimilium ita ſe habet, ut videamur inſpicere nexum rerum (§. 70.). Et cum ratio ſit per-

Digitized by Google

perſpicientia nexus rerum poſſibilium (§. 93.), Cel. WOLFFIVS *analogum ſeu imitamentum rationis*, cujus mentionem fecerunt veteres, per expectationem caſuum ſimilium diſtincte explicat.

§. 108. Infiniti dantur caſus, ubi in rerum nexum penetrare nobis non conceditur, & qui adeo ita comparati ſunt, ut deficiente rationis uſu expectatione caſuum ſimilium & conſequenter analogo rationis ſecure uti poſſimus (§. 71.), dummodo ultima verba §. cit. obſerventur, quo neglecto ad falſas regulas prolabimur.

§. 109. Ex uſu ſenſuum & imaginationis analogum rationis concipitur (§. 107. 70. 26. 32. 41.). Et cum bruta ſenſibus & imaginatione gaudeant, illis analogum rationis non incongrue tribuitur.

§. 110. In opinione vel principia ſunt incerta (§. 79.), adeoque neſcimus, an poſſibilia ſint (§. 63.); vel nexum propoſitionum, h. e. poſſibilium quorundam, non inſpicimus (§. 79.). Ergo opiniones oriuntur ex defectu rationis (§. 93.).

§. 111. Cognitio ſcientifica immutabilis, opinativa vero mutabilis eſt, idque rationis & ſcientiarum cultu (§. 110.).

§. 112. Jus N. eſt ſcientia & dictamen rationis, adeoque ſyſtematis inſtar concipiendum (§. 82.). Ergo a limine Juris N. opiniones & conjecturæ ſunt removendæ (§. 110.).

§. 113. Si nobis conſcii ſimus incertitudinis principiorum vel deficientis ſeu hiantis eorum nexus, ejusmodi opinio nobis non nocet & parit *nudam perſuaſionem*, quæ opponitur *convictioni*, oriundæ ex conſcientia certitudinis principiorum eorumque nexus concatenati. Demonſtrationes, ſcientiæ, ratio pariunt convictionem (§. 74. 78. 93.).

§. 114. Opinio falſa, quam fovemus de certitudine cognitionis noſtræ, dicitur *vana perſuaſio*.

§. 115. Judicium verum pro falſo, vel falſum pro vero habere appellatur *errare*. *Error* itaque eſt confuſio judiciorum verorum cum falſis.



Digitized by Google

§. 116. Qui habet poſſibile pro impoſſibili vel impoſſibile pro poſſibili, ille errat (§. 115. 64.).

§. 117. Qui confundit certum cum incerto, ille errat (§. 116. 62. 63.).

§. 118. Errores evitamus, ſi nullum aſſertum pro vero admittamus, niſi quod notionibus diſtinctis & ratiociniis ſyllogiſtice concatenatis ſuperſtructum eſt.

§. 119. Si ex requiſitis exiſtentis veritatis contingentis, quæ ad ejus exiſtentiam concurrere debent (§. 70.) quædam tantum obſervaverimus & ab iis ad exiſtentiam reliquorum requiſitorum argumentemur, *cognitio noſtra probabilis* dicitur. Reflectas ad caſum, ubi Salomo diſceptationem duarum fœminarum, de infante ortam, decidebat.

§. 120. In probabilitate quæſtio eſt de exiſtentia rei alicujus (§. 119.). Sed cum exiſtentia præſupponat poſſibilitatem, omne probabile ſit poſſibile neceſſe eſt. Poſſibilitas externa non minus quam interna hic conſideranda venit (§. 39.).

§. 121. A poſſibili ad exiſtentiam non valet conſequentia. Jam vero in probabilitate rei ſupponitur phænomeni exiſtentia (§. 119.), ergo a nuda poſſibilitate ad probabilitatem non valet argumentatio.

§. 122. Argumentum ab analogia rerum depromptum in doctrina probabilium maximi momenti eſt.

§. 123. Judicaturus de probabilitate alicujus phænomeni noſſe debet, quæ requiſita ad actuandum aliquod poſſibile neceſſaria ſint (§. 119.). Hinc ad ferenda ſaniora judicia probabilia maxime proficua eſt experientia (§. 65.).

§. 124. *Perfectio* eſt conſenſus in varietate. Si conferas inter ſe perfectiones ſpeciales reipublicæ, ædificii, horologii, fortalitii, &c. ſimilitudinem aliquam obſervabis, quæ generalem notionem perfectionis ſubminiſtrat vi regularum Logicarum. Conferas §. 56. Notandum quod hæc & ejusmodi aliæ notiones in caſibus ſpecialibus reſolvendæ ſint in terminos ſpecialiores. *Ea inter ſe conſentiunt*, quæ vel immediate

diate ex ratione generali explicari, vel quorum rationes ſpeciales ex aliquo principio generali derivari poſſunt.

§. 125. Dantur conſenſus veri, dantur apparentes. Hinc *perfectiones vel veræ vel apparentes.*

§. 126. Contradictio in varietate eſt *imperfectio.* In horologio dantur innumera varia, ex quibus ſi ponatur unum; e. gr. motus rotæ alicujus, qui contradicit motibus aliarum partium, in horologio obviarum, imperfectio oritur in horologio.

§. 127. Contradictio eſt vel vera vel apparens. Ergo *imperfectio* vel *vera* vel *apparens* eſt.

§. 128. Perfectio apparens eſt imperfectio, imperfectio apparens eſt perfectio.

§. 129. Conſenſus variorum efficit, ut illa concipi poſſint ex principio aliquo communi, unde quodlibet varium peculiarem determinationem ſuam nanciſcitur atque unde adeo ratio variorum generalis & ultima petenda eſt. Sic in oculo varios humores, tunicas diverſas & alia varia conſentientia inter ſe & conſpirantia obſervas. Clara & diſtincta objectorum, organum ſenſorium ferientium, delineatio, quæ fit in fundo oculi, eſt principium commune, rationem communem & ultimam continens, ex qua oculi varia & eorum indoles & diſpoſitio intelligenda. Illuſtrationis cauſa repræſentes tibi perfectionem reipublicæ, horologii, & aliarum rerum, ſemper rationem aliquam ultimam deprehendes ob conſpirationem variorum, rem perfectam ingredientium. Per *rationem ultimam* intelligo illam, in quam rationes particulares reſolvuntur.

§. 130. In ratione ultima ſi gradus concipi poſſint, in ipſa quoque perfectione gradus dari clareſcit. Ratio ultima reipublicæ perfectæ eſt bonum publicum; ſed hoc admittit gradus; perfectio itaque reipublicæ graduum capax eſt.

§. 131. Cognitio intuitiva ſeu ſenſus perfectionis dicitur *voluptas*, quæ Gallis *le plaiſir* nuncupatur.

§. 132. Perfectio eſt vel vera vel apparens. Hinc *voluptas* vel *vera* vel *apparens* ſeu *imaginaria* eſſe debet (§. 131.).

§. 133.

Digitized by Google

§. 133. Voluptas apparens nititur perfectione apparenti ſeu erronea (§. 132.). Jam cum fieri poſſit, ut aliquis ſucceſſu temporis erraſſe ſe cognoſcat atque eo ipſo perfectionis ſenſus, quo ille hactenus gaviſus eſt, evaneſcat & in ſenſum imperfectionis degeneret; ipſa voluptas exſpirabit & mutabitur (§. 131.). Voluptas igitur apparens eſt mutabilis.

§. 134. Qui certus & convictus eſt de cognitione ſua, illi verendum non eſt, ne rem alio tempore ſibi aliter repræſentet. Ergo ſi quis certus ſit de perfectione, quam intuetur, illius repræſentatio reſpectu ejusdem perfectionis eadem manet & mutari neſcit. Jam vero cum illa perfectio vera ſit, de qua certi & convicti ſumus (§. 113. 62.); voluptas vera immutabilis ſit & durabilis neceſſe eſt (§. 132.).

§. 135. *Tædium* eſt ſenſus imperfectionis. Hanc mutationem mentis gallicum illud, *le deplaiſir*, optime exprimit.

§. 136. Cave ne habeas tædium pro nuda privatione voluptatis, cum illud poſitivi quiddam ſit in anima. Privatio enim voluptatis locum habet, ſi nullam nos ſentiamus perfectionem vel imperfectionem (§. 131.). Sed tædium oritur ex imperfectionis repræſentatione, quæ eſt poſitivi quiddam (§. 135.). Præterea notum eſt, & ex ſequentibus patebit, tædium degenerare poſſe in averſationem & affectum vehementem, qui non minus ac illa poſitivi quiddam eſt. Sed illud, ex quo poſitiva conſequuntur, poſitivum ſit neceſſe eſt.

§. 137. Tædium nititur vel imperfectione vera vel apparenti. Priori caſu *tædium verum*, poſteriori vero *apparens* ſeu *imaginarium* vocatur.

§. 138. Tædium verum eſſe durabile, apparens vero mutabile, mutatis mutandis ad imitationem (§. 133. 134.) facile demonſtrari poteſt.

§. 139. Ex gradibus perfectionis vel imperfectionis non minus, quam ex vividiori alterutrius repræſentatione gradus voluptatis vel tædii oriuntur (§. 131. 135.).

§. 140. Voluptas & tædium oriuntur ex confuſis perfectionum vel imperfectionum repræſentationibus (§. 131. 135. 27.).

§. 141.

Digitized by Google

§. 141. *Bonum* eſt quod nos noſtrumque ſtatum perficit. *Bonitas* eſt ſtudium alios perficiendi. Sic cultura ſcientiarum, virtutis ſtudium, converſatio cum viris ſapientibus, ſanitas corporis habentur pro bonis.

§. 142. Repræſentatio boni continet cognitionem perfectionis (§. 141.). Jam cum cognitio perfectionis excitet in nobis voluptatem (§. 131.); repræſentatio boni voluptatem in nobis excitare debet. Hinc *naturaliter bonum* eſt illud, quod vel voluptatem vel ſaltem nihil tædii nobis affert.

§. 143. Hinc *bonum verum* eſt, quo conſequimur voluptatem immutabilem, ſeu, quod nunquam tædium procreat; *apparens*, quod nobis affert voluptatem mutabilem, quæ ſæpius in tædium degenerat.

§. 144. Porro cum perfectio vel vera vel apparens ſit (§. 125.), vel ob id *bonum* vel *verum* vel *apparens* ſeu *imaginarium* eſt (§. 141.).

§. 145. *Malum* eſt quod nos noſtrumque ſtatum imperfectiorem reddit.

§. 146. Repræſentatio mali continet cognitionem imperfectionis (§. 145.). Jam cum cognitio imperfectionis excitet in nobis tædium (§. 135.); repræſentatio mali tædium in nobis excitare debet. Hinc *naturaliter malum* eſt illud, quod tædium in nobis progenerat. *Malum* proinde *verum* eſt, quod tædium immutabile; *apparens*, quod tædium mutabile in nobis excitat.

§. 147. Idea mali continet imperfectionem (§. 145.). Quæ cum vel vera vel apparens ſit (§. 127), *malum* vel *verum* vel *apparens* eſſe conſtat.

§. 148. Et in perfectione & in imperfectione concipi poſſunt gradus (§. 130.). Hinc & bonum & malum gradus admittit (§. 141. 145.). Si quis itaque bonorum vel malorum gradus velit cognoſcere, ei perfectionis vel imperfectionis gradus introſpiciendi ſunt.

§. 149. Bonum minus involuit perfectionem minorem



Digitized by Google

illa, quæ deprehenditur in bono majori. Sed perfectio minor eſt imperfectio comparativa ratione perfectionis majoris. E. Bonum minus continet imperfectionem comparativam. Quicquid imperfectionem comparativam continet, illud eſt malum comparativum (§. 145.). Ergo *bonum minus eſt malum comparativum ratione boni majoris*, ſeu, *minus bonum habet rationem mali.*

Huc quadrant B. THOMASII verba: "Bonum totius „eſt verum bonum; bonum partis, totum deſtruens, eſt „verum malum ſeu bonum apparens.„ Quam propoſitionem, cujus eximius uſus eſt in ardua materia de colluſione LL. officiorum & inde oriunda exceptione, in §. 87. c. I. Fund. J. N. & G. deprehendimus.

§. 150. Malum minus continet imperfectionem minorem illa, quæ deprehenditur in malo majori. Imperfectio minor eſt perfectio comparativa ratione imperfectionis majoris. Ergo malum minus continet perfectionem comparativam. Quicquid continet perfectionem comparativam, illud eſt bonum comparativum (§. 141.). Ergo *malum minus eſt bonum ratione mali majoris*, ſeu, malum minus habet rationem boni.

§. 151. Huc ſpectat propoſitio axiomatica, eaque inſignis momenti, qua Cel. noſter LEHMANNUS *in Trutina Europa* §. *LII. c. 2.* utitur, & quæ hujus tenoris eſt: incommodum minus quod majus ſequitur commodum, non eſt incommodum, ſed commodum, h. e. malum minus, quod majus & eminentius ſequitur bonum, non eſt malum ſed bonum. Hæc idem Dn. auctor fuſius uberiusque diſputavit *in philoſ. morali. L. I. c. III. Tract. II. ſect. III.* §. *XII. ſeqq. & in obſervat.* PUFFENDORF. *L. I. c. I.* §. *XVI. & c. V. p.* 199. *ſeqq.*

§. 152. Experientia nos edocet, mentem a voluptate concepta ſæpius progredi ad inclinationem; id quod etiam obtinere ſolet in tædio, a quo anima ad reclinationem tranſit, niſi ea principiis obſtet. Fieri enim poteſt, ut illud,

quod

Digitized by Google

quod perfectum vel imperfectum reputamus, ad nos noſtrumque ſtatum referamus, atque adeo pro bono vel malo habeamus (§. 141. 145.).

§. 153. Bonum repræſentari poteſt vel ope ſolius ſenſus vel auxilio intellectus, ſtricte ſumti (§. 26. 61.). Hinc & inclinatio & reclinatio duplicis generis ſunt.

§. 154. *Appetitus ſenſitivus* eſt inclinatio mentis ad objectum, a ſenſu tanquam bonum repræſentatum. Veteribus quibusdam appellatur *appetitus ſenſitivus concupiſcibilis.* Vid. B. THOMASIVS *in der Ausübung der Sittenlehre c. II. §. IX.*

§. 155. *Averſatio ſenſitiva* eſt reclinatio mentis ab objecto, a ſenſu nobis tanquam malum repræſentato. Hæc averſatio a veteribus *appetitus ſenſitivus iraſcibilis* dicta eſt. Vid. THOMASIVS *l. c.*

§. 156. Appetitus ſenſitivi & averſationes ſenſitivæ oriuntur ex confuſis noſtro quidem ſenſu §. 27. ita dictis repræſentationibus bonorum vel malorum.

§. 157. Et inclinationes & reclinationes mentis gradus admittunt. Hinc in ipſis appetitibus & averſationibus ſenſitivis gradus concipimus.

§. 158. Appetitus ſenſitivus vel averſatio ſenſitiva vehementior *affectus* dicitur.

§. 159. Ex definitione affectus patet, illum duplicis generis eſſe, inque *gratum & ingratum* recte dividi.

§. 160. Affectus eſt appetitus vel averſatio intenſior (§. 158.). Appetitus voluptatem & averſatio tædium ſupponit (§. 154. 155. 142. 145. 131. 135.). *Affectus itaque gratus* eſt voluptas vehementior, *ingratus* tædium intenſius.

§. 161. Quicquid locum habet in appetitu ſenſitivo & averſatione ejusdem generis generaliter, illud gradui eorum vehementiori competat, neceſſe eſt, vi dicti de omni. Ergo affectus oriuntur ex multiplici bonorum vel malorum repræſentatione (§. 158.). Hoc corollarium in doctrina de limitibus defenſionis dijudicandis adhibebimus.

§. 162.

Digitized by Google

§. 162. Experientia edocemur, cum affectu in mente orto, conjunctam eſſe extraordinariam ſanguinis & fluidi nervei commotionem, a qua tanquam a mechanico ad illum, tanquam ad ideale quid, in mente obvium, concludere ſolemus.

§. 163. Experientia nos edocet, dari in nobis *inſtinctus* ſeu *ſtimulos naturales*, qui ſunt appetitus ſenſitivi & averſationis ſenſitivæ ejusmodi ſpecies, in quibus cognitio boni vel mali vel obſcura ſolum, vel ita tenuiter clara in perceptione totali deprehenditur, ut tamen non fundet conſcientiam ſui, definitam ſuperius §. 57. Conferas Cel. BVLFFINGERI Dilucid. Phil. §. 292. Huc ſpectat inſtinctus ſeu deſiderium felicitatis, amor ſui, inſtinctus imitandi alios, ſtimulus curioſitatis, inſtinctus edendi, bibendi, ſe conſervandi, & defendendi vitam membraque corporis contra injurias & pericula externa, ſe reſtituendi in ſtatum plenariæ libertatis. Porro huc referantur inſtinctus procreandi ſui ſimile, concumbendi cum ſexu altero, ſtimulus libidinis, inſtinctus ſobolem nutriendi, educandi, conſervandi & cuſtodiendi &c.

Scholium 1) dantur actus, ad quos expediendos, e. gr. in educanda ſobole, obligamur, & qui conjuncti quidem ſunt cum multis incommodis, ad quos tamen ſuſcipiendos ſtimulo naturali, eodemque forti, qualis στοργὴ eſt, homines commoveri ſolent.

2) Nonnulli inſtinctus inſerviunt machinæ corporis conſervandæ & tuendæ; nonnulli indagando vero; nonnulli propagando generi humano. In quibus omnibus ſingularis conſpicua eſt providentia divina. Conf. §. 124. 137. ſeqq. ſpeciminum Juris Gent. Adnotavit *Cicero* inſtinctum principatus, qui conſideratu dignus eſt.

3) Nec ullum *forte* datur officium, ad quod explendum Deus nos natura obligare voluit, cui non reſpondeat inſtinctus quidam naturalis.

§. 164. Inſtinctus hos ad naturam noſtram ſpectare inferius

Digitized by Google

ſerius patebit. Neque adeo eos in concipiendo Jure Naturæ negligendos eſſe, ex materiis momentoſis ſpecialibus videbimus, dummodo notemus, nobis rationis ductum ſequentibus, liberum non eſſe, illos, a natura connexos, a ſe divellere. Quem nexum ſi introſpiciamus & ad ejus Autorem ſapientiſſimum referamus, *naturam non erubeſcendam, ſed venerandam* eſſe cum HIERONYMO & LACTANTIO fatebimur.

§. 165. Dominium, quod ſenſus, imaginatio & affectus perverſo ordine exercent in mentem, dicitur *ſervitus moralis*. Neque enim hoc in ſtatu actiones noſtræ penitus in poteſtate noſtra ſunt. Quid factu opus ſit in eripiendo ſe ex ſtatu ſervitutis moralis, id ipſa illius definitio indicat, inque doctrina morali commonſtratur.

§. 166. Inclinatio mentis in objectum pro ratione boni, quod in eo diſtincte cognoſcere nobis videmur, dicitur noſtra quidem ſignificatione *appetitus rationalis* ſeu *voluntas*.

§. 167. *Averſatio rationalis* ſeu *Noluntas* eadem ſignificatione eſt reclinatio mentis ab objecto pro ratione mali, quod in eo diſtincte cognoſcere nobis videmur.

Noluntatem non eſſe nudam voluntatis privationem vel intermiſſionem, demonſtrari poteſt eodem modo, quo idem de tædio evicimus (§. 136.).

§. 168. Repræſentationes rerum diſtinctæ intellectui tribuuntur (§. 61.). Ergo appetitus rationalis ſeu voluntas & averſatio rationalis ſeu noluntas intellectum præluce̲ntem poſtulant (§. 166. 167.).

§. 169. Vocabulum voluntatis ab aliis ſumitur generaliter pro quavis facultate appetendi vel pro omni mentis inclinatione & reclinatione, quæ vel ex confuſa vel ex diſtincta bonorum vel malorum repræſentatione ortum trahit. Sed cum inclinatio vel reclinatio, ex jam dicta confuſa boni vel mali repræſentatione orta, diverſa ſit in intellectu ab inclinatione vel reclinatione ex diſtincta boni vel

mali

Digitized by Google

mali repræſentatione oriunda; ad evitandam confuſionem omnino par eſt, ut inclinationes vel reclinationes poſterioris generis ſymbolice diſcernamus ab inclinationibus & reclinationibus prioris generis, illasque terminis appetituum vel averſationum rationalium ſeu voluntatis vel noluntatis indigitemus. Præterea libertas eſt axioma voluntatis. Jam cum diſtincta rerum cognitio a libertate mentis ſeparari neſciat per inferius demonſtrata; voluntatem pro inclinatione ex diſtincta boni repræſentatione oriunda ſtrictius ſumi omnino conveniens eſt. Id. quod de noluntate non minus valere debet.

§. 170. *Motiva* ſeu *cauſa moventes* ſunt repræſentationes bonorum vel malorum mentem determinantes.

§. 171. Motiva ſunt eorum, quæ nos perficiunt vel imperfectos reddunt, repræſentationes, voluntatem noſtram determinantes (§. 141. 145.).

§. 172. Repræſentationes rerum ſunt vel diſtinctæ vel confuſæ. Hinc *motiva* vel *diſtincta* vel *confuſa* ſunt (§. 170.). Voluptatem igitur & tædium præſens & præteritum, nec minus appetitus & affectus omnes, quos aliqua res vel olim excitavit vel jam excitare in nobis ſolet, numero motivorum accenſeri par eſt (§. 140. 156. 161.).

§. 173. Adeſſe ſemper debet ratio ſufficiens, cur appetamus vel averſemur, cur velimus, vel nolimus vel malimus (§. 44.), licet illæ rationes actibus conſuetudinariis ſæpius abſtruſæ indaginis ſint. Ab ignoratione noſtra rationis ſufficientis ad illius negationem N. V. C.

§. 174. Appetitus, averſatio, voluntas vel noluntas ordine absque motivis præviis concipi non poſſunt (§. 166. 167. 170. 168. 154. 155.). Eadem propoſitio patet ex (§. 173. 170.). Huc referas illud: Ignoti nulla cupido.

§. 175. *Lex appetitus* continetur hac propoſitione, veteribus jamjam frequentata: « Quicquid appetimus, illud „appetimus ſub ratione boni, & quicquid averſamur, illud

„ aver-

„ ſamur ſub ratione mali; ſeu: Nihil niſi bona volumus, „ & nil niſi mala nolumus, ſi vocabula voluntatis & noluntatis ſumantur generaliter (§. 169.). Hæc lex appetitus patet ex (§. 154. 155. 166. 167). Data opera de hac quoque egit CONRADVS HORNEIVS in *philoſ. morali L. II. c. IV. §. VIII. ſeq.*

*Conſectarium* 1. Cum lege appetitus copulata eſt propoſitio: Nihil niſi ea, quæ voluptatem afferunt volumus, & nihil niſi ea, quæ tædia procreant, nolumus (§. 142. 146.).

*Conſectarium* 2. Nemo gratis malus.

*Scholium* 1. Eandem Legem appetitus indicat Cic. in quæſtionibus Tuſc. hiſce verbis: Natura omnes, quæ bona videntur, ſequuntur, fugiuntque contraria.

*Scholium* 2. Ex hac lege, quæ eſt attributum proprium animæ noſtræ, §. 340. palmariam legem naturalem deducemus.

§. 176. Fieri poteſt, ut malum velle vel bonum nolle videamur; ſed in quibusdam ejusmodi caſibus malum ſub ſpecie boni & bonum ſub ſpecie mali nobis repræſentamus; quæ bona vel mala apparentia dicuntur (§. 143. 144. 147.). Idem contingere poteſt eo tempore, quo malum minus malo majori, vel bonum majus bono minori anteponimus. Equidem malum minus in ſe ſpectatum eſt malum (§. 145.) ſed comparate conſideratum eſt bonum ratione mali majoris, ſi nempe illud declinando hoc evitamus (§. 150.), & bonum minus, in ſe ſpectatum, eſt bonum (§. 141.), ſed, comparative acceptum, malum eſt ratione boni majoris, ſi illud adquirendo hoc perderemus (§. 149.). Quibus probe expenſis evaneſcent dubia, contra univerſalitatem legis appetitus formari ſolita.

§. 177. Antequam accedimus ad doctrinam de libertate mentis, quid neceſſarium ſit, & quid contingens, nobis penſitandum eſt.

§. 178.

§. 178. *Neceſſarium abſolute* tale, ut nos concipimus, eſt illud, cujus oppoſitum involvit contradictionem, e. gr. veritates Arithmeticæ, Geometricæ, Algebraicæ, Logicæ, Ontologicæ maximam partem; ita ſe habent, ut earum propoſitiones oppoſitæ involvant contradictionem. Sic ſi invertas regulas ſyllogiſticas, rigorem demonſtrandi, decalogi præcepta maximam partem, prodibunt propoſitiones contradictoria involventes, quales ſunt: ex puris negativis aliquid ſequitur; In prima figura major poteſt eſſe particularis; in demonſtratione admitti poſſunt principia precaria & nexus propoſitionum minus concatenatus. Ex hiſce aliisque exemplis innumeris perſpicuum eſt, cur *neceſſitas abſoluta* congrue dicatur *Mathematica*, *Geometrica*, *Arithmetica*, *Logica*, *Metaphyſica* ſeu *Ontologica*.

§. 179. *Contingens* eodem modo ſalutatur id, cujus oppoſitum non involvit contradictionem. Sic ſcriptio a ſiniſtris ad dextram, ceremoniale in præcepto tertio decalogi, introductio dominiorum & inde pendentium negotiorum, pretium rerum vulgare & eminens, methodus demonſtrandi aſcendendo a concluſione ad principia, lex numerandi decadica, dyadica, lingua particularis, e. gr. Germanica, numerus ſeptenarius teſtium in condendo teſtamento & infinita alia ita ſunt comparata, ut eorum oppoſitum non plane involvat contradictionem.

§. 180. Neceſſarium, abſolute tale, eſt illud, cujus oppoſitum eſt impoſſibile (§. 178. 38.). Contingens eſt, cujus oppoſitum eſt etiam poſſibile (§. 179. 38.).

§. 181. Impoſſibile eſt illud, cujus oppoſitum eſt neceſſarium (§. 180.). Hinc ſi quis demonſtraverit, oppoſitum alicujus rei eſſe impoſſibile, is eam eſſe neceſſariam ipſo opere evicit.

§. 182. Neceſſarium noſtrum vel in ſe ſpectatur vel reſpective ad ſyſtema quoddam e. gr. mundanum. Illud vocatur *neceſſarium internum*, quod cum abſolute tali coincidit (178.); hoc vero *neceſſarium externum* ſeu *extrin-*

*ſecum*

Digitized by Google

*ſecum* ſeu *hypotheticum*. Sic veritates, in §. 178. enumeratæ, ſunt neceſſariæ in ſe, per ſe & in quocunque conceptibili rerum nexu; ſed neceſſitas, in rebus §. 179. recenſitis obvia, eſt tantum hypothetica, quæ adeo contingentiam non tollit, ut potius in quodcunque neceſſarium hypothetice tale notio contingentis applicari poſſit (§. 179.), cum ſemper oppoſitum neceſſarii hypothetice & extrinſece talis ſit æque poſſibile.

§. 183. Si contuleris notionem hypothetice neceſſarii cum notione abſolute neceſſarii, diverſitatem unius ab altero mecum agnoſces (§. 51.). Sic ſi quis dixerit, introductionem dominiorum eſſe hypotheticæ neceſſitatis, hæc nunquam degenerare poteſt in neceſſitatem abſolutam, cum bonorum communio, dominiis oppoſita, permaneat ſemper æque poſſibilis, quæ oppoſiti compoſſibilitas neceſſitati quidem abſolutæ e diametro repugnat (§. 180.), cum contingentia tamen conſiſtit per §. cit.

§. 184. Neceſſitas hypothetica in mundo phyſico & morali deprehenditur. Et cum *neceſſitas hypothetica* nobis dicatur ſingulari ſenſu *certitudo*; illa non minus quam hæc in *phyſicam & moralem* diſpeſcitur: quarum prior in præſenti curſu naturæ, poſterior in actionibus entium liberorum rationem habet. Ad neceſſitatem moralem ſpectant initia, incrementa, decrementa & occaſus rerump. porro bella, fœdera & ſimilia alia.

§. 186. Si attenti ſimus ad actus noſtros liberos ſpeciales, ut quidem nos libertatem conſideramus, e. gr. ad electionem alicujus vitæ generis vel ſuſceptionem cujusdam negotii; deprehendimus in illis tria, a ſe invicem diverſa.

a) indolem eorum actuum nos intelligimus, h. e. diſtincte cognoſcimus (§. 61.);

b) eos non abſolute neceſſarios ſed contingentes eſſe obſervamus, quorum quippe actus oppoſiti æque poſſibiles ſunt (§. 180.);

c) repræſentationes, quibus tanquam motivis utimur

 (§. 170.),

(§. 170.), in mente reſident vel ex illa oriuntur; nec minus mens ſe ipſam vi propria ad rem, quæ ipſi probatur, inclinat; & ab ea, quæ ſibi diſplicet, reclinat. Unde patet, rationem actuum liberorum in ipſa mente contineri (§. 42.), ob quam rem illi noſtro ſenſu *ſpontaneitas* tribuitur, quæ adeo nihil aliud eſt, quam facultas mentis ſeipſam determinandi. Hinc eodem modo *actiones ſpontaneæ* ſunt, quarum ratio in ipſa mente continetur.

§. 187. Requiritur itaque ad actum noſtro ſenſu liberum per §. 186.

a) intelligentia actus,

b) illius contingentia,

c) ſpontaneitas.

*Libertas* ergo *mentis* eodem ſenſu eſt facultas illius vi ſpontaneitatis ex duabus vel pluribus rebus æque poſſibilibus eligendi illam, quæ ſibi quam maxime placet.

*Scholion. Electio* ſignificat actum, quo anima ſe determinat ad unam rem poſſibilem, collatam cum aliis rebus æque poſſibilibus, exiſtentiæ reddendam.

*Conſectarium* 1. Inde clarum eſt, electionem requirere contingentiam rei electæ (§. 179.).

*Conſect.* 2. Hinc ubi datur electio ibi nulla datur abſoluta neceſſitas ſimpliciter (§. 178.).

*Conſect.* 3. In rebus ita abſolute neceſſariis nulla concipitur electio, (per conſect. 2.); nec ulla libertas mentis.

*Conſect.* 4. Quo caſu duæ ad minimum res æque poſſibiles dantur, eodem & datur contingentia alterius utrius (§. 180.), & conſequenter electio & libertas locum habet. Hinc Lucretiæ, ſtuprum paſſæ a Sexto, tribuitur libertas: mortem enim amplecti poterat, quam Tarquinius minabatur. Huc ſpectat caſus, ubi victor victo vel mortem vel ſervitutem omnimodam eligendam proponit.

§. 188. Gradus libertatis ex gradibus intelligentiæ & contingentiæ dependent (§. 187.).

§. 189.

§. 189. Reſpectu libertatis *neceſſitas* dividitur in *intrinſecam & extrinſecam.* Illa oritur, ubi non niſi ad unicum determinati ſumus, ſeu ubi non niſi unicus agendi modus deprehenditur; hæc vero datur, ubi extra nos aliquid obvium eſt, cui reſiſtere non poſſumus. Utramque neceſſitatem reſpuit noſtra libertas mentis. Contingentia actus neceſſitatem intrinſecam (§. 186. 178.) & ſpontaneitas extrinſecam pati non poteſt (§. 186.).

§. 190. Motiva ſunt repræſentationes bonorum vel malorum mentem determinationes (§. 170.). Sed ejusmodi repræſentationes & conſequenter motiva non efficiunt, ut actus actui, ad quem ſuſcipiendum mens ſe determinat, oppoſitus isque æque poſſibilis, fiat impoſſibilis; motiva igitur actum contingentem in abſolute neceſſarium transmutare non poſſunt (§. 179.). Motiva proinde noſtræ libertati non officiunt (§. 186.). Ponamus, motiva adeſſe in aliquo, cur is academiam quandam aliis academiis præferat ſtudiorum tractandorum gratia, ecquis dixerit, electionem alius academiæ compoſſibilem motivis ejusmodi mutatam fuiſſe in impoſſibilem, abſolute talem? Ex quibus omnibus patet, quod motiva actionem aliquam in ſe neceſſariam non efficiant §. 180.).

§. 191. Nec motiva actionem reſpectu noſtri ita neceſſariam reddere ſolent, ut illam non poſſimus non exequi. Experiundo enim quotidie cognoſcimus; quod, licet cauſæ moventes ſat graves adſint, quibus ad actum quendam liberum expediendum determinamur, in ipſo tamen actu executionis oriantur novæ boni vel mali repræſentationes, quibus vel ad actionis omiſſionem vel actum alium plane contrarium effectu dandum commovemur. Quæ propoſiti mutatio non contingeret, ſi motiva in nobis ſuborta actionem ratione noſtri abſolute neceſſariam efficerent.

§. 192. Quatenus per §. 189. & 190. motiva actionem aliquam neque in ſe, neque reſpectu noſtri, vel in ipſo



Digitized by Google

articulo executionis, non abſolute neceſſariam efficiant, menti a ſcholaſticis recte tribuitur *indifferentia exercitii*. Indifferens enim anima per naturam deprehenditur ad agendum, agendum hoc vel iſto modo.

§. 193. Dantur motus corporis, qui a decreto voluntatis dependent, dantur alii, qui minus. Illi *motus corporis voluntarii*, hi *neceſſarii* ſeu *vitales* dicuntur. Hinc etiam motus corporis neceſſarii ſunt, quorum ratio in corpore ſolo continetur, & qui dicuntur alias *actiones hominis*, ab *actionibus humanis* diſtinguendæ. Huc ſpectat *regimen corporis*, quod animæ tribuitur, quatenus illa libere decernit motus, quos corpus exequitur & qui contingentes ſunt; cum alii motus illis oppoſiti vi ſtructuræ corporeæ æque poſſibiles ſint (§. 179.).

§. 194. Actus liberi noſtri ita ſunt comparati, ut ex illis, a nobis editis, multæ cooriantur mutationes ratione ſtatus noſtri tam interni quam externi. Hoc principium experientiæ maximi momenti eſt & digniſſimum, quod in dies etiam atque etiam ponderetur.

*Scholion.* Ejusmodi mutationes vel beneficio rationis (§. 93.), vel ope experientiæ (§. 65.) adnotantur. Et cum prior via variis, & ſuperari ſæpius neſciis, difficultatibus obnoxia deprehendatur, recurrendum nobis eſt cumprimis ad modum alterum, & expectationem caſuum ſimilium (§. 70.).

§. 195. Status, ex actibus liberis oriundi, vel conſentiunt ſtatibus præviis vel illis contradicunt, vel, ſi malueris, actiones liberæ producunt vel ſtatus conſentientes vel repugnantes, teſte experientia. Priori caſu ſtatus noſtri perfecti, poſteriori vero imperfecti ſunt (§. 124. 126.) Ergo actus liberi vel perfectionem vel imperfectionem noſtram promovent.

§. 196. *Status*, quem nanciſcimur actionibus noſtris liberis, dicitur *moralis*. *Status moralis* eſt vel *perfectus* vel *imper-*

Digitized by Google

*imperfectus* (§. 195.). Et *actiones* ipſæ ejusmodi ſtatum producentes, *morales* appellantur.

§. 197. Actiones liberæ vel perfectionem noſtram vel imperfectionem promovent (§. 195.). Ergo actiones liberæ ſunt bonæ vel malæ (§. 141. 145.).

§. 198. Actiones morales ſunt vel bonæ vel malæ (§. 196. 197.).

§. 199. Si quis itaque moralitatem, h. e. bonitatem vel pravitatem actionis, noſtra & plurium aliorum ſententia, dijudicare velit, ipſi inquirendum eſt, quasnam mutationes tam in ſtatu interno quam externo producant & utrum ſtatus novus conſequens ſtatui antecedenti conſentiat vel contradicat (§. 198. 195. 194.). De moralitate actionum §. 327. 410. ſeqq. egimus.

§. 200. Actio libera noſtro ſenſu eſt ita comparata, ut illam diſtincte cognoſcamus (§. 186.). Cognitio diſtincta ad intellectum ſpectat (§. 61.). Ergo libertas noſtræ mentis hac ratione ab intellectu dependet. Hinc actio libera prælucente intellectu fieri debet. Et cum bruta intellectu deſtituantur, ad edendos actus liberos inepta ſunt. Id quod applicandum ad homines inter bruta, vel inſtar brutorum, educatos.

§. 201. Mens libere agens diſtincte introſpicit actiones liberas (§. 186.). Actiones liberæ ſunt vel bonæ vel malæ (§. 197.). Ergo mens libere agens perſpicit diſtincte actiones bonas vel malas. Sed ex cognitione diſtincta boni & conſequenter actionis bonæ voluntas (§. 166.), & ex repræſentatione diſtincta actionis malæ noluntas oritur (§. 167.); ergo mens, quatenus libere agit, vult vel non vult. Ergo libertas agendi a voluntate inſeparabilis eſt. conf. 169. Hinc *actio* libera voluntatis decretum requirit, & *humana* appellatur. conf. §. 193.

*Scholium. Libertatem mentis eſſe attributum proprium voluntatis*, id patet ex collatione definitionum utriusque (§. 166. 187.). Oritur quippe voluntas ex diſtincta boni,

quod contingens eſt (§. 179. 180.), repræſentatione, quæ intelligentiam actionis indicat (§. 61.) & quæ conjuncta eſt cum illius contingentia. Sed inclinatio mentis, in voluntate obvia, ſpontaneitatem requirit (§. 186. c.); Manifeſtum itaque eſt aſſertum.

§. 202. Illud quod rationem exiſtentiæ alicujus rei in ſe continet, ejus dicitur *cauſa*; illud cujus exiſtentiæ ratio continetur in altero, *effectus* audit.

§. 203. Inter cauſam & effectum datur nexus (§. 202. 73.).

§. 204. Ex actionibus liberis oriuntur mutationes, quæ ſunt illarum, ceu cauſarum, effectus (§. 202.). Qui itaque diſtincte actionem liberam cognoſcit, mutationes, adeoque effectus earum, nec minus nexum, qui eſt inter actiones & earum effectus (§. 203.) inſpicit. Sed actiones & effectus earum poſſibilibus annumerantur (§. 38.); qui ergo diſtincte actionem liberam cognoſcit, nexum certorum poſſibilium introſpicit. Ejusmodi facultas inſpiciendi nexum poſſibilium dicitur ratio (§. 93.); qui igitur actionem liberam diſtincte ſibi repræſentat, ratione præditus ſit neceſſe eſt. Ergo mens libere agit, quatenus rationis uſu pollet. Ergo ſublata ratione, tollitur noſtra libertas. Hinc ratio eſt fundamentum illius libertatis & a libertate eadem uſus rationis inſeparabilis eſt. In quo itaque nulla ratio deprehenditur, in illo nulla datur libertas.

§. 205. Ex §. 204. patet, cur voluntas dicatur appetitus rationalis, & noluntas averſatio rationalis (§. 166. 167.). A voluntate nimirum illa inſeparabilis eſt libertas, quæ cum rationis uſu copulata eſt (§. 204.). Ergo a voluntate noſtra ratio divelli non poteſt.

*Scholion.* Fundamentum argumentationis, qua in hoc & præcedenti §. utimur, ad canonem ſequentem redit: quæ connexa ſunt cum eodem tertio, ea connexa ſunt inter ſe.

§. 206.

Digitized by Google

§. 206. Nihil niſi bona cognita volumus, & nil niſi mala repræſentata nolumus (§. 175.). Jam cum intellectus in ſuis repræſentationibus cogi nequeat; inclinatio & reclinatio, adeoque voluntas & noluntas coactionis omnis expers eſt. Dantur quidem caſus, ubi voluntas videtur coacta, ſed illi ita ſe habent, ut ab executione voluntatis aliquis tantum refrænetur, ſalva manente voluntate ſeu inclinatione mentis. Si inclinatio, qua quis erga aliquod objectum fertur ope coactionis externæ, manentibus tamen iisdem boni repræſentationibus, in reclinationem ab eodem, vel ſi ratione converſa averſatio in inclinationem mutari poſſit; hæc voluntas eſſet coacta. Sed ejusmodi transmutatio impoſſibilis eſt.

§. 207. Omnes facultates, quas hactenus a poſteriori annotavimus, ad duas generales reduci poſſunt, quarum alteram *cognoſcitivam*, alteram *appetitivam* vocabimus. Earum quælibet habet certas regulas, quibus conformiter agit. Sed cum illæ regulæ, quibus attemperatur facultas cognoſcitiva, ad Logicam ſpectent, & eæ, quas obſervat facultas appetitiva, in philoſophia morali tractari ſoleant; *Leges*, ex quibus vires mentis noſtræ dijudicari debent, *Logico-morales* commode ſalutantur.

§. 208. Habitus acquiritur exercitio.

§. 209. *Exercitium* abſolvitur crebriori actuum homogeneorum reiteratione. *Per actus homogeneos* intelligo eos, in quorum uno deprehendimus, quæ in altero obſervamus. Ejusmodi actus obvii ſunt in exercitiis ſaltatoriis, digladiatoriis, muſicis & infinitis aliis.

§. 210. Habitus acquiritur crebriori actuum homogeneorum reiteratione (§. 208. 209.). Hinc nemo naturaliter repente fit turpiſſimus vel honeſtiſſimus.

§. 211. Ex exercitio oritur facilitas ſeu *promtitudo* edendi actum aliquem breviori temporis ſpatio & minori operæ gradu. Huc referas dexteritatem agendi.



Digitized by Google

§. 212. *Habitus* eſt promtitudo agendi acquiſita crebriori actuum homogeneorum repetitione (§. 210. 211.).

§. 213. Habitus agendi ex determinatione præterita dicitur *conſuetudo agendi*. Ad agendum opus eſt in nobis determinatione ad ſuſcipiendam actionem, e. gr. ſummorum pulveris ſternutatorii. Si quis juxta ejusmodi in anima ſubortam determinationem vice ſæpius iterata egerit, oritur habitus (§. 212.), qui conſuetudinis nomine venit. Ad conſuetudinem itaque uniformitas & continuitas actuum, nec non lapſus temporis, quo ſæpius reiteratur actus aliquis, requiritur.

§. 214. Per *diſpoſitionem naturalem* intelligimus poſſibilitatem agendi ſeu aptitudinem entis ad modos admittendos vi eſſentiæ ſuæ.

§. 215. Habitus ſupponit actualia (§. 212.). Ab actualitate ad poſſibilitatem agendi valet argumentatio. Ergo habitus requirit poſſibilitatem agendi, adeoque & diſpoſitionem naturalem (§. 214.). Hinc etiam *habitus* definitur per promtitudinem, diſpoſitioni naturali ſuperadditam.

§. 216. Ad habitum acquirendum requiruntur actus homogenei (§. 212.), qui ſunt vel ſimplices vel ex hiſce compoſiti.

§. 217. Actus compoſitus ſupponit actus ſimplices (§. 216.).

§. 218. Nemo feliciter exercebit actum compoſitum, niſi qui actus ſimpliciores ſibi familiares reddiderit (§. 217.). Huc referas illud: non multa, ſed multum. Hinc caveamus a penſis, vel nimis arduis vel nimis puſillis. Quam cautionem cum rationibus ſufficientibus præſcribit *Verulamius in ſermonibus fidelibus*. Hæc brocardica notanda ſunt in acquirendis habitibus intellectus & voluntatis, in incrementis virtutum & decrementis vitiorum.

§. 219.

Digitized by Google

§. 219. Experientiæ, naturæ & rationi conformis eſt regula: a ſimplicioribus initium eſt faciendum & inde progrediendum ad magis compoſita (§. 218.).

§. 220. Actus ſimplices ſunt expeditu faciliores actibus compoſitis. Hinc regula præcedens degenerat in hanc: A facilioribus progrediendum ad difficiliora.

§. 221. Habitus acquiritur crebriori actuum homogeneorum exercitio (§. 212.). Actus homogenei ſunt vel ſimplices vel compoſiti (§. 216.). Ergo dantur habitur actuum homogeneorum tam ſimplicium quam compoſitorum.

§. 222. Actus compoſitus ſupponit ſimplices (§. 217.). Habitus ergo actnum compoſitorum ſupponit habitus actuum ſimplicium.

§. 223. Species habituum compoſitorum eſt habitus meditandi, qui conſtat ex ſimplicioribus habitibus, formandi quippe notiones diſtinctas, eruendi propoſitiones & ratiocinia, nanciſcendi experientias, concinnandi demonſtrationes &c.

§. 224. In conſiderando & acquirendo habitu compoſito, ille eſt reſolvendus in habitus ſimpliciores, donec pervenias ad habitus actuum ſimpliciſſimorum, unde fieri debet auſpicium (§. 222. 219. & 220.).

§. 225. Jam tranſeamus ad contemplationem *naturæ*, quam *in genere* ſumtam dicunt nonnulli philoſophi *movendi principium internum*, unde res quælibet ſuam eſſentiam & operationes habet. Hanc definitionem aſſumit Ill. BOEHMERVS *in Tr. Juris Publ. Un.* §. 3. *c.* 1. *part. gen.* Nec minus idem Vir Celeberrimus §. 4. *cap. ej. naturam hominis* definit per principium agendi intrinſecum, ex quo peculiares actiones, quæ propterea humanæ & morales vocantur, producuntur. De quibus notionibus jam meditemur, cum conceptum Juris naturæ, qui compoſitus eſt, formare non poſſimus, niſi terminum Naturæ ſimpliciorem evolverimus. Id quod non minus eam ob rem factu opus eſt, ne ſphæram

legum naturalium tranſiliamus & *μετάβασιν εἰς ἄλλο γένος* turpem committamus.

§. 226. Cum ad naturam humanam corporis non minus quam animæ natura ſpectet, conſideratione corporis ſuperſedere eo minus poſſumus, quo magis illa ad differentiam, quæ eſt inter animæ & corporis indolem, introſpiciendam & determinandam neceſſaria ſit.

§. 227. *Eſſentia* complectitur ea, quæ alicui rei conſtanter inſunt, & quorum unum ab altero non determinatur, ſeu, quorum unum ex altero non concipitur. Hinc & nobis eſſentia eſt primum, ex quo poſſum reddere rationes omnium eorum, quæ in aliqua re deprehenduntur.

§. 228. In omni ente dantur quædam, quæ unice & immediate ex eſſentia illius concipiuntur, & quæ nomine *prædicatorum rei primariorum* ſeu *attributorum* veniunt. Quorum ea *communia* vocantur, quæ ex uno, vel quibusdam eſſentialibus intelliguntur; *propria* vero, quæ ex omnibus eſſentialibus concipiuntur. Eſſentialia majeſtatis imperio ſummo in civitate abſolvuntur. Quæ ex conceptu juris concludimus, ſunt attributa majeſtatis non niſi communia; ſed quæ ex toto imperio ſummo in civitate concipiuntur, qualia ſunt jus ferendi LL. civiles, jus puniendi, poteſtas judiciaria ſumma, jus circa ſacra, reliqua, attributa illius propria, jura majeſtatica vocari ſolita appellantur.

Fieri poteſt, ut in ente obvia ſint, quæ non unice ex illius eſſentia, ſed & aliunde concipiuntur, & quæ *prædicata rei ſecundaria ſeu modi* audiunt.

§. 229. Prædicata rerum primaria ſunt ab eſſentia rei & a re ipſa inſeparabilia. Ea enim ex eſſentialibus unice concipiuntur (§. 228.), & conſequenter in hiſce unicam rationem habet (§. 42.), atque adeo ſibi cum illis nexus intercedit indivulſus (§. 73.), qui inſeparabilitatem indicat. Id quod etiam valet de prædicatis ſecundariis, quatenus illa ex eſſentia pendent (§. 228.).

§. 230. Dantur innumeræ mutationes in corpore, teſte experientia.

§. 231.

Digitized by Google

§. 231. Anima ſui ſibi conſcia eſt (§. 6.), percipit (§. 7.), cogitat (§. 11.), format notiones (§. 16. ſeqq.) & definitiones (§. 24.), ſentit (§. 27.), imaginatur (§. 32.), fingit (§. 36.), attenta eſt (§. 49.), reflectit (§. 54.), abſtrahit & notiones generales format (§. 56.), judicat (§. 59.), ratiocinatur (§. 60.), experitur (§. 65.), demonſtrat (§. 74.), a cognitis ad incognita progreditur (§. 83.), ſimilitudines rerum velociter obſervat (§. 89.), nexum poſſibilium introſpicit (§. 93.), voluptatem & tædium percipit (§. 131. 135.), appetit, averſatur, vult, non vult, mavult (§. 154. 155. 166. 167.), & quæ ſunt alia. Unde patet, innumeras in anima dari mutationes, teſte experientia.

§. 232. Mutationes, in corpore & in anima obviæ, debent habere rationem ſufficientem (§. 44.).

§. 233. Quidquid habet rationem ſufficientem, illud habet principium (§. 42.). Ergo mutationes & corporis & animæ habent principium. Principium in anima obvium eſſe diverſum a principio mutationum corporis ex ſequentibus clarum fiet.

§. 234. Mutationes & animæ & corporis ſunt res actuales. Principium ergo utriusque ſubſtantiæ, ex quo mutationes ſeu operationes pendent, actuoſum ſit neceſſe eſt. Ejusmodi itaque principium non nuda agendi poſſibilitate ontologica, quæ ad actuandam rem non ſufficit, cum a poſſibilitate ad actualitatem argumentari non poſſimus, ſed actuoſo quodam conatu ſeu niſu agendi abſolvitur, qui erumpit, niſi impedimentum quoddam obſtet. Si tibi vocabulum conatus vel niſus diſpliceat, ſubſtituas aliud æquipollens. Suffecerit nos jam ſcire, operationes vel mutationes & animarum & corporum poſtulare principia actuoſa, quorum contingentia cum demonſtrari poſſit, ea non ſunt entia a ſe, ſed potius ab Ente a ſe ſeu DEO ratione & eſſentiæ & exiſtentiæ dependent, id quod in Theologia naturali evincitur. Conf. §. 293. 294. 299.

§. 235.

§. 235. Principium actuoſum dicitur *vis* ſeu *virtus*. Non inconveniens eſt vocabulum *vis*, cum in infinitis caſibus ad vires & animarum & corporum provocare ſoleamus, ſi quid nimirum viribus noſtris vel proportionatum ſit vel minus, quod vel in noſtra poteſtate vel extra illam poſitum appellatur. Hinc jamjam veteres, teſte vel ſolo Epicteto, inculcarunt, affectanda non eſſe, quæ extra noſtram poteſtatem deprehenduntur, quæ aliter explicari non poſſunt, niſi per ea, quæ vires noſtras transgrediuntur.

§. 236. Si velis principium actuoſum explicare per conatum agendi (§. 234.), vires & corporis & animæ etiam conatus agendi ſunt (§. 235.) atque ita comparatæ, ut eas non ſolum a Deo diverſas eſſe, ſed etiam ratione non minus eſſentiæ quam exiſtentiæ a Deo dependere, ex theologia naturali ſciamus (§. 234.). Quo pacto a pluribus ævi & antiquioris & recentioris nos ſeparamus, qui vires, principia, actuoſa, naturas cum Deo & ente a ſe confuderunt.

§. 237. Ejusmodi principium actuoſum, in aliqua re exiſtenti obvium, dicitur nobis *Natura illius in genere* ſumta.

§. 238. Natura illa rei conſtat vi activa, quæ in illa deprehenditur (§. 237. 235.). Hinc etiam veteres per *naturam* intellexerunt vim activam, unde actiones alicujus entis pendent.

§. 239. Natura rei alicujus (finitæ) conatu agendi abſolvitur (§. 237. 234.).

§. 240. Quicquid ex entis alicujus principio actuoſo, vel vi activa vel conatu agendi conceptibile eſt, illud nobis *naturale* dicitur (§. 237. 238. 239.).

§. 241. *Vivere convenienter naturæ* rei nobis perinde eſt ac vivere convenienter vel principio actuoſo vel vi activæ vel conatibus agendi illius entis (§. 237. 238. 239.).

§. 242. In corpore datur

1) modus compoſitionis ſeu ſtructura,
2) vis inertiæ ſeu reſiſtentiæ,
3) vis activa ſeu motrix (§. 234. 235.).

Hæc

Hæc tria in corpore ſemper coëxiſtunt; ad evitandam tamen confuſionem conſultum eſt, ut illa idealiter a ſe invicem ſeparemus.

§. 243. Demonſtrari poteſt, modum compoſitionis ſeu ſtructuram eſſe cujuscunque *compoſiti*, adeoque *& corporis eſſentiam*, ut eam nos quidem concipimus.

§. 244. Eſſentia corporis ſeu ejus ſtructura cum vi inertiæ ſumta dicitur nobis *materia illius*, cujus intuitu corpus dicitur ens paſſivum.

§. 245. Vis motrix ſeu activa, quæ corporibus inexiſtit, dicitur noſtro ſenſu *illius natura* (§. 238.).

§. 246. Eſſentia corporis ab ipſius natura hoc modo differt (§. 243. 245.).

§. 247. Anima noſtra ſibi repræſentat mundum pro ſitu corporis ſui teſte experientia.

§. 248. In anima datur principium facultatum, potentiarum & mutationum (§. 233.), & conſequenter vis (§. 235.), eaque repræſentiva mundi (§. 247.), quæ conſtituit illius naturam (§. 238.).

§. 249. Cum ex hac vi repræſentativa, noſtra quidem ſententia, omnium, quæ in anima dantur rationes concipi poſſint, vim hanc *eſſentiam animæ*, ut hanc quidem concipimus, abſolvere (§. 227.) credimus.

§. 250. Animæ vis repræſentativa univerſi noſtro ſenſu cum illius natura & eſſentia coincidit (§. 248. 249.). Hæc tria itaque identificari & reciprocari poſſunt reſpectu animæ.

§. 251. Ergo ea, quæ fluunt ex eſſentia animæ, etiam ex ejus natura derivari poſſunt, & vice verſa (§. 250.). Ergo ea, quæ deducuntur ex eſſentia animæ, noſtra ſententia quoque ex ejus vi repræſentativa univerſi deduci poſſunt & vice verſa (§. cit.). Ergo ea quæ concipiuntur ex natura animæ, etiam ejus vi repræſentativa concipi poſſunt & v. v. (§. cit.). Hinc naturalia & eſſentialia animæ coincidunt & reciprocabilia ſunt.

§. 252.

§. 252. Vivere convenienter naturæ animæ perinde nobis quidem eſt ac vivere convenienter vel eſſentiæ vel vi illius repræſentativæ (§. 251.). Inde perſpicuum eſt, quid hac ratione ſit vivere diſconvenienter naturæ animæ ſeu contra ejus naturam.

§. 253. Illæ normæ ſeu leges, quæ vel ex animæ eſſentia vel ex ejus vi repræſentativa concipi poſſunt, ad jus N. humanum ſeu hominibus proprium ſpectant (§. 251.).

§. 254. *Naturale* omne illud noſtra ſententia eſt *animæ*, quod vel ex ejus vi repræſentativa vel ex ejus eſſentia concipi poteſt (§. 251.).

§. 255. Dantur facultates, potentiæ, appetitus & inſtinctus varii, (per §§. ſuperiores), qui ex ejus vi repræſentativa tanquam ex ejus eſſentia (§. 249.) concipi poſſunt. Omnes itaque ejusmodi facultates, potentiæ, appetitus & inſtinctus ſeu ſtimuli inter naturalia animæ recte referuntur (§. 254.). Hinc etiam ejusmodi facultates & potentiæ dicuntur animæ naturales & eſſentiales.

§. 256. Eſſentia corporis ab ipſius natura differt (§. 246.). Sed eſſentia animæ a natura illius non differt (§. 250.). Ergo natura animæ differt a natura corporis.

§. 257. Si quis velit eſſentiam rei alicujus cum vi activa copulatam accipere pro *natura rei*, non repugnabimus, præcipue cum hæc acceptio ſcopo noſtro quam maxime velificetur. Conf. §. 757. Met. Wolff.

§. 258. Admiſſo hoc ſignificatu, omne illud dicendum *naturale*, quod ex eſſentiis & viribus activis rerum concipi poteſt.

§. 259. Eſſentiam corporis noſtra ſententia ſtructura illius abſolvit (§. 243.). Poſita ergo naturæ definitione, §. 257. allata, *naturam corporis* ſtructura illius cum vi activa ſeu motrice copulata abſolvit.

§. 260. Quicquid itaque ex ſtructuris corporum humanorum & eorum viribus activis ſeu motricibus concipi poteſt, illud nobis *naturale* dicitur *in corpore humano*.

§. 261.

Digitized by Google

§. 261. Admiſſa definitione naturæ §. 257. allata, eſſentia animæ cum ejus vi repræſentativa copulata conſtituit *naturam animæ*. Sed eſſentia animæ cum ejus vi activa coincidit (§. 250.); Ergo natura animæ noſtro ſenſu vel ſola ejus eſſentia vel ſola ipſius vi activa abſolvitur. Quæ concluſio (§. 250.) jamjam demonſtrata eſt.

Hinc ſi admiſeris hanc alteram naturæ definitionem latiorem, ex illa §§. 251. 252. 253. 254. 255. etiam concipimus.

§. 262. *Lumen mentis*, §. 22. definitum, dicitur etiam *naturale*, quatenus illud ex hac vi repræſentativa dependet.

§. 263. In natura corporis concipiuntur duo diverſa a ſe invicem, ſi admiſerimus definitionem (§. 257.) prolatam, in natura vero animæ datur unica vis, quæ identificatur cum ipſius eſſentia (§. 249. 250.); ergo vel ob id natura corporis a natura animæ differt. Quamcunque itaque ex definitionibus allatis aſſumſeris, diverſitatem hanc cognoſces.

§. 264. Naturale in corpore differt a naturali in anima (§. 263.).

§. 265. Vis animæ repræſentativa ſeu ejus natura (§. 248.) obſervat LL. Logico morales (§. 207.) vis activa ſeu motrix corporis agit ſecundum noſtra quidem cogitata juxta leges mechanicas, quod ultimum ex phyſicis patet. Jam cum Leges Logico Morales differant toto cœlo a legibus Mechanicis; vis animæ ſeu ejus natura a vi corporis ſeu ab ejus natura toto cœlo differt.

En novam differentiam inter naturam corporis & animæ, quamcunque ex notionibus naturæ (§. 237. 257.) datis admittere volueris.

§. 266. Natura humana noſtro ſenſu vi repræſentativa animæ, ſtructura corporis, ejusque vi activa, unitis inter ſe, conſtat (§. 4. 259. 281.).

§. 267. Natura itaque humana ex duabus naturis, a ſe quidem diverſis, inter ſe tamen unitis, abſolvitur. Id quod indicavi (§. 4.).



Digitized by Google

§. 268. Jus naturæ humanæ ſe extendit ad LL., ex corporis eſſentia ſeu ſtructura, ex illius vi motrice & ex vi repræſentativa animæ conceptibilis (§. 266.).

§. 269. Attributa corporis ab ejus eſſentia ſunt inſeparabilia (§. 228.). Jam cum eſſentia corporis ſeu ejus ſtructura ad naturam illius referenda ſit (§. 259.); attributa corporis ſunt ab ejus natura inſeparabilia.

Quicquid itaque ex attributis corporis concipi poteſt, illud ab illius natura eſt inſeparabile, & conſequenter ipſius naturæ conveniens ſeu *naturale corpori* eſt.

Hac propoſitio poteſt generaliſſime formari de eo, quod *naturale alicui rei* eſt.

§. 270. LL. ex attributis corporis humani conceptibiles ad J. N. ſpectant (§. 269.).

Hæc propoſitio inſervit dijudicandis caſibus quibusdam in moderamine inculpatæ tutelæ obviis, e. gr. ratione regreſſus ejus, qui ab aggreſſore in periculum vitæ conjicitur.

§. 271. Attributa animæ ab ejus eſſentia ſunt inſeparabilia (§. 228.). Sed cum eſſentia illius naturam conſtituat (§. 249.); attributa animæ ab ejus natura ſunt inſeparabilia, adeoque ei naturalia. Quicquid itaque ex attributis animæ concipi poteſt, illud ex ejus natura conceptibile & conſequenter *animæ naturale* eſt.

§. 272. Natura humana naturis animæ & corporis unitis abſolvitur (§. 4.) Sed attributa animæ ab illius natura (§. 271.), & attributa corporis ab ejus natura (§. 269.) ſunt inſeparabilia; Ergo attributa animæ & corporis, inter ſe unita, a natura humana ſeparari neſciunt & ex illa ſunt conceptibilia.

§. 273. Quicquid ex attributis animæ & corporis inter ſe unitis concipi poteſt, a natura humana ſeparari non poteſt (§. 272.).

§. 274. Normæ ſeu leges, ex attributis animæ & corporis inter ſe unitis conceptibiles, a natura humana inſeparabiles ſunt (§. 273.).



Digitized by Google

§. 275. Dantur facultates & potentiæ, in anima & corpore obviæ, quæ eorum attributa conſtituunt. Quicquid ergo ex facultatibus & potentiis corporis & animæ, *in unione ſumtis*, concipi poteſt, illud a natura humana divelli non poteſt (§. 273.).

§. 276. Quid ſit *lumen mentis naturale*, ex §§. 271. & 275. novâ vice patet.

§. 277. Normæ ſeu leges, ex facultatibus & potentiis corporis & animæ, *in unione ſumtis*, conceptibiles, a natura humana ſeparari nequeunt (§. 275.), & conſequenter homini, quà homini, *naturales* ſunt.

§. 278. Quænam pugnent cum natnra rerum in genere ex §. 257.; cum natura corporis noſtri ex §. 259. & 269.; cum natura mentis ex §. 261. 271.; cum natura humana ex §§. 266. 273. 275. facile perſpici poteſt.

§. 279. Quid ſit *convenienter vivere* naturæ rerum in genere, ex §. 257.; naturæ corporis noſtri, ex §. 259. 269.; naturæ animæ ex §. 261. 271.; naturæ humanæ, ex §. 266. 273. 275. perſpicuum eſt.

§. 280. Omnes facultates & potentiæ mentis ad Leges Logico-Morales (§. 207.), & ea, quorum corpus capax eſt, ad Leges, quas ſaltim maxime Mechanicas admiſeris, reduci poſſunt. Hinc *vivere natura humana convenienter* perinde eſt ac vivere convenienter Legibus Logico-Morali-Mechanicis, copulative ſumtis (§. 275.).

§. 281. Ad *prima natura homini* noſtra ſententia *cum brutis communia*, quæ haud iucongrue *naturam animalem* abſolſolvere dicuntur, referas ſenſationem (§. 26.), phantaſiam (§. 32.), aſſociationem imaginum & affectuum (§. 34.), memoriam (§. 48.), analogum rationis (§. 107.), appetitus ſenſitivos (§. 154.), affectus (§. 157.), inſtinctus & ſtimulos naturales, quorum mentionem feci (§. 163. 164.), ſpontaneitatem (§. 186.). Normæ, quæ ex hiſce omnibus derivari poſſunt, ſpectant ad ita dictum Jus Naturæ, quod natura omnia animalia docuit & quod cadit in hominem, qua animal.



Digitized by Google

§. 282. *Primis naturæ homini propriis*, quæ *naturam rationalem* diſtinguunt, annumeres actum reflectendi (§. 54.), comparandi (§. cit.), ideas generales & definitiones formandi (§. 56.), judicandi (§. 59.), ratiocinandi (§. 60.), experiundi (§. 69.), demonſtrandi (§. 74.), intellectum (§. 81.), rationem (§. 93.), voluntatem (§. 166.), noluntatem (§. 167.), libertatem (§. 186. 187.).

Hæc attributa hominis communia & propria, h. e. ejus natura & animalis & rationalis, conſtituant *naturam humanam*, & ex quibus adeo jus N. noſtrum humanum concipitur, quod non in bruta ſed in hominem, quà talem cadit. Conf. §. 55.

§. 283. Si percurras facultates & potentias animæ, cohæſionem vel nexum in illis obſervabis, præcipue cum ex principio communi interno activo conceptibiles ſint. De qua cohæſione valebit, quod jamjam §. 164. de inſtinctibus naturalibus indicavimus. Quam copulam ſi quis, vel obſervaverit vel violaverit in actionibus ſuis, is *natura humana convenienter* vel *diſconvenienter vixiſſe* cenſendus eſt.

§. 284. Natura humana & ejus facultates vel potentiæ, eaque, quæ legitime argumentando inde deduci poſſunt, ab homine ſibi relicto abſtractione interveniente absque theologia naturali æque ac Matheſis, Phyſica, Logica, Ontologia cognoſci poſſunt, quamvis hoc ipſo non negentur, quæ theologia naturalis proponit, id quod ex inferius dicendis manifeſtum erit.

§. 285. Ad naturam accedere poteſt cultura & ars, quæ cum naturæ æmula ſit, veſtigiis naturæ attemperanda eſt.

EXER-

Digitized by Google

# EXERCITATIO II.
## DE
# OBLIGATIONE MORALI ET LEGE NATVRALI EJVSQVE PRINCIPIO ET ORIGINE.

§. 286.

IUs naturæ & gentium vel ex ſolius naturæ hominis aliarumque rerum contemplatione vel ex axiomatibus divinis, vel ex utroque fonte derivare conſueverunt ſanctioris hujus diſciplinæ commentatores.

§. 287. Utrique methodo, ex duplici fonte, §. præcedenti indicato, oriundæ ſtatuendum eſt ſuum pretium. Methodus, qua ex immediata naturæ conſideratione Juris naturalis veritates eruuntur, videtur facilior & cuivis homini, ratione prædito & ſibi naturæ ſuæ conſcio, magis pervia & ſuperabilis, ac tandem ita comparata, ut qui ob ignorationem Summi Numinis omnia jura ſe poſſe pedibus conculcare arbitrantur, flecti poſſint ad primos ſaltem honeſtatis & juſtitiæ gradus obſervandos.

§. 288. Altera methodus, qua inſignis hæc diſciplina idiomatibus divinitatis ſuperſtruitur, ex adſcenſu rationis ad Deum & ex relatione naturæ rerum ad ejus auctorem oritur. Et cum jus naturæ ſit dictamen rationis, hæc vero ens illud ſupremum ejusque perfectiones demonſtrativa ratione cognoſcat; homo in ſphæra rationis ſpectatus ad ultimam illarum legum, ex natura ſua aliarumque rerum cognitarum, originem penetrare poteſt, ſimulque cognoſcere, cuſtodiam juris Nat. cum illuſtratione gloriæ divinæ nexu indivulſo copulatam eſſe. Conf. §. 826. 810. Quo facto nova in nobis cooriuntur motiva, quæ nos ad illud jus naturæ religioſius colendum determinare poſſunt.



Digitized by Google

289. Ex jure ſermonis, inferius explicando, patebit, quantum valeant jura juranda. Quæ cum in jurante nullam efficaciam habeant vel ad detegendum verum, vel ad pacta ſollicitius ſervanda, niſi ille de omnipræſentia & juſtitia Dei ultrice non minus quam remuneratoria convictus ſit; nova ratio, eaque prægnans, naſcitur, cur cognitio Numinis naturalis cum jure naturæ, ex ſola natura humana elicito, ſit combinanda. Eas proinde doctrinas jam indigitabimus, quæ naturæ & inde cognoſcendi juris originem divinam commonſtrant. Inferius adducemus veritates ex quibus Dei juſtitia & remuneratoria & vindicativa elucebit. Hac ratione nobis innoteſcet, non ſolum obligationem & legem, alias mere naturalem, etiam divinam eſſe, ſed & peculiare dari pœnæ divinæ poſitivæ genus, rationi pervium. Inde patebit, utramque methodum feliciter combinari poſſe. Ut naturæ, ad DEVM Autorem relatæ, nomen anguſtius eſt; ita leges Naturæ ad attributa divina revocatæ illuſtriores & ſublimiores efficiuntur.

§. 290. Ex Theologia naturali conſtat, dari ens a ſe ſeu neceſſario exiſtens, diverſum ab animabus noſtris & mundo corporeo, quod dicitur DEVS (§. 928. 929. 939. 941. 945. 946. Metaph. WOLFF.).

§. 291. Vires activas corporum ita eſſe comparatas, ut vires eis oppoſitæ nullam involvant contradictionem, patet ex Coſmologia generali, quam dedit WOLFFIVS. Eædem itaque vires corporum contingentes ſunt (§. 179.). Jam cum ejusmodi vis activa corporis dicatur natura ipſius (§. 237.) & omnes vires activæ corporum conjunctim ſumtæ conſtituant *naturam rerum* ſeu *mundi totius*; natura corporis vel natura rerum ens contingens eſt. Neque adeo natura & corporis & mundi corporei, univerſim ſpectati, ens neceſſarium ſeu ens a ſe, quod Deus dicitur, eſſe poteſt. Id quod jam ſubindicavi (§. 234. 236.).

§. 292.

Digitized by Google

§. 292. Neque naturæ rerum poſſunt eſſe particulæ decerptæ ex Divinitate, cum ens a ſe ſeu Deus ſit ens ſimpliciſſimum, adeoque in partes reſolvi neſcium. Natura itaque rerum non poteſt eſſe orta ex Deo, tanquam ex cauſa materiali.

§. 293. Neque deſunt rationes, ex quibus evinci poteſt, vim animæ a DEO plane diverſam eſſe. Novimus enim abunde, illius repræſentationes pendere a ſitu corporis in univerſo & a conſtitutione organorum ſenſoriorum. Jam vero cum Deum eſſe ens independens aliunde conſtet, vis animæ a DEO toto cœlo differt. Eum porro vis hæc repræſentativa animæ noſtro conceptu ejus naturam abſolvat (§. 248.); natura animæ a DEO diverſiſſima eſt.

§. 294. Theſis præcedens ex contingenti vi repræſentativa mentis noſtræ nova vice colligitur. Si mens ad ſeriem rerum, quam per plures annorum decurſus ſibi repræſentavit, curatius reflectat; alias ſeries rerum repræſentabiles atque adeo longe alias vires repræſentativas eſſe compoſſibiles facili negotio intelligit. Vis itaque animæ ens contingens eſt (§. 179.). Natura ergo animæ e contingentium numero ſit neceſſe eſt (§. 248.). Jam cum Deus ſit ens neceſſarium, natura mentis DEUS eſſe non poteſt.

§. 295. Eandem naturam animæ noſtræ non eſſe particulam, ex divinitate decerptam, eodem, quem §. 292. adhibuimus, modo demonſtrari poteſt.

§. 296. Quod omnium poſſibilium, veritatum & eſſentiarum origo ſuo modo ſit repetenda ex intellectu divino, adeoque ex Deo ipſo, patet ex metaphyſicis conf. §. 975. 976. MET. WOLFF. Hinc niſi Deus & intellectus divinus exiſteret, nullum poſſibile, nulla veritas, nullius rei eſſentia daretur. Proinde ſub eadem hypotheſi impoſſibili, nulla ſcientia, philoſophia & Matheſis nulla, neque adeo ullum Jus naturæ & Gentium daretur.

§. 297. Eſſentiæ rerum ſunt certa ratione ab intellectu divino & per conſequens a DEO (§. 296.); hinc eſſentia



Digitized by Google

animæ noſtræ ab intellectu divino, adeoque a Deo ipſo dependet. Sed cum eſſentia animæ cum ejus vi repræſentativa & ejusdem natura identificetur (§. 250.); illa vis repræſentativa, illa natura animæ ab intellectu divino, adeoque a Deo, non tanquam a cauſa materiali (§. 292.), ſed efficiente originem habet. Unde ſequitur, ut, ſi per hypotheſin impoſſibilem nullus Deus eſſet, etiam nulla daretur animæ natura.

§. 298. Omnes vires activæ e rerum poſſibilium numero ſunt. Jam vero intellectus divinus eſt fons omnium poſſibilium (§. 296.); hinc ſi quis in conſideranda rei natura ſolam vim activam ſpectaverit (§. 237.); intellectus divinus eſt fons omnium naturarum. Quæ concluſio eadem manebit, ſi vim activam rei cum ejus eſſentia combinatam appellare naturam velimus (§. 257.); cum eſſentiæ rerum eandem originem habeant (§. 296.).

§. 299. Rationem ſufficientem exiſtentiarum omnium rerum ex voluntate Entis a ſe ſeu Dei repetendam eſſe, ex theologia naturali notum eſt. Conf. § 988. MET. WOLF. Hinc etiam exiſtentia naturarum omnium rerum a voluntate Dei efficaciſſima derivanda venit. Id quod ob univerſalitatem ad exiſtentiam naturæ & corporis & animæ noſtræ applicari poteſt.

§. 300. Cum doctrina de obligatione morali ſit momentoſa & per plura Juris naturæ articulos ſe diffundat; ſollicitos nos eſſe oportet de diſtincta obligationis notione eruenda. A ſingularibus itaque caſibus, in quibus illo termino utimur, adſcendamus ad illius ideam univerſalem. Respublica, quæ cives ſuos commovere vult ad fugienda furta, ſpolia, latrocinia, certamina ſingularia aliaque ejusmodi delicta, repræſentat legum transgreſſoribus ſuſpendium, vivicomburium, capitis truncationem & alias ejusmodi pœnas. Pœnæ ſunt ſpecies malorum. Hinc princeps in obligandis ſibi ſubjectis mala repræſentata connectit cum actionibus fugiendis. Sed cum repræſentationes malorum, volun-

Digitized by Google

voluntatem noſtram determinantes, motivis accenſeantur (§. 170.); a principe motiva connectuntur cum actionibus, quas injungit civibus fugiendas. Si abſtraxeris a principe & civibus, prodibit hæc notio univerſalis, quam debemus WOLFFIO: *Obligatio moralis in genere* eſt connexio motivorum cum actionibus. Fœcundam eſſe hanc ideam, ex ſequuturis obligationis ſpeciebus & ex concluſionibus eruendis cognoſces.

*Scholion.* Probe annotes, nos hic loqui de obligatione morali in genere, id quod etiam formatio illius definitionis indicat. Et cum in ſpeciebus plura deprehendantur, quam in genere; mirum non eſt, quod in ſpeciebus obligationis moralis, e. gr. civilis, plura occurrant, quam quæ conſpicias in obligatione, generatim ſumta, quippe quæ ita formanda eſt, ut illa ad obligationem & naturalem & poſitivam, eamque vel divinam vel humanam applicari poſſit. Porro ſi qua detur obligatio, (hypothetice loquor & nondum definio,) quæ moralis noſtro ſenſu non eſt, illa pro ſpecie obligationis moralis reputanda non eſt & illi conſequenter hujus attributa incongrue applicarentur. Ponas quod tribuatur homini, intellectu deſtituto, obligatio reparandi damnum, (jure, an injuria hoc fiat, ex §. 959. 960. patebit); hanc obligationem non dixeris moralem, quippe quæ in ſubjecto obligando intellectus uſum requirit (§. 312.). Tandem notemus, quod, uti in definienda ſpecie contenti eſſe non debeamus definitione generis, ita & in definienda ſpecie obligationis, e. gr. civilis, non acquieſcendum nobis ſit in definitione obligationis generali, cum hoc caſu differentia ſpecifica ſit exprimenda, quæ in obligatione civili ad metum cum actionibus civium fugiendis ab imperante copulatum redit. Conf. §. 749. ſpec. Jur. Gent.

§. 301. Licet princeps, qua talis, in obligatione civili non niſi malis arbitrariis repræſentatis utatur, de quo in Jur. Gen. acturi ſumus fuſius & explicatius; vocabulo tamen *motivorum* generali uti fas erit, cum bona æque ac mala determinare mentem noſtram ſoleant (§. 175.). Ipſe Theocrator



Digitized by Google

in decalogo aliisque locis ſacrarum litterarum innumeris malorum non ſolum, ſed & bonorum mentionem fecit, quibus populum Iſraëliticum & genus humanum ad recti cultum & malefactorum deteſtationem obligare voluit. Dantur caſus, ubi ſuperior rationes præcepti nec velit, nec poſſit explicare ſubjectis, idque ob rationem ſtatus ſibi conſciam; quibus tamen caſibus noſtra definitio minus repugnat, cum in illis ſola imperantis voluntas ſit ſubjectorum motivum actionis ſuſcipiendæ vel omittendæ, id quod patet vel ex timore oriundo ex idea imperantis, quippe qui habet jus præcipiendi ac deinde puniendi conjunctum cum potentia, vel ex amore, quo cives feruntur erga principem, cujus de voluntare publicum egregium amplificandi ſatis certi ſunt. Amorem non minus, quam timorem, tanquam affectus referri inter motiva, ex (§§. 158. 154. 155. 170.) conſtat. Et licet principi placeat allegare præſcripti rationes; in his tamen ſaltem non ſemper reſidet ſubjectorum omnium motivum actionis exequendæ vel fugiendæ, cum fieri poſſit facile, ut paucis ſubjectis detur, introſpicere legum rationes, ex intima ſyſtematis civilis indole ſæpius repetendas. Proinde & in ejusmodi caſibus motiva, quibus ſubjecti determinantur ad actus ſibi prohibitos fugiendos, non niſi in voluntate imperantis latitare poſſunt. Conferas P. V. F. *Tr. de I. N. & G. L. I. c. 6.* §. 1. de qua materia ſuo loco plura dicturi ſumus. Cur motivi vocabulo generaliori utamur, patet ex ſuperioribus. Obligatio tendit ad flectendam voluntatem. Quæ determinatio voluntatis absque repræſentatione boni vel mali, adeoque absque motivis naturaliter & ordine concipi non poteſt (§. 175. 174. 170.).

§. 302. a) Quo debiliora vel fortiora ſunt motiva, quæ connectuntur cum actione, eo debilior vel fortior eſt noſtra obligatio moralis. In civitatibus pænæ ſunt motiva, quæ copulantur cum actionibus civium. Si creſcentibus delictis exaſperentur pœnæ, fortiora & efficaciora motiva copulantur cum actionibus civium. b) Quot

Digitized by Google

b) Quot motiva adſunt in aliquo actu vel expediendo vel omittendo, totuplicem obligationem in eodem deprehendi neceſſe eſt. Hinc varii dantur caſus, ubi quis ad aliquid expediendum multiplici ratione obligatus noſtro ſenſu dicitur.

c) Si in quodam actu concurrunt motiva diverſa a ſe invicem & diſtincta, in illo etiam diverſæ a ſe invicem & diſtinctæ concurrere debent obligationes. *Diverſitatem motivorum* dijudicabis ex diverſitate repræſentationum boni vel mali, voluntatem noſtram determinantium (§. 170.). Quænam repræſentationes boni vel mali diverſæ ſint, ex §. 51. patebit. Exempli loco ob oculos tibi ponas duos homines, qui oderunt peccare, alterum ex formidine pœnæ vel alius incommodi, alterum ex honeſtatis vel pietatis amore. Sic in eo, qui pietatem naturalem colit, videas alia motiva, illuſtrationem quippe gloriæ divinæ (§. 838.), quam in eo, qui non niſi honeſtati objectivæ (§. 327.) actiones ſuas attemperat. Sic in homine Chriſtiano conſpicua ſunt nova motiva, ex opere redemtionis oriunda. Hoc conſectario etiam in doctrina de jurejurando utemur.

d) Cum plura motiva nos determinâre poſſint ad actionem unicam, illa conjunctim ſuma conſtituunt *motivum totale*, quod conſtat ex pluribus *motivis partialibus*. Hinc etiam noſtra *obligatio totalis* a *partiali* probe diſcernenda eſt.

e) Hinc uti ex quantitate motivorum (per coroll. a. hujus §vi), ita ex numero motivorum, in unico actu concurrentium, quantitas noſtræ obligationis totalis æſtimanda venit. Similem caſum deprehendimus in quantitate iræ, ex numero vel quantitate affectuum ſociorum æſtimanda.

f) Creſcentibus, ceſſantibus, reviviſcentibus motivis, creſcit, ceſſat, reviviſcit noſtra obligatio.

g) Exiſtentibus novis motivis in actu aliquo, progignitur



Digitized by Google

tur nova obligatio. Corollarium hoc ad doctrinam de jurejurando applicabimus.

h) colliſione ſeu contradictione motivorum oritur, noſtra ſententia, colliſio obligationum. Ponas ex gr. patrem, qui ſimul princeps reip. eſt, habere filium in proditorem patriæ degenerantem; ejus obligatio conſervandi filium hoc caſu repugnabit obligationi conſervandi rempublicam; ab hoc in periculum extremum conjectam. Hæc contradictio obligationum oritur ex pugnantia motivorum, in parente, qui ſimul imperans eſt in civitate, ſimul obviorum. Exemplum habemus in Bruto, primo conſule Romanorum & libertatis reip. reſtauratore.

i) Illud quod impedit, quo minus in alicujus mente excitari poſſit motivum, impedit etiam quo minus in ipſo naſcatur noſtra obligatio.

k) Quidnam inſpicere debeat judicaturus de alterius obligatione, vel eandem correcturus, facile patet.

l) Si ponamus, dari homines, in quibus nulla boni vel mali repræſentatio & per conſequens nullum motivum, adeoque nec ſpes, nec metus excitari poſſit, ille noſtro ſenſu obligari neſcit. Huc ſpectat illud: *Mori qui ſcit, cogi* h. e. obligari externe neſcit. vid. BEYERI. *delin. Jur. Germ. L. III. c.* 1. §. 33. Anaxarchi factum, huc rediens, ex hiſtoria notum eſt.

§. 303. Demonſtrationes animum noſtrum certum de veritate vel falſitate alicujus rei, adeoque convictum & immobilem reddunt. Hinc ſi motiva nitantur rationibus apodicticis, obligatio illa conſtantior eſſe debet (§. 300.). Quamnam obligationem motiva, argumentis probabilibus ſuperſtructa producant, ex indole rerum probabilium, cum rebus demonſtrativis collatarum, facile conſtat.

§. 304. Repræſentationes bonorum vel malorum ſunt vel veræ vel falſæ ſeu erroneæ. Dantur itaque motiva vera,

dantur

Digitized by Google

dantur erronea ſeu falſa (§. 170.). Hinc noſtra obligatio vel *vera* ſeu recta vel *erronea* eſt, quam poſteriorem eſſe *ſpuriam*, ex §. 334. patebit.

§. 305. Aliunde novimus, non niſi poſſibilia exiſtentiæ reddi poſſe. Hinc impoſſibilia, abſolute talia ad exiſtentiam transferri non poſſunt.

§. 306. In obligatione motivum connectitur cum actione (§. 300.), quæ eſt res ad exiſtentiam transferenda. Hinc actio debet eſſe poſſibilis. Impoſſibilium itaque, abſolute talium, nulla datur obligatio (§. 305.).

§. 307. Quæ ope virium animæ, corporis atque ſtatus externi exiſtentiæ dare poſſumus, *ea in poteſtate noſtra poſita* intelliguntur. Quæ ſecus ſe habent, *extra noſtram poteſtatem* ſunt. Huc referas ea, *quæ ratione noſtri naturaliter poſſibilia*, diſtinguenda ab iis, quæ judicantur moraliter poſſibilia vel impoſſibilia, de quibus §. 483. egimus.

§. 308. Quæ naturaliter ſint in noſtra poteſtate, vel minus ratione animæ & corporis, multiplici modo ex §. 254. 260. 269. 271. 273. 275. perſpicimus.

§. 309. Commiſſio vel intermiſſio actionis a viribus animæ, corporis atque ſtatus externi dependet. Hinc obligatio moralis requirit actiones, quæ ſunt in hominis obligandi poteſtate poſitæ (§. 307. 300.). Actiones proinde, quæ naturaliter ſunt extra noſtram poteſtatem, in ſphæra naturali obligationis moralis impatientes ſunt.

§. 310. *Actiones*, quæ in poteſtate noſtra poſitæ ſunt, dicuntur *liberæ ratione executionis*. Obligatio itaque requirit actiones liberas, ſi modum illas exequendi ſpectaveris (§. 309.), adeoque ſe extendit ad motus corporis voluntarios (§. 193.).

§. 311. Dantur actiones animæ non minus quam corporis, quæ quidem ex eſſentia & natura utriuslibet conſequuntur, minus tamen poteſtati noſtræ ſubſunt, quales ſunt voluptas, tædium, appetitus, averſatio, affectus, nec minus inſtinctus naturales (§. 131. 135. 154. 155. 158. 163.).

Intuitu

Digitized by Google

Intuitu corporis huc ſpectant actiones vitales, concoctio, transſpiratio, rhonchus. Ejusmodi *actiones* dicuntur *mere naturales*, & actionibus liberis, §. 310. definitis, opponuntur. In ejusmodi actiones naturales non cadit obligatio (§. 309.). Sic aliquis nec præmiis, nec pœnis obligari poteſt ad amandam puellam, quæ ſibi videtur deformis & imperfecta.

§. 312. In homine moraliter obligando per §. 300. cum actionibus connectuntur motiva, h. e. repræſentationes bonorum vel malorum, voluntatem determinantes (§. 170.). Jam cum repræſentationes ad intellectum ſpectent (§. 61.); in ſubjecto moraliter obligando uſus & intellectus & voluntatis requiritur. Hinc obligationis gradus gradu intellectus dimetiendus eſt. In quo itaque nullus datur uſus intellectus, is moraliter obligari neſcit. Neque adeo ille, qui aliquam actionem expediendam vel fugiendam pro ratione circumſtantiarum ſcire non potuit, ad eam eadem ratione obligatur. Et quæ impediunt intellectus uſum, obligationem moralem impedire cenſentur.

§. 313. In rebus abſolute neceſſariis nulla datur electio neque libertas, per conſectarium 3. §. 187., nec adeo ullum voluntatis exercitium, per Scholion §. 201. Hinc res abſolute neceſſariæ obligationem reſpuunt (§. 312.). Jam vero cum omnia ſint vel neceſſaria vel contingentia (§. 178. 179.); in rebus non niſi contingentibus obligatio moralis locum habere poteſt.

§. 314. *Spes* eſt voluptas concepta ex bono obtinendo. *Metus* eſt tædium, quod percipimus ex malo futuro. Jam vero obligamur vel per bona, vel per mala repræſentata (§. 300.), ergo vel per ſpem excitatam vel per metum nobis injectum moraliter noſtro quidem ſenſu obligari poſſumus. Huc referas definitionem B. THOMASII, quæ in F. I. N. G. §. 60. c. 4. L. 1. traditur.

§. 315. Obligari poſſumus vel per voluptatem vel per tædium (§. 300. 172. c.), adeoque vel per perfectiones vel

per

Digitized by Google

per imperfectiones repræſentatas (§. 131. 135.), nec minus per affectus (§. 161.).

§. 316. Obligatio moralis requirit actus ſpontaneos (§. 300. 186.), & libertatem mentis (§. 187. 312. 313.). Unde patet, quod eidem obligationi neceſſitas & intrinſeca & extrinſeca repugnet (§. 189.).

§. 317. *Auctor* aliquis dicitur *actionis*, cujus exiſtentia vel non exiſtentia ad illius voluntatem efficacem referri debet. Hac notione generaliori, qua & uſi ſumus in doctrina de imputatione (§. 567.), etiam hic adhibebimus. Enimvero in homine, moraliter obligando, uſus voluntatis requiritur (§. 312.), h. e. neceſſe eſt, ut ille actionem committendam velle, & omittendam nolle poſſit; homo itaque obligandus ita comparatus eſſe debet, ut ejus actiones committendæ vel fugiendæ ad illius voluntatem referri poſſint. Sed cum in obligatione morali exigatur commiſſio vel intermiſſio actionis, ab uſu virium ſubjecti obligandi dependens, hujus voluntas ad actum externum contendere debet, niſi impedimentum, ſuperari neſcium, obſtet. Quæ *voluntas* cum dicatur *efficax*; *homo moraliter obligandus ita comparatus eſſe debet, ut ejus* actionum exiſtentia vel non exiſtentia ad illius voluntatem efficacem referri, isque conſequenter *pro autore earundem haberi mereatur.*

*Conſectarium* 1. Cum in homine obligando voluntas efficax committendi vel omittendi actiones requiratur, a qua decretum divelli neſcit; in ſubjecto moraliter obligando jure exigitur, ut illud aptum ſit ad formandum decretum expediendi actionem, vel illam omittendi, & in cujus adeo decreto voluntatis actiones ſuſceptæ vel omiſſæ rationem habent (§. 41. 42.).

*Conſectarium*. 2. Si eum velimus cum aliis vocare autorem actionis, cujus in voluntatis decreto illa rationem habet; homo obligandus etiam ita comparatus eſſe debet, ut pro autore actionis haberi poſſit *per Conſectar*. *I*.

*Scholion.*

*Scholion.* Hunc conceptum autoris actionum ſecutus ſum in prima editione. Sed cum inde ſequatur, eum, cujus ad decretum voluntatis actio aliqua referri non poſſit, & conſequenter culpoſe peccantem pro illius autore haberi non poſſe; notionem generalius formare debui, ut illa & ad actus culpoſos applicari poſſit, & ut hac ratione eorundem imputabilitatem demonſtrare mihi concederetur.

*Conſectarium.* 3. Cum furioſi, mente capti, infantes, homines inſtar brutorum educati intellectus & voluntatis uſu deſtituantur, iidem moralitet noſtro ſenſu obligari neſciunt (§. 312.).

§. 318. Si nexus motivi cum actionibus proxime poſſit intelligi ex natura noſtra, in ſe ſpectata, *obligatio* nuncupatur *naturalis*. Si nexus motivi cum actionibus dependeat ex arbitrio alicujus entis externi ſuperioris, a natura noſtra diverſi, *obligatio poſitiva*, *arbitraria* & *externa* dici poteſt. Superior eſt vel DEUS vel homo. Hinc ejus generis *obligatio* poſterior eſt *vel divina vel humana*.

§. 319. Obligatio poſitiva absque ſuperioris voluntate concipi non poteſt (§. 318.).

§. 320. In cbligatione duo, a ſe diſtinguenda, occurrunt, ens nimirum obligans & ſubjectum obligandum, ſeu quod obligari ſe patitur. Hinc *obligatio* in *activam* & *paſſivam* commode diſpeſcitur.

§. 321. Actus, cum quo connectitur motivum, vel expediendus eſt vel intermittendus. Unde nata eſt diviſio *obligationis* in *affirmativam* & *negativam*.

§. 322. De ſpeciebus obligationis poſitivæ loco convenienti agemus, ſollіciti jam de indole & origine auguſta obligationis naturalis proprius inſpicienda.

§. 323. Mutationes, tanquam effectus, ex actibus, libere ſuſceptis, tanquam cauſis oriri ſolere, §§. 194. & 204. ſubindicavimus. Veſtigia magni hujus principii in ſcriptorum recentiorum non minus quam antiquiorum monumentis

Digitized by Google

numentis reperies. Huc ſpectant plures ſapientiæ & prudentiæ regulæ. Ejusmodi ſunt:

a) Semper tecum in ſuſcipiendo actu cogites, quid inde ſequuturum ſit.

b) Per quod quis peccat, per idem punitur & idem.

c) Principiis obſta, ſero medicina paratur.

d) Mala ſerpunt. Fœcunda bonorum & malorum ſemina.

e) Si quis ſemel conſentiat in actum aliquem turpem, is altera vice data occaſione celerius & minori cum repugnantia in actum ejusmodi conſentiet.

f) Deliberandum eſt diu, antequam aliquid ſuſcipias.

g) Minoris momenti ſæpius videtur actio ratione temporis præſentis, quæ vero futurorum conſectariorum fœcundiſſima eſt. Hinc hiſtoria dicitur theatrum prudentiæ & ſapientiæ, quatenus ea nobis actiones hominum indigitat, ex quibus prognatæ ſunt ſæpius mutationes graviſſimæ. Felix eſt illa educatio, ubi hujus axiomatis ratio habetur. Contra quod quantopere peccatum fuerit à Romanis, elegantiſſima Juvenalis Satyra XIV. L. V. teſtatur.

§. 324. Quædam actionum liberarum conſectaria concipi poſſunt vel ex modo compoſitionis noſtri aliorumque corporum ſeu eorum eſſentia (§. 242.), vel eorum vi activa. Eſſentia & vis activa corporum conſtituit eorum naturam (§. 257.). Ergo actuum liberorum, quos motus corporis voluntarios vocavimus (§. 193.), conſectaria ex naturis corporum conceptibilia ſunt adeoque ex ex illis deſcendunt. Huc referas ſanitatem & agilitatem corporis, nec minus ejus morbos. Actuum liberorum quorundam conſectaria poſſunt perſpici ex attributis & potentiis animæ. Jam cum ea omnia, quæ ex attributis & potentiis animæ concipi poſſunt, ſint naturalia ratione animæ (§. 271.); quorundam actuum liberorum con-

ſectaria

Digitized by Google

ſectaria ex natura animæ ſunt conceptibilia adeoque ex illa deſcendunt. Exempli loco ſit confuſio, ex tumultuaria ſtudiorum tractatione oriunda.

§. 325. Dantur actuum liberorum conſectaria, quæ ex natura humana ſunt conceptibilia, adeoque ex illa deſcendunt (§. 324. 273. 275.).

§. 326. Naturâ humanâ cum actionibus liberis copulata & connexa quædam conſectaria ſunt (§. 73. 325.). Hoc etiam admitti debet ab atheo.

§. 327. Conſectaria actuum noſtrorum liberorum tendunt vel ad perfectionem vel ad imperfectionem noſtram (§. 124. 126.) adeoque vel bona vel mala ſunt (§. 141. 145.) Ergo naturâ humanâ in ſe ſpectata cum actionibus noſtris liberis bona vel mala quædam corollaria copulata ſunt (§. 326.), ob quæ actiones ipſæ liberæ vel bonæ vel malæ dicuntur. Et cum conſectaria illa ordine ab actionibus ſeparari non poſſint, ipſa honeſtas vel pravitas, adeoque moralitas noſtro quidem conceptu ab actionibus liberis inſeparabilis judicatur. Quam ob rationem ipſæ ejusmodi *actiones per ſe & natura ſua bona vel mala* nuncupari poſſunt, eisdemque tribuitur *moralitas intrinſeca* ſeu *objectiva*, noſtro quidem ſenſu, quatenus bonitas vel pravitas ex earum indole naturali cognoſcitur. Conferas B. GODOFREDI OLEARII Tr. Germ. de Meſſia p. 464. 465. Verba Viri inſignis hæc ſunt: *So ſeynd denn ja die Pflichten, welche das Chriſtenthum erfordert, der Menſchlichen Natur ſo anſtändig, ſo vortheilhafftig und eines jeden beſondern Beſten ſo wohl als dem gemeinen ſo gemäſs und gleichförmig, daſs wenn wir auch keine Abſicht auf die Religion und den GOtt dadurch zuleiſtenden Dienſt haben wolten, wenn wir die Belohnung und Beſtraffung eines zukünfftigen Lebens nicht vor Augen hätten, wenn uns GOtt dieſelben nicht beſonders aufgeleget und anbefohlen, ſo würde doch die geſunde Vernunfft dieſelben zur Förderung unſerer zeitlichen Wohlfarth von uns erfordern &c.* E contrario *moralitas actionis extrinſeca* ſeu ſub-

Digitized by Google

*jectiva* audit, quæ rationem in arbitrio imperantis habet τὸ morale præcepti tertii decalogi ad moralitatem intrinſecam, τὸ ceremoniale vero ad extrinſecam ſpectat. Illud eſt abſolute neceſſarium, immutabile & indiſpenſabile; hoc vero contingens, mutabile & diſpenſabile eſt.

§. 328. Naturæ rerum tam ratione poſſibilitatis quam actualitatis à Deo dependent (§. 29. 298. 299). Jam cum naturâ humanâ, in ſe ſpectatâ cum actionibus liberis bona vel mala corollaria copulata ſint (§. 327.) DEVS per naturam humanam, ad ſe, tanquam illius autorem, relatam bona vel mala conſectaria cum actionibus humanis copulavit. Summum proinde Numen fons & origo eſt moralitatis actionum intrinſecæ. Conf. §. 820.

§. 329. Bona & mala actionum corollaria ſunt motiva voluntatis & noluntatis (§. 170.). Natura igitur cum actionibus liberis, quæ ſunt per ſe bonæ vel malæ, motiva ſunt copulata (§. 327.). Hinc noſtro ſenſu natura obligamur ad actiones per ſe honeſtas expediendas & per ſe turpes fugiendas (§. 300.).

§. 330. Deus per naturam humanam certa motiva connexuit cum actibus hominum liberis (§. 328. 170.), adeoque per eandem nos obligat ad actiones per ſe bonas exequendas. Obligatio proinde naturalis eſt etiam divina (§. 322.). Hinc *vox naturæ vox Dei* audit. Unde porro patet, quod vivere convenienter naturæ idem ſit ac vivere convenienter nutui divino.

§. 331. Bonum minus præſtans eſt malum comparativum ratione boni præſtantioris, eo ipſo amittendi (§. 149.). Jam vero cum natura nos obliget ad evitanda mala (§. 329.). etiam illa nos obligare debet ad evitandum bonum minus præſtans, adeoque ad bonum præſtantius, bono inferiori præferendum.

§. 332. Ex §vo 150. & 329. eodem modo demonſtratur, naturam nos obligare ad malum minus malo majori

præferendum. Conf. §. 302. Aliam demonſtrationem videbis in WOLLF. doctr. mor. §. 10.

§. 333. Obligatio naturalis eſt etiam divina (§. 330.) Hinc Deus nos obligat ad bonum majus bono minori & ad malum minus malo majori præferendum (§. 332. 333.).

§. 334. Neque Deus, neque natura nos ſimul ad bona & mala obligare poteſt. Cum itaque Deus & natura nos obligent ad bona amplectenda & ad mala fugienda, per §§. præc. neque Deus, neque natura nos obligat vel ad mala amplectenda, vel ad bona fugienda, vel ad malum majus minori, vel ad bonum minus majori præferendum (§. 329. 330. 331. 332. 333.). Siquis ergo repræſentationibus bonorum vel malorum erroneis actiones ſuas attemperet in ſui aliorumque perniciem, hoc nec DEO nec naturæ tribuendum. Enim vero obligatio eſt vel recta vel erronea; obligatio ergo naturalis non niſi recta eſt. Unde patet, obligationem erroneam neque naturalem neque divinam, ſed ſpuriam eſſe. Confer. §. 304.

§. 335. Malum totius eſt verum malum, malum partis, totum conſervans vel augens, eſt verum bonum atque ſic malum apparens (§. 150. 146.).

§. 336. DEVS & natura noſtro ſenſu nos obligant ad bonum totius bono partis, totum deſtruenti; nec minus ad malum partis, totum conſervans vel augens malo totius præferendum (§. 333. 331. 332. 149. 335.). Modus argumentandi, quo uſi ſumus §. 334. etiam hic adhiberi poteſt.

§. 337. DEVS & natura nos obligant ad incommodum, quod majus ſequitur commodum, perferendum & anteponendum commodo, quod majora ſequuntur incommoda (§. 151. 331. 332. 333.). Eadem argumentatio, quam adhibuimus §. 334. etiam ad hanc propoſitionem applicari poteſt.

§. 338. Ex præcedentibus facile dijudicari poſſunt hæ propoſitiones, philoſophis quibusdam antiquioribus jamjam frequentatæ:

Ea

Digitized by Google

Ea voluptas, quæ aut majorem pellit voluptatem, aut graviorem moleſtiam parit, fugienda.

Ea moleſtia, quæ aut majorem avertit moleſtiam aut uberiorem voluptatem creat, amplectenda.

§. 339. Ponas duo remedia, quibus in defenſione noſtri contra inimicos uti poſſumus & quorum alterum altero mitius eſt, ex præmiſſis doctrinis facile perſpicitur, prius remedium poſteriori præferendum eſſe. Id quod in jure defenſionis, inferius evolvendo, locum habet.

§. 340. Natura ſæpius dicto ſenſu nos obligat ad facienda ea, quæ nos perficiunt & ad fugienda, quæ nos imperfectiores reddunt (§. 329. 331.). Unde naſcitur hæc regula generalis, cui actiones liberas attemperare obligamur & quam debemus WOLFFIO.

*Fac ea, quæ te ſtatumque tuum perfectiorem efficiunt; omitte ea, quæ te ſtatumque imperfectiorem reddunt.*

*Conſectarium.* Ea ſunt tibi facienda, quæ voluptatem duraturam progenerant, & omittenda, quæ tædium duraturum progignunt (§. 131. 135.).

§. 341. Amplificationem gloriæ ſummi NVMINIS & ſtudium perficiendi alios homines a noſtro perfectione vera ſeparari non poſſe, §. 699. 704. 833. 834. 836. demonſtrabimus.

§. 342. Si quis velit cognoſcere, utrum actio data nos perfectiores, an imperfectiores efficiat;

1) attentus ſit ad mutationes, ex actione poſita oriundas & vel mentem, vel corpus vel ſtatum externum afficientes (§. 194.).

2) examinet, utrum ſtatus ex actione reſultans antecedenti ſtatui vel reſpondeat, vel contradicat, ſeu, utrum inde conſenſus, an contradictio ſtatuum ſubnaſcatur (§. 124. 126.).

§. 343. Omnes actiones liberæ vel nos perficiunt, vel imperfectiores reddunt (§. 310. 194. 195.). Ad actiones utriusque generis cum regula, §. 340. demonſtrata, appli-

cari poſſit, nec ulla actio detur, quæ non ad alterutrum actionis genus ſpectet; ea ſe ad omnes actiones liberas extendit.

§. 344. *Regula* ſeu *norma* eſt propoſitio, cui certa varia vel coexiſtentia vel ſucceſſiva accommodantur. Varia ipſa ejusmodi vocantur *normata ſeu normanda*.

§. 345. Ejusmodi regulæ ſeu normæ jam antiquitus dictæ ſunt *leges*, generaliſſime ſumtæ. vid. MARTINII *Lexic. phil. voce lex N.* 17. & IAC. THOMASII *diſſert. de poteſt. legislatoria* §. 8. Et cum dentur propoſitiones generales, quibus actiones & motus corporum mundi & partialium & totalium attemperantur; indagatores rerum naturalium inciderunt in *leges corporum* ſeu *phyſicas*. Huc referas LL. ſeu *jura poli*, à Keplero detecta, leges motus & mechanicas, hydroſtaticas, refractionis & innumeras alias. Eadem ratione matheſios puræ cultores eruerunt *leges numerandi* Dyadicæ, Tetracticæ, decadicæ, *progreſſionum & ſerierum infinitarum*. In facultatibus animæ obſervarunt Pſychologi *legem imaginationis* (§. 34.), appetitus (§. 175.) & alias. Sic in animali, qua tali, annotantur motus & actiones, certis attemperatæ propoſitionibus, quæ occaſionem dederunt naturali legi & juri, quod natura omnia animalia docuit, & exprimis naturæ, homini cum brutis communibus (§. 281.), derivandum. Tandem in homine, qua tali, deprehenditur facultas edendi actiones liberas (§. 310.), quibus ille felicitatem vel infelicitatem ſuam aliorumque promovere poteſt, & quæ non minus ad propoſitiones quasdam generales, præcipue ex primis naturæ homini propriis (§. 282.) eliciendas, conformandæ ſunt.

§. 346. Inde naſcuntur regulæ, quibus homo actiones liberas attemperare obligatur, & quæ dicuntur *leges morales*, quatenus eæ legibus phyſicis aliisque quarum §. præcedenti mentionem fecimus, contradiſtinguantur non ſolum,

Digitized by Google

lum, ſed & ſe non niſi ad actiones liberas, morales appellari ſolitas (§. 310. 196.) extendant.

§. 347. Notemus hic, nomen generis ſæpe ſpeciei, præſertim excellentiori, peculiariter adhæreſcere, id quod monuit GROTIUS §. 3. *C. I. L. I. de I. B. & P.*

§. 348. Lex ſeu jus eſt propoſitio obligatoria (§. 346. 344.).

§. 349. Obligatio eſt vel naturalis vel poſitiva, quæ poſterior denuo in divinam & humanam dividitur (§. 318.). Hinc *leges*, in mundo morali conſideratæ, ſunt vel *naturales* vel *poſitivæ*, & hæ vel *divinæ* vel *humanæ* (§. 346.). Diverſitatem legum ex diverſitate obligationis oriri, facile intelligitur.

§. 350. *Lex naturalis* eſt norma, cui actiones liberas ductu naturæ attemperare obligamur.

§. 351. Lex ſeu jus naturale ſumitur vel generaliſſime pro quavis norma morali; vel ſpecialiter pro normis, quibus officia aliis debita accommodari debent; vel ſpecialiſſime pro illis regulis, quibus non niſi in officiis neceſſitatis, alteri præſtandis, utimur, & ad quas adimplendas alter me invitum in ſtatu naturali per bellum, & in ſtatu civili per proceſſum compellere poteſt. Conf. *Thomaſii* Fundam. I. N. §. 30. c. 5. L. I. Hoc jus Naturæ ſtrictiſſime ſumtum alias dicitur Jus Belli & Pacis, in controverſiis hominum & populorum ventilandis & dirimendis adhiberi ſolitum. Ultimum hoc jus, de quo delineando nos inprimis ſolliciti ſumus, probe diſcernendum eſt à legibus naturæ ſublimioribus, quarum obſervatio amori, humanitati, verecundiæ & pietati noſtræ relinquitur. Sed cum ejusmodi diſcriminis rationem habere non poſſimus, niſi indolem officiorum a ſe invicem diſcernendorum, propius inſpiciamus; attingendi nobis ſunt fontes, cuilibet ſpeciei officiorum proprii, qui tamen omnes ex fonte communi concipi poſſunt.

§. 352. Propoſitio, §. 340. demonſtrata, ejusmodi regula eſt, cui actiones liberas ductu naturæ attemperare obligamur; ergo illa propoſitio eſt lex naturalis (§. 350.).

*Scholion.* Eandem propoſitionem eſſe legem naturalem eo minus dubitaveris, quo magis eam ex lege appetitus, §. 175. tradita, concipiamus. Lex quippe appetitus eo tendit, ut nil niſi bona velimus, & nil niſi mala nolimus. Ea quæ bona ſunt, nos perficiunt, & quæ mala ſunt, nos imperfectiores reddunt; ergo & ductu naturæ nil volumus, niſi quod nos perfectiores efficit, & nil nolumus, niſi quod nos imperfectiores reddit. Et ſi eo diſpiciamus, ut penetremus, quænam nos vere efficiant perfectos, vel imperfectos; etiam appetitus ad veras perfectiones acquirendas, & averſatio ad veras imperfectiones evitandas contendet. Legem vero appetitus eſſe in noſtra natura fundatam, exercitatio prævia commonſtrat.

§. 353. *Principium adæquatum alicujus diſciplinæ* dicitur propoſitio, quæ continet rationes propoſitionum nec plurium, nec pauciorum, quam quæ in illa diſciplina obveniunt (§. 42.). Unde patet, quod *principium adæquatum juris Naturæ* ſit propoſitio, quæ continet rationes caſuum nec plurium, nec pauciorum, quam qui in jure Naturæ obvii ſunt. Jam vero propoſitio §. 340. demonſtrata ad omnes actiones liberas, easque nec plures nec pauciores, quam quæ ad I. N. ſpectant, ſe extendit (§. 343); eadem ergo propoſitio non niſi rationes caſuum, in ſphæra juris Naturæ obviorum, continet, atque ſic principium adæquatum Juris Nat. eſt. Idem principium eſſe verum, certum & indubitatum ex §. §. 62. 63. 64. & ex analyſi demonſtrationis, qua illud nititur, clareſcit.

*Scholion.* Notes, quod hic de principio juris Naturalis, generaliſſime ſumti, ſermo ſit, (§. 351.). Illud eſſe adæquatum, eo lubentius conceſſeris, ſi conſideres, nos in progreſſu operis demonſtraſſe, quod officia & erga Deum, & erga alios noſtræ ſortis ſint actiones liberæ, quibus

bus perfectiores ipſi efficimur. Conf. §. 699. 833. 834. Enim vero cum principium noſtrum nobis inculcet, ut actiones noſtras liberas amplificationi perfectionum noſtrarum omni annisu accommodemus, illud etiam ad officia, & ſummo Numini, illuſtrando quippe Ejus gloriam, & aliis hominibus exhibenda ſeſe extendit. Ponas vero, quod eadem officia ita ſe habeant, ut eorum cuſtodia perfectionibus noſtris promovendis & inde dependenti felicitati noſtræ amplificandæ nihil tribueret; principium, à nobis aſſumtum, pro adæquato in tota ſphæra Juris Nat. generaliſſime ſumti, haberi non mereretur.

§. 354. Bonitas vel pravitas ab actionibus liberis inſeparabilis (§. 327.), adeoque immutabilis eſt. Jus Nat. actus per ſe bonos præcipit, & eos, qui per ſe turpes ſunt, prohibet (§. 352.), ergo Jus Nat. eſt immutabile.

§. 355. Qui in hac diſciplina omnia revocant ad *convenientiam actuum cum natura*, eorum ſententiam defendi poſſe, ex §. §. 340. 124. intellectu facile eſt.

§. 356. Ob copulam, quæ eſt inter actiones liberas & earum conſectaria, illæ dicuntur bonæ vel malæ (§. 197.). Ad dijudicandam itaque honeſtatem vel pravitatem actionum liberarum requiritur perſpicientia nexus, qui eſt inter actiones & earum conſectaria. Actiones liberæ & earum conſectaria poſſibilibus rebus annumerantur (§. 38.); ad inveſtigationem erga moralitatis actionum requiritur perſpicientia nexus rerum poſſibilium. Quæ cum ratio dicatur (§. 93.), rationis vis nos condocet, quæ actiones ſint bonæ, quæ malæ.

§. 357. Quæ §. præcedenti de ratione demonſtrata ſunt, non minus applicanda veniunt ad analogum rationis h. e. ad expectationem caſuum ſimilium (§. 107. 108.). Ejusmodi expectatio caſuum ſimilium experientiæ tribuenda (§ 71.); experientia itaque nos condocet bonitatem vel pravitatem actionum liberarum.



Digitized by Google

§. 358. Jus Nat. actiones bonas præcipit & malas prohibet (§. 352.). Ratio itaque & experientia ſunt magiſtræ juris Naturæ (§. 356. 357.). Qui proinde vivit convenienter rationi & experientiæ, juri naturæ convenienter agit.

§. 359. Vox rationis eſt vox naturæ (§. 358.) adeoque & vox DEI (§. 330.).

§. 360 Quam neceſſarius ſit juris N. cultori rationis cultus & experientiæ, ex §. 359. patet. Neque inde minus conſtat, juris naturæ incrementa ab rationis & experientiæ regularum amplificatione dependere. Et quousque ſe extendunt ratio & experientia in dijudicanda moralitate actionum, eousque patet jus naturæ humanum. Et cum ſtudium hiſtoricum experientiam noſtram nimium quantum amplificare poſſit, illius utilitas in colendo jure Naturæ manifeſtiſſima eſt.

§. 361. Obligatio naturalis eſt etiam divina (§. 330.). Leges proinde naturales ſunt etiam divinæ (349. 350.). Hinc propoſitio §. 340. demonſtrata pro lege divina jure ſummo habetur (§. 352.). Hic probe notandum, quod duplices dentur LL. divinæ, naturales quippe & poſitivæ. Illæ in objecto, de quo præcipitur, hæ in ſubjecto præcipiente tantum & in ſola ejus voluntate rationem habent. Hinc *moralitas objectiva* eſt ratio divinæ legis ex ipſa objecti, circa quod LL. divinæ verſantur, indole petita. vid. *Canzii Uſum Phil. Wolf. in Theologia p.* 445. Hinc & LL. divinæ ſunt vel neceſſariæ, immutabiles & irrevocabiles, quales deprehenduntur in decalogo & Jure Naturali, vel contingentes & revocabiles, quales ſunt LL. ceremoniales & forenſes, quippe quæ rationem in voluntate divina habebant & moralitatem ſubjectivam nanciſcebantur.

*Scholion.* Reflectas hic ad Deum, qui fons & origo eſt omnium LL. naturalium, cum natura & obligatio naturalis ab eo dependeat.

§. 362.

Digitized by Google

§. 362. Conſectarium bonum, tanquam motivum, cum actione libera expedienda connexum, *præmium*; conſectarium malum, tanquam motivum cum actione libera fugienda copulatum, *pœna* dicitur, quam GROTIUS per malum paſſionis, quod infligitur ob malum actionis, definivit.

§. 363. Connexionem præmiorum vel pœnarum cum actionibus liberis eſſe obligationem, ex §§. 300. 363. intelligitur.

§. 364. Conſequens actionis vel ex ipſa natura immediate vel ex arbitrio imperantis concipi poteſt. Hinc *pœnæ* non minus quam *præmia* vel *naturalia* vel *poſitiva* ſeu *arbitraria* ſunt (§. 362.). Et cum ſuperior vel DEUS vel homo ſit, *pœnæ & præmia poſitiva* in *divina & humana* diſpeſcuntur.

§. 365. Corollaria vel bona vel mala, quæ naturâ humanâ cum actionibus liberis copulata deprehenduntur, ab ipſo DEO cum iisdem actibus per naturam conjuncta eſſe demonſtravimus (§. 328.). Pœnæ itaque & præmia naturalia etiam divina eſſe diſtincte cognoſcimus (§. 364.).

§. 366. Actiones per ſe bonæ præmiis naturalibus & actiones per ſe malæ pœnis naturalibus, iisque divinis ſtipantur (§. 327. 364. 365.). Conf. §. 1450.

§. 367. Voluptas prædominans *gaudium*, tædium vero prædominans dicitur *triſtitia*.

§. 368. *Felicitas philoſophica* eſt ſtatus gaudii durabilis. *Infelicitas* vero ſtatus triſtitiæ duraturæ appellatur.

§. 369. Lex naturalis præcipit actiones, quibus perfectiones noſtræ, eæque veræ promoventur (§. 352. 334.). Hinc eadem lex eo tendit, ut progrediamur ab una perfectione vera ad novas. Qui itaque juri naturali obtemperat; in eo naſcitur voluptas vera & increſcens (§. 131.), adeoque & gaudium (§. 367.), idque durabile. Jam vero cum ſtatus gaudii durabilis dicatur felicitas (§. 368.), legis naturalis cultus nos reddit felices.

§. 370. Pari ratione demonſtrari poteſt, violationem juris Nat. nos reddere infelices (§. 352. 135. 367. 368.



Digitized by Google

§. 371. Habitus actiones liberas attemperandi legibus naturalibus *virtus philoſophica*, & habitus actiones liberas dirigendi contra leges naturales *vitium* dicitur.

§. 372. Leges naturales ſunt divinæ (§. 361). Virtus itaque philoſophica eſt habitus attemperandi actiones liberas certis legibus divinis (§. 371.).

§. 373. Virtus eſt habitus ſe ſtatumque ſuum perficiendi (§. 371. 352.), & amplificandi felicitatem ſuam (§. 369.). Conf. §. 851. 852.

§. 374. Vitium eſt habitus ſe ſtatumque ſuum imperfectiorem efficiendi (§. 371. 352.), & promovendi infelicitatem ſuam (§. 370.).

§. 375. Diſtinguas felicitatem (§. 368.) a fortuna proſpera, & infelicitatem (§ cit.) ab infortunio. Per *fortunam* intelligimus nexum cauſarum in noſtram perfectionem vel imperfectionem tendentium, quem prævidere in noſtra poteſtate ſitum non eſt.

§. 376. Virtutem juxta mentem Cel. WUCHERERI eſſe conformationem actionum ad ductum rationis, patet ex §. 371. 358. Conferas §. 94. Dicatur in prælectionibus de methodo proficiendi ex aliorum doctorum virorum ſcriptis, & quam §. 792. indicavimus.

§. 377. Notemus jam hanc catenam moralem. Felicitas ſupponit virtutem (§. 373.), virtus libertatem (§. 371.), libertas rationem & intellectum (§. 204. 186.), intellectus actum reflexum (§. 61. 54.), & actus reflexus attentionem (§. 49.). Quæ ſi contuleris cum §. 282. felicitatem ex primis naturæ homini propriis derivandam eſſe perſpicies. Nec minus ex hiſce intelligentes & cordatiores viri cognoſcent, debuiſſe nos in prima exercitatione eſſe fuſiores, eique intexere plures Metaphyſicæ articulos, quos ex ſat celebri ſyſtemate WOLFFII, quem veneramur, grata mente depromptos eſſe, ingenue fatemur.

§. 378. Virtus eſt habitus ſe ſtatumque ſuum perficiendi (§. 373.). Cultus ergo virtutis cum intenſiori voluptate copula-

Digitized by Google

copulatus eſt (§. 131.). Eodem modo perſpicitur, vitia tædiis ſtipari & doloribus (§. 374. 135.). Hinc virtus ſibimetipſi præmium, & vitium ſibimetipſi pœna eſt. Licet proinde peccare ſit dulce, ſi tempus præſens ſpectaveris, voluptas tamen ejusmodi ſemper degenerat in tædia vehementia, adeoque tantum apparens eſt & fugienda (§. 338.). Inde patet, quod peccare ſit amarum, ſi funeſta conſectaria, a natura pendentia ſpectaveris. De lege itaque naturali, de virtute & vitio philoſophico accipiendus non eſt locus, in paſtore fido equitis GVARINI obvius: *Se 'l peccar' è ſi dolce, e'l non peccar ſi neceſſario: ò troppo imperfetta natura, che repugni alla legge: ò troppo dura legge, che la natura offendi.* Ejusdem operis autorem ingenioſiſſimum a noſtra theſi non fuiſſe alienum, ultima in hoc dramate verba teſtantur: *Non è ſana ogni gioia, nè mal cio che v' annoia. Quello è vero gioire, che naſce da virtù dopo il ſoffrire.*

EXER-

Digitized by Google

# EXERCITATIO III.
## DE
# IMPVTATIONE MORALI.

§. 379.

VT ideam imputationis diſtinctam efformare poſſimus, repræſentemus nobis caſum ſingularem, in quo imputationis vocabulo utimur, & qualem hunc eſſe novimus, ſi quis ita argumentetur:

Titius violavit majeſtatem principis.

Qui violat majeſtatem principis, is hac vel illa pœna afficiendus.

Ergo Titius hac vel illa pœna afficiendus eſt.

§. 380. Ex hoc & ejusmodi infinitis aliis exemplis obſervamus ratiocinium, cujus minor factum Titii, major ipſam legem & concluſio applicationem legis ad factum repræſentat. In concluſione præmiſſam alteram ad alteram applicari, patet ex logicis.

§. 381. Hinc nonnulli recte *imputationem in genere* definiunt per applicationem legis ad factum.

*Scholion* 1. In caſu prævio lex civilis applicatur ad factum civis, quæ eſt nota imputationis civilis, de qua in ſpecimine de imperio civili egimus. Si abſtraxeris a determinationibus ſpecificis, habebis definitionem imputationis in genere.

*Corollarium.* Ex diverſitate legum, & cum hiſce copulatæ obligationis (§. 346.) nec minus factorum oritur diverſitas imputationis.

*Scholion* 2. Uti in exercitatione prævia de obligatione morali egimus, ita & in hac de imputatione non niſi morali acturi ſumus. Si qua detur imputatio alius generis, de ea expendenda loco convenienti ſolliciti erimus.

*Scholion*

Digitized by Google

*Scholion* 3. Quale debeat eſſe factum moraliter imputabile, ex paulo inferius dicendis patebit.

§. 382. Facta ſunt vel propria, vel aliena. Applicatio legis ad facta propria dicitur *conſcientia*. Hæc proinde eſt ſpecies imputationis (§. 381.). Unde patet, *imputationem* in *conſcientiam* & *imputationem*, in *ſpecie* dictam, partiri poſſe.

§. 383. Imputans ſollicitus eſſe debet de eruendo facto, antequam ille legem ad illud feliciter applicare poſſit (§. 381.). Per *factum* intelligimus actionem humanam ſub certis circumſtantiis ſingularibus, pro legis ratione neceſſariis, conſideratam. Sub termino facti *actiones* & *commiſſivas* & *omiſſivas* comprehendimus, quarum utræque legi vel conveniuut vel repugnant.

§. 384. Variantibus circumſtantiis ſingularibus, pro legis ratione neceſſariis, variatur factum (§. 383.) & imputatio (§. 381.). Emergentibus novis circumſtantiis, ad quas ſenſus legis ſe extendit, emergit nova facti & imputationis ratio. Huc referas illud: *Minima circumſtantia ſæpius variat rem.*

§. 385. Quamdiu factum ignoratur, ipſa imputatio ſuſpenditur (§ 381.). Hinc auctores cauſarum forenſium, præcipue facti ſpeciem exponunt judici, addito petito, quod in ratiocinio imputatorio eſt concluſio. Nec minus ipſi judices & jureconſulti ſententiam ſuam pronunciant, quantum acta & probata illud permittant. Quousque enim ipſis notæ ſunt circumſtantiæ, eousque patet imputatio. Unde facile perſpicitur, ſententiæ lationem, facto vel legi contrariam, ipſo jure nullam & injuſtam eſſe.

§. 386. Nec minus patet, imputationem ſuſpendendam eſſe, ſi legis ſenſus adhuc dubius foret (§. 381.).

§. 387. In imputatione quæſtiones facti a quæſtionibus juris ſunt probe diſcriminandæ (§. 381. 51.).

§. 388. *Ratio legis* eſt id, ex quo ea concipitur (§. 47.). Et cum concipere aliquid ſit diſtincte illud cognoſcere (§. 41.), ratio legis eſt id, ex quo illa diſtincte cognoſci poteſt.

Ea

Ea quæ rationes legum in ſe continent, dicuntur *principia legum* (§. 42.). Ratio legis illius anima appellatur.

§. 389. Imputans ratiocinatur (§. 380.). Qui legitime vult ratiocinari, præter minorem intelligat, h. e., diſtincte cognoſcat (§. 61.) majorem ſumtionem neceſſe eſt. Sed in imputatione major eſt lex (§. 380.), imputans diſtincte cognoſcere debet legem. Imputans ergo introſpicere debet id, ex quo lex concipitur (§. 41.), id quod cum dicatur ratio legis (§. 388.) imputanti, ſi id quidem legitime fieri debeat, rationes legis cognitæ ſint neceſſe eſt.

*Conſectarium*. Cui ratio legis non innoteſcit, vel qui eam negligit, is a legitima imputatione facile aberrabit.

§. 390. Quo penitius itaque aliquis rationes legum, & ex conſequenti earum principia (§ 388.) introſpexerit, eo curatiorem ſe gerere poterit in imputatione.

§. 391. *Explicare propoſitionem* aliquam nihil aliud eſt quam illam clare & diſtincte repræſentare. Et cum leges ſint propoſitiones (§. 348.), *explicare* dicitur *legem*, qui eam clare & diſtincte repræſentare poteſt.

§. 392. In imputatione legitima imputans legem diſtincte cognoſcit (§. 389.), h. e., eam ſcit diſtincte repræſentare. Imputans ergo ejusmodi debet noſſe explicare legem (§. 391.).

§. 393. Habitus leges explicandi dicitur *juris-ſcientia* ſeu *jurisperitia*.

§. 394. Habitus dextre applicandi leges ad facta in vita humana obvenientia *juris prudentia* audit.

Dicatur in tranſcurſu de differentia, quam nonnulli inter peritiam ſeu ſcientiam, conſultationem & prudentiam juris conſtituunt.

§. 395. Jurisprudentia eſt habitus applicandi leges ad facta (§. 394.). Applicatio legis ad facta eſt imputatio (§. 381.); jurisprudenti ergo habitus imputandi competit. Imputans debet ſcire explicare legem (§. 392.), jurisprudenti ergo competit habitus explicandi leges, atque adeo juris ſcientia (§. 393.).



Digitized by Google

*Scholion.* Qui verba quidem legum tenet, earum vero rationes & mentem (§. 388.) ignorat, *leguleius*; qui doloſe ſeu malitioſe applicat LL. ad facta, *rabula* audit.

§. 396. *Jurisprudentia naturalis* eſt habitus applicandi leges naturales ad facta humana (§. 393.). Eam præponere juris naturalis ſcientiam, patet ex §. 395.

§. 397. Leges ſunt propoſitiones generales (§. 346.). Facta humana ſunt caſus ſingulares (§. 383.). Applicatio igitur legum ad facta eſt applicatio propoſitionum generalium ad caſus ſingulares, ſeu reductio caſuum ſingularium ad propoſitiones univerſales. Ejusmodi applicatio fit vel deſcendendo a lege introſpecta ad factum, vel aſcendendo a facto ad legem. Priori caſu termini legis generales ſunt reſolvendi in terminos ſingulares; poſteriori vero termini factorum ſingulares ſunt commutandi cum terminis legum generalioribus. Ejusmodi deſcenſum a lege ad factum, & aſcenſum a facto ad legem ſibi vindicat jurisprudentia (§. 394.).

§. 398. Explicare mentem alterius ex ejus ſermone dicitur *interpretari*. Interpretatio itaque eſt clara & diſtincta repræſentatio mentis alterius, ex ejus ſermone eruenda (§. 391)

§. 399. Sermo alterius præponit ideas, ab illo, qui eo uſus eſt, cum terminis combinatas. Alias ſermo fini ſuo repugnaret.

§. 400. Interpres debet rationem habere idearum, ab autore explicando cum terminis combinatarum (§. 398. 399.).

§. 401. Linguæ Autoris exponendi, nec minus materiæ, de qua ſermo eſt, probe gnarum eſſe debere interpretem, patet ex §. 398.

§. 402. Si autoris alicujus mens per ſe clara & diſtincta ſit, non eſt, cur illa clara & diſtincta efficiatur ab interprete. Hinc *interpretatio* a nonnullis definitur ſtrictius per explicationem alterius ſermonis dubii. Quo ſenſu *interpretari* eſt id, quod circa orationem incognitum aut non ſatis cognitum eſt, cognitum facere, quam definitionem dedit FELDENUS.

§. 403.

Digitized by Google

§. 403. Ideas, quas interpres alias combinare ſuevit cum terminis, non debet ille intexere operi explicando (§. 399.), niſi is velit affingere verbis ſenſum, a mente autoris prorſus alienum.

§. 404. Plura de interpretatione generalia afferre nolo, cum ejus doctrina ad Logicam ſpectet. Reliqua, quæ juriconſulto interpreti obſervanda veniunt, vel ad leges poſitivas explicandas, vel ad doctrinam pactorum ſpectant.

§. 405. Jure-conſultus in applicandis legibus poſitivis ad facta interpretandi dexteritate pollere debet (§. 349. 398.).

§. 406. Jure-conſultus interpres clare & diſtincte ſcit repræſentare mentem, ex ſermone legislatoris eruendam (§. 398. 405.). Nec minus ei obſervanda ſunt, quæ §§. 400. 401. 402. 403. in medium prolata ſunt, ſi pro autore explicando legislatorem ponas.

§. 407. Lex ſumatur naturalis, quæ eſt propoſitio moraliter obligatoria naturalis (§. 348. 349.). Obligatio naturalis eaque moralis eſt nexus motivi, h. e. boni vel mali conſectarii naturalis cum actione (§. 318.); lex proinde ejusmodi naturalis eſt propoſitio repræſentans conſectarium bonum vel malum naturale. Ob conſectaria ejusmodi naturalia ipſis actionibus bonitas vel pravitas intrinſeca tribuitur (§. 327.), quæ ſpecies ſunt moralitatis intrinſecæ (§. cit.). Lex igitur naturalis ejusmodi eſt propoſitio repræſentans moralitatem, h. e. ut nos quidem putamus, bonitatem vel pravitatem intrinſecam actionum.

§. 408. Lex ponatur poſitiva, quæ eſt propoſitio moraliter obligatoria arbitraria (§. 348. 349.). Obligatio moralis poſitiva eſt nexus motivi, h. e., conſectarii boni vel mali, ejusque arbitrarii (§. 318.). Lex proinde ejusmodi poſitiva eſt propoſitio repræſentans conſectarium bonum vel malum arbitrarium. Ob conſectaria ejusmodi arbitraria actionibus tribuitur bonitas vel pravitas extrinſeca (§. 327.), quæ ſpecies ſunt moralitatis extrinſecæ actionum. Lex igitur

tur

Digitized by Google

tur ejusmodi poſitiva eſt propoſitio repræſentans bonitatem vel pravitatem, h. e., moralitatem externam actionis.

§. 409. Omnis lex eſt vel naturalis vel poſitiva (§. 349.). Jam cum utraque ſub noſtra hypotheſi ſit propoſitio repræſentans moralitatem actionis (§. 407. 408.); omnis lex ſub eadem hypotheſi eſt propoſitio repræſentans moralitatem actionum in genere.

§. 410. Hinc moralitas actionum ex harum relatione ad legem recte æſtimatur. Cujus ergo actionis relatio ad legem demonſtrari non poteſt, illius moralitas nondum eſt evicta. Et quæ actio ita eſt comparata, ut eam ad nullam legem referri poſſe conſtet, ea omnis moralitatis expers eſt.

§. 411. Annotemus duplicem fontem moralitatis, ex diverſo conſiderandi modo oriundum. Moralitas enim actionum vel refertur ad conſectaria earum, vel ad legem, conſectaria repræſentantem.

§. 412. Ex §. 409. patet, cur *actio bona* dici poſſit ea, quæ legi conformis, *& mala*, quæ legi contraria eſt. Et cum leges ſint vel naturales vel poſitivæ, hæ vero vel divinæ vel humanæ (§. 349.); dantur *actiones naturaliter bonæ*, legi naturali convenientes, diſtinguendæ ab actibus, quorum bonitas vel pravitas ab arbitrio vel divino vel humano dependet. Ad *actus* ultimi generis referuntur illi, qui *civiliter vel boni vel mali* ſunt, de quibus inferius dicendi locus erit.

§. 413. Nec difficile eſt ad judicandum, *actus* rationi legis convenientes eſſe *bonos*, *malos* vero, qui eidem repugnant (§. 388.).

§. 414. Imputatio in genere eſt applicatio legis ad facta ſingularia (§. 381.). Si ſumatur lex, quæ eſt propoſitio repræſentans moralitatem actionis (§. 407.); imputatio eſt applicatio propoſitionis repræſentantis moralitatem actionis in genere ad facta ſingularia. Sed illa applicatio ad facta ejusmodi deprehenditur in concluſione ſyllogismi, ab imputante formati (§. 380.); imputatio ergo hoc caſu abſolvi-

ſolvitur ſyllogiſmi concluſione, quæ moralitatem actionis ſingularis repræſentat. Jam cum concluſio dicatur judicium collectivum (§. 60.); *imputatio*, ſub eadem hypotheſi ſumta, & *moralis* dici ſueta, eſt judicium collectivum de moralitate actionum ſingularium.

§. 415. Hinc *actiones morales* ipſæ appellantur moraliter *imputabiles*. Unde adeo ſequitur, actionem moralitatis expertem pro moraliter imputabili haberi non poſſe. Nec minus exinde clarum eſt, quod moralitas actionis ab ejus imputabilitate morali ſeparari neſciat, quam probe diſtinguendam eſſe ab ipſa morali imputatione, monuit S. R. WALCHIUS in der Einleitung in die Philoſophie p. 336.

§. 416. *Conſcientiam moralem* eſſe judicium collectivum de moralitate actionum propriarum latum, eodem, quo id factum eſt §. 414. de imputatione morali, modo demonſtrari poteſt, ſi definitionem conſcientiæ, in §. 382. obviam, in ſubſidium ſumſeris. Diſtinguas conſcientiam moralem, de qua nos loquimur, a conſcientia ſui (§. 10.). Et cum conſcientia moralis ſit ſpecies imputationis, & moralis (§. 414.) & in genere ſumtæ (§. 382.); ad eam applicanda veniunt, quæ ex idea imputationis & moralis, & generaliter ſumtæ, deduci poſſunt.

§. 417. Pro diverſitate moralitatis, variant imputatio moralis & conſcientia ejusdem generis (§ 414. 416.). Hinc datur conſcientia, quæ ex moralitate objectiva ſeu intrinſeca originem ducit (§. 327.), & quæ eſt infimi gradus, & a qua nec illi liberare ſe poſſunt, qui bonitatem vel pravitatem actionum non niſi ex earum conſequentibus æſtimant, minus ſolliciti de inſpicienda origine auguſta moralitatis objectivæ, §. 328. demonſtrata. Qui vel prorſus non, vel non exacte ſatis, ad perſpiciendas veritates Metaphyſicas, aut ſi malueris, theologiæ naturalis ſe applicuerunt, nec aliunde de attributis divinis ſe convinci paſſi ſunt, neque tamen intellectus & rationis uſu deſtitutos ſe ſentiunt; illi hunc gradum conſcientiæ admittere coguntur, atque

adeo

adeo omnem omnino conſcientiæ ideam pro chimæra & judicio vulgi infulſo eo minus venditare poſſunt, quo minus judicium, de effectibus noſtrarum actionum liberarum, & ex conſequenti de earum moralitate formatum, chimæris acceneri poſſit. Id quod nova ratione patebit, ſi demonſtraverimus in ſubſequentibus, dari leges conſcientiæ, easque dictamina rationis eſſe æque ac naturæ jura.

§. 418. *Meritum* 1) & bene & male factum, 2) ipſum actionis moralis conſequens denotat. Effectus vel conſequentia actionum mala dicuntur *demerita*. Unde fit, ut morbus, ſuſpendium, dignitas, laus, contemtus, fuſtigatio, aliaque bona vel mala externa non minus, quam interna meritis hominum annumerentur. Sic voluptas vera & gaudium perenne virtutis præmium vel meritum, tædium è diverſo, triſtitia, pœnitentia & morſus conſcientiæ vitiorum merita ſunt.

Conſequens actionis eſt vel bonum vel malum. Hinc præmium & pœna ſunt ſpecies meriti (§. 362.).

§. 419. Notemus, *merita ſtrictius* etiam accipi pro conſectariis actionum, quibus legibus, noſtro ſenſu ſtricte dictis, de quibus inferius agemus, ultra earum præſcripti menſuram ſatisfactum eſt, & *demerita* pro conſequentibus actionum, quibus leges ſtricte violatæ ſunt. Nec minus ipſæ ejusmodi actiones meritorum nomine veniunt. Conſ. §. 1023. 1024.

§. 420. Si ſequamur ſignificatum meriti ſtrictiorem, actiones nullo merito, ſed impunitate tantum dignæ cenſentur, quibus legum ſtrictiorum menſura adimpleta eſt. Et cum actus amoris & beneficia leges, ſtrictius ſumtas, transcendant, ea vi hujus acceptionis meritoria exiſtimantur.

§. 421. In ſphæra morali concipimus *forum externum* ſeu *humanum* diſtinguendum à *foro interno*, ad quod *tribunal rationis & forum conſcientiæ* refertur. Et cum vox rationis ſit vox DEI (§. 395.), nec minus demonſtrari poſſit, dictamina conſcientiæ & rationis eadem eſſe; tribunal rationis &



Digitized by Google

forum conſcientiæ *foro divino* ſeu *poli* recte annumerantur. In rebuspublicis & in foro externo innumeræ actiones impunitæ vel irremuneratæ manent, quæ tamen in foro interno & divino vel præmiis afficiuntur vel pœnis, adeoque merito dignæ exiſtimantur, præcipue cum evincere poſſimus, nullam actionem in ſphæra naturali impunitam vel irremuneratam permanſuram, ſi ad ideam ſyſtematis divini reflexerimus. Proinde notiones meriti, demeriti, præmii, & pœnæ ita formandæ ſunt, ut eæ non minus ad forum conſcientiæ, quam ad forum externum applicari poſſint, licet definitio meriti ex idea reipublicæ novas nanciſci debeat determinationes, quibus illi caſus, qui civiliter demeritorii & conſequenter ad pœnam civilem imputabiles ſunt, & de quibus §. 1209. ſeqq. ſpec. de imperio civili egimus, ſeparantur ab eis, quæ ſubjectorum conſcientiæ & eorum dictamini rationis relinquuntur. Hinc in foro humano multa dantur nec præcepta nec prohibita ſed permiſſa tantum quæ tamen in foro interno & conſcientiæ præcepta vel interdicta concipiuntur. Hinc multi dantur in republica actus indifferentes, quos in foro & conſcientiæ tales non eſſe notum eſt, in quo quippe omnis actio vel bona vel mala eſt. Conf. §. 738.

§. 422. Bonitas & pravitas actionum efficit, ut illis meritum tribuatur (§. 418.). Meritum itaque non niſi in bonas vel pravas actiones cadere cenſetur. Quæcunque ergo de actionibus moralibus valent, ea ad earum merita applicanda ſunt. Hinc *promeruiſſe* dicitur, qui normæ conſcius, ſciens volensque perfecit actionem (§. 196. 200. 201.), quæ ſunt verba beati EGERHARDI, in §. 28. c. IV. L. I. I. N. occurrentia.

§. 423. Judicium de actionum merito eſt judicium de earum bonitate vel pravitate (§. 422.). Sed judicium de bonitate vel pravitate actionum ſingularium eſt imputatio moralis (§. 414.), judicium itaque de merito actionis, atque adeo de ejus præmio vel pœna eſt imputatio moralis (§. 418.).

Digitized by Google

(§. 418.). Meritum proinde continet rationem, cur aliqua actio pro moraliter imputabili habeatur (§. 42.), idque in foro vel externo vel conſcientiæ. Imputatio civilis datur, quæ eſt judicium de merito actionis, in ſphæra civili ſpectato.

§. 424. *Gradus* eſt quantitas alicujus rei intenſæ determinabilis per quantitatem alius rei intenſæ homogeneæ (§. 209.). *Intenſum* opponitur *extenſo*. Hoc in compoſitis, illud in rebus, compoſitionis expertibus, locum habet. Sic quantitas e. gr. proæreſios, in unius delicto deprehenſæ determinabilis per quantitatem proæreſios, in alius delicto occurrentis, conſtituit gradum proæreſios.

*Scholion*. Rebus intenſis annumerantur habitus animæ, & conſequenter virtutes & vitia, præreſis & culpa, perfectiones & imperfectiones animæ.

§. 425. Gradus ſunt ſpecies quantorum (§. 424.).

§. 426. In quo dato majus & minus concipio, ibi concipio quantum.

§. 427. *Metiri* ſeu *menſurare* eſt nihil aliud quam quantitatem aliquam pro unitate aſſumere ac aliarum rerum homogenearum rationem ad eandem determinare. Quantitas pro unitate aſſumta dicitur *menſura*. Menſuram itaque homogeneam eſſe menſurato, clarum eſt. Hinc lineæ lineis, ſuperficies ſuperficiebus, gradus gradibus commenſurantur.

§. 428. Quantitas, qua res ad relationem inter ſe, adeoque ad dimenſionem recipiendam aptæ redduntur, dicitur *pretium* ſeu *valor*. Reflectas ad pretium, rebus, in commercium venientibus, imponi ſolitum.

*Scholion*. Res, quæ in commercio exiſtunt, & quas homines inter ſe comparare voluerunt, ſunt res heterogeneæ (§. 209.), quæ, qua tales, nullam patiuntur comparationem & proportionem, quam quippe homogeneitatem requirere aliunde conſtat. Sed quatenus eisdem quanta homogenea tribuuntur, illæ etiam comparationem & proportionem admittunt.



Digitized by Google

§. 429. Gradus ſunt ſpecies quantorum (§. 425.). Quidquid competit generi, competit ſpeciebus. Ergo quicquid prædicatur de quanto, etiam de gradibus rerum prædicandum eſt. Jam cum in re, quæ quantitatem admittit, majus & minus concipi poſſint (§. 426.); in rebus, quæ admittunt gradus, majus & minus a nobis poſſunt concipi.

§. 430. In bonitate vel pravitate actionum & ex conſequenti in earum moralitate concipimus majus & minus, adeoque & quantum (§. 426.), idque intenſum cum moralitas actionum rebus intenſis annumeranda ſit (§. 424.).

§. 431. Minorem bonitatem vel pravitatem actionum poſſumus aſſumere pro unitate, ac majoris bonitatis vel pravitatis rationem ad eandem determinare. Moralitas proinde actionum dimenſionis (§. 427.), pretii & valoris (§. 428.), capax eſt.

§. 432. Unde concipere nobis datur, cur actiones morales proportionem admittere poſſint. Nec minus inde concipitur, dari quantitates morales, quas in meditatione peculiari de imputatione, parti XXXVI. GUNDLINGIANORUM inſerta, graviter vindicatas deprehendimus.

§. 433. In moralitate actionum concipimus quantum intenſum (§. 430.), determinabile per quantum intenſum homogeneum (§. 431.). In moralitate itaque actionum concipimus gradus (§ 424.).

§. 434. Actioni ob ejus moralitatem tribuitur meritum (§. 422.). Sed cum in moralitate actionum concipiantur gradus (§. 432.). in merito actionis etiam gradus admittendi ſunt.

§. 435. In moralitate actionum concipimus gradus (§. 433). Jam cum actionum convenientia cum lege, & earum ab eadem deflexio moralitatem illarum conſtituat (§. 412.); in actionum cum lege convenientia & in earum ab eadem deflexione gradus concipiuntur.

§. 436. Imputans judicat de moralitate actionum (§. 414.), de earum merito (§. 423.), de diſconvenientia vel con-

convenientia eorum cum lege (§. 414. 410.). Imputanti itaque gradus moralitatis actionum, earum meriti, diſconvenientiæ vel convenientiæ cum lege æſtimandi veniunt (§. 433. 435.), ſi LL. ad gradus moralitatis reſpiciant.

§. 437. Aeſtimatio graduum alicujus rei eſt ſpecies commenſurationis (§. 424. 427.). Æſtimatio itaque graduum moralitatis, meriti, diſconvenientiæ vel convenientiæ actionis cum lege eſt commenſurationis ſpecies. Hinc imputanti (§. 436.) & jurisconſulto (§. 395.) tribuitur facultas commenſurandi moralitatem, merita, demerita actionis, nec non ejus diſconvenientiæ vel convenientiæ cum lege. Conferas meditationem GUNDLINGIANAM §. 432. citatam.

§. 438. Fortuna eſt nexus cauſarum, certum effectum in ſtatu noſtro producentium, quem prævidere non potuimus (§. 375.). Ergo res meræ fortunæ non ſunt in noſtra poteſtate (§. 307.), atque ita comparatæ, ut illæ, in ſe ſpectatæ, non poſſint pro conſectariis actionum liberarum reputari (§. 310.). Huc referas *res inevitabiles*, ad quarum exiſtentiam impediendam vires noſtræ non ſufficiunt.

§. 439. In res meræ fortunæ non cadit meritum, atque adeo nec præmium nec pœna (§. 438. 418.), nec ex conſequenti imputabilitas moralis (§. 423.). Delictum ergo fortunæ implicat.

§. 440. Imputatio nititur ratiocinio (§. 380.). Quod cum ſit vel verum vel falſum; *imputatio* vel recta vel *erronea* ſeu *ſpuria* eſſe debet. Quæ diviſio etiam ad conſcientiam applicari poteſt (§. 382.).

§. 441. Imputatio recta nititur ratiocinio vero (§. 440.), quod requirit principia vera & eorum nexum legitimum. In imputatione itaque recta imputans non ſolum præmiſſis veris, ſed & dexteritate legitime copulandi principia cum concluſione inſtructus ſit neceſſe eſt. Hinc in imputatione recta veritas & legis & facti requiritur.



Digitized by Google

§. 442. In imputatione recta requiritur legis veritas (§. 441.). Leges ſunt propoſitiones (§. 346.), in veritate propoſitionum inſpicienda adhibendas eſſe notiones diſtinctas ex Logicis conſtat; in imputatione ergo recta opus eſt diſtinctis notionibus terminorum legis, eorumque determinationum, ſi quas in lege deprehenderis (§. 20.). Si quis ejusmodi terminorum legis definitionibus deſtitutus fuerit, à rite applicanda lege ad factum facile aberrare poterit.

*Scholion.* Si quis alteri furtum, tyrannidem, reſtitutionem damni tribuere velit, ſed horum terminorum definitiones ignoret, is periculo turpiter errandi ſubjectus eſt.

§. 443. Imputatio recta nititur ratiocinio vero (§. 440.) quod eſt vel demonſtrativum vel probabile. *Imputatio* itaque *recta* vel *certa* vel *probabilis* eſt. Quid ſit *imputatio incerta* ſeu *dubia*, ex §. 63. patet.

§. 444. Quæ §§. 441. 442. 443. de imputatione adducta ſunt, ad conſcientiam rectam applicanda veniunt (§. 440.).

§. 445. Qui provocat ad conſcientiam, ad judicium, quod de moralitate actionum tulit, & ad principia, ex quibus illud prognatum eſt, provocat (§. 416.). Sed cum ejus judicia erronea eſſe poſſint, provocans ad ſuam conſcientiam ægre ferre non poteſt examen, ad quod revocant alii & principia & ratiocinium.

§. 446. Judicium de pravitate actionis propriæ & ex conſequenti conſcientia (§. 416.) excitat in nobis ſenſus imperfectionis (§. 145.) & tædia (§. 155.), quæ pro gradu indignitatis actus multiplicia & vehementia eſſe poſſunt. Hinc nulla pœna major carnificina conſcientiarum his in terris eſſe judicatur. Huc referas Ciceronis verba: „ Malæ cogitationes conſcientiæque animum terrent; hæ ſunt impiis aſſiduæ & domeſticæ furiæ, quæ dies noctesque pœnas a ſceleribus repetunt.

§. 447. Judicium de bonitate noſtrarum actionum ſuſcitat in nobis ſenſus perfectionum (§. 141.) & voluptatem multi-

Digitized by Google

multiplicem (§. 121.), eandemque ſæpius intenſiorem pro ratione gradus, quem in actione bona deprehendimus. Ejusmodi judicium ad conſcientiam ſpectat (§. 416.). Dantur itaque caſus, in quibus conſcientia efficit, ut voluptate & gaudio (§. 367.) perfundamur.

§. 448. Voluptas, tædium, triſtitia, gaudium motivis annumerantur (§. 172.). Conſcientia cum actionibus liberis quibusdam voluptatem & gaudium (§. 447.), cum aliis tædium & triſtitiam copulavit (§. 446.); conſcientia ergo cum actionibus liberis motiva quædam connexit.

§. 449. Quicquid motiva cum actionibus copulat, illud noſtra ſignificatione nos obligare dicitur (§. 300.). Conſcientia ergo nos obligat ad actus bonos exequendos & ad malos fugiendos (§. 448.).

§. 450. Conſcientia nos obligat ad actus, qui nos noſtrumque ſtatum perficiunt, edendos, & ad eos fugiendos, qui nos ſtatusque noſtros externos imperfectos efficiunt (§. 449.).

§. 451. Conſcientia eſt judicium (§. 416.) idque obligatorium (§. 450.). Judicium obligatorium eſt lex (§. 348.); ergo dantur leges conſcientiæ.

§. 452. Dantur leges conſcientiæ (§. 451.) quæ nos obligant ad nos perficiendos (§. 449.). Jam vero leges Naturæ etiam nos obligant ad nos perficiendos (§. 352.), leges ergo conſcientiæ & leges Naturæ in eodem tertio conveniunt. Quæ conveniunt in eodem tertio, conveniunt inter ſe intuitu illius tertii; leges proinde conſcientiæ & leges Naturæ inter ſe conveniunt. Quæ conveniunt inter ſe, eorum alterum poteſt ſubſtitui in locum alterius. Hinc leges conſcientiæ in locum legum naturæ ſubſtitui poſſunt. Quorum alterum in locum alterius ſubſtitui poteſt, ea ſunt eadem (§. 50.), leges ergo conſcientiæ & leges Naturæ ſunt eædem. Quæ ſunt eadem, eorum nomina identificari poſſunt. Nomina itaque legum Naturæ & conſci-



Digitized by Google

entiæ poſſunt identificari. Leges ergo conſcientiæ ſunt leges Naturæ.

§. 453. Dantur effectus ex actionibus noſtris liberis oriundi, & ad noſtram perfectionem imperfectionemve tendentes (§. 194. 124. 126.). Ob ejusmodi effectus moralitas intrinſeca actionibus tribuitur (§. 327.). Qui itaque judicat de bonitate & pravitate, & ex conſequenti de eadem moralitate actionum, ille perſpicit effectus, ex illis oriundos.

*Scholion.* De actionibus liberis ſingularibus & de judicio collectivo, quod de earum moralitate objectiva fertur, in hoc & ſeqq. §§. ſermo eſt.

§. 454. Inter cauſam & effectum datur nexus (§. 203.). Actiones liberæ ſunt cauſæ effectuum, ex illis ortorum (§. 202.); nexus itaque inter actiones liberas & earum effectus datur. Qui proinde introſpici effectus, ex actionibus oriundos, ille introſpicit nexum actionum; earumque effectuum. Jam vero qui judicat de moralitate objectiva actionum, ille introſpicit effectus, ex actionibus oriundos (§. 453.), judicans ergo de eadem moralitate actionum introſpicit nexum actionum & earum effectuum.

§. 455. Actiones liberæ & earum effectus poſſibilibus annumerantur (§. 38.). Nexus ergo actionum liberarum & earum effectuum eſt nexus quorundam poſſibilium. Qui itaque introſpicit nexum actionum liberarum & earum effectuum, is introſpicit nexum quorundam poſſibilium. Jam vero cum ille, qui judicat de moralitate actionum, etiam introſpiciat nexum actionum, & earum effectuum (§. 454.); is qui judicat de moralitate actionum objectiva, introſpicere etiam debet nexum rerum quarundam poſſibilium.

§. 456. Qui nexum rerum poſſibilium perſpicit, is ratione præditus eſt (§. 93.). Jam vero cum ille, qui judicat de moralitate actionum intrinſeca, etiam introſpiciat nexum

Digitized by Google

nexum rerum quarundam poſſibilium (§. 455.); is, qui judicat de ejusdem generis moralitate actionum objectiva eſt dictamen rationis.

§. 457. Judicium de moralitate actionum ſingularium objectiva, & conſequenter de actionibus vel per ſe bonis, vel per ſe malis (§. 327.), eſt judicium de actionibus ſingularibus, quæ a jure naturali, latiſſime ſumto (§. 351.), vel præcipiuntur, vel prohibentur, per Schol. §. 352. Enimvero judicium de actionibus ſingularibus, quæ a jure naturali, latius ſumto, vel præcipiuntur, vel prohibentur; eſt applicatio juris Naturalis, latius ſumti, ad actiones ſingulares, quæ fit in concluſione, in qua judicium illud collectivum deprehenditur, & conſequenter *imputatio naturalis* per Schol. §. 381.; judicium ergo collectivum de moralitate actionum ſingularium objectiva eſt imputatio naturalis, eaque moralis (§. 414.). Sed cum illud idem judicium ſit dictamen rationis (§. 456.); *imputatio naturalis, eaque moralis* eſt *dictamen rationis.*

§. 458. Judicium de moralitate actionum propriarum & conſequenter de actionibus propriis vel per ſe bonis, vel per ſe malis (§. 327.), eſt judicium de actionibus propriis, quæ a jure naturali, latiſſime ſumto (§. 351.), vel præcipiuntur, vel prohibentur, per Schol. §. 352. Enim vero judicium de actionibus propriis, quæ a jure naturali, latius ſumto, vel præcipiuntur, vel prohibentur, eſt applicatio juris naturalis, latius ſumti, ad actiones proprias, quæ fit in concluſione, in qua judicium illud deprehenditur, & conſequenter *conſcientia naturalis* (§. 382.); judicium ergo collectivum de moralitate actionum propriarum objectiva eſt conſcientia naturalis, eaque moralis (§. 414.). Sed cum illud idem judicium ſit dictamen rationis (§. 456.); *conſcientia naturalis*, eaque *moralis*, *eſt dictamen rationis.* Leges proinde conſcientiæ naturalis congſue vocantur dictamina rationis.

§. 459.

§. 459. Imputatio & conſcientia erronea ſeu falſa eſt ſpuria (§. 440.). Hinc non niſi imputatio & conſcientia recta ſibi vindicat prædicatum dictaminis rationis. Imputationem erroneam eſſe ſpuriam, patet ex ſuperioribus. Quo enim pacto demonſtrari poteſt, obligationem erroneam non eſſe naturalem, cum natura noſtra neque ad bona apparentia, quæ mala ſunt (§. 143.), amplectenda, neque ad mala apparentia, quæ bona ſunt (§. 147.) fugienda nos obliget (§. 334.); eodem etiam modo evinci poteſt, imputationem, & conſequenter conſcientiam (§. 382.) erroneam non eſſe naturalem, h. e. conformem legibus naturalibus.

§. 460. In quo dantur dictamina rationis reſpectu actuum ſuſcipiendorum vel ſuſceptorum, ille admittere debet leges conſcientiæ naturalis (§. 458.). Conſ. §. 417.

§. 461. Qui agit contra dictamina rationis, contra leges conſcientiæ agere cenſetur. Et creſcente dictamine rationis reſpectu actuum ſuſcipiendorum, creſcit conſcientiæ naturalis gradus (§. 458.).

§. 462. Leges conſcientiæ naturalis ſunt dictamina rationis (§. 458.), Leges naturæ ſunt leges conſcientiæ naturalis (§. 452.), leges ergo naturæ ſunt dictamina rationis.

§. 463. Ratio ad prima naturæ homini propria pertinet (§. 282.). Conſcientia itaque & jura naturæ ex primis naturæ homini propriis h. e. ex natura rationali derivanda ſunt (§. 458. 462.). Conferas ultima verba §. 282.

§. 464. Vox conſcientiæ eſt vox rationis (§. 458.). Vox rationis eſt vox naturæ (§. 359.). Vox ergo conſcientiæ eſt vox naturæ, adeoque & DEI (§. 330.).

§. 465. Quouſque ſe extendit ratio in actibus liberis ſuſcipiendis vel ſuſceptis, eouſque ſe extendit lex conſcientiæ & jus naturæ. Inferius patebit, forum externum eouſque

Digitized by Google

usque ſe non extendere, quo ſe extendit dictamen rationis & ex conſequenti jus conſcientiæ. Forum proinde externum foro conſcientiæ ſublimiori & ſanctiori contradiſtinguitur.

§. 466. Fuſiorem conſcientiæ tractationem ſibi vindicat ethica, ex qua nobis nonnulla ſunt delibanda interdum, ut gradationem imputationis, conſcientiæ, officiorum, nec minus diverſitatem fori externi ab interno introſpicere poſſimus.

§. 467. Syllogiſmus demonſtrativus exigit præmiſſas indubias. In ſyllogiſmo imputantis major eſt lex & minor eſt factum (§. 380.), ergo in imputatione & conſcientia certa lex indubitatæ veritatis & factum liquidum requiruntur (§. 443. 444.).

§. 468. In ratiocinio probabili vel utraque vel alterutra præmiſſarium probabilis eſt. Formam ratiocinii probabilis diverſam a forma demonſtrativi non agnoſcimus. Ergo imputatio probabilis a legis vel facti veriſimilitudine, vel ab utriusque probabilitate dependet.

§. 469. In imputatione ponitur factum, ſub circumſtantiis ſingularibus conſideratum (§. 383.). Hinc in imputatione quæritur de exiſtentia facti, quæ ponit ejus poſſibilitatem. Si quis proinde in caſu dato circumſtantiarum contradictionem, §. 37. definitam, demonſtrare poſſit, is in eodem caſu adhuc nullum adeſſe factum imputabile oſtendit (§. 38.). Ejusmodi facta impoſſibilia non eſſe probabilia patet ex §. 120.

§. 470. Sola facti poſſibilitas vel in ſe (§. 38.), vel reſpectu virium alicujus individui (§. 307.) conſiderata, ad probabilitatem illius non ſufficit (§. 121.). In facto probabili exiguntur actus quidam ſeu indicia, a quorum exiſtentia, quæ nobis innoteſcit, ad reliquorum facti requiſitorum exiſtentiam argumentari licet (§. 119.). Conferas §. 123. Propoſitiones probabiles referuntur ad *conjecturas*; artem proinde conjectandi in materiis, imputationem

tationem concernentibus, maximi momenti eſſe cognoſcimus.

§. 471. Ardua res eſt doctrina probabilium, cujus majorem accurationem jamjam deſiderarunt viri ſummi in probabilitatis gradibus exactius determinandis.

§. 472. Imputatio nititur ratiocinio (§. 380.). In quo cum peccari poſſit vel contra formam, vel contra materiam, in imputatione morali duplex vitium committi poſſe liquide conſtat, e. gr. Si quis ita argumentetur: Titius eſt hæreticus. Hæretico non eſt ſervanda fides. Ergo, &c.; contra materiam peccaſſe imputans dicitur.

§. 473. Contra materiam ſyllogiſmus peccare dicitur, cujus vel major vel minor vel utraque præmiſſarum fuerit falſa. Sed in imputatione major propoſitio eſt lex, minor eſt factum, de quo quæritur (§ 380.); imputans ergo, ſi materiam ſpectaveris, vel legis applicandæ, vel facti imputandi, vel utriusque reſpectu errare poteſt.

§. 474. Judicium collectivum erroneum de moralitate actionis latum dicitur *imputatio erronea*, in qua error juris ab errore facti, & uterque ab erronea juris ad facta applicatione probe diſcernendus venit (§. 472. 433.). *Error legis* ex §. 115. 346. definiri poteſt. *Errorem facti imputandi* committit, qui in circumſtantiis ſingularibus, pro ratione legis neceſſariis, errat (§. 383.).

§. 475. Quousque aliquis obligatus eſt noſſe leges & facta pro ratione officii, eousque tenetur evitare ignorantiam & errorem juris & facti. Quam ignorantiam, quem errorem evitare vel in alicujus poteſtate fuit, vel minus (§. 307.); prior *ignorantia* vel *error vincibilis*, poſterior vero *invincibilis* dicitur.

§. 476. Actio legibus conformanda dicitur *officium*. Lex eſt propoſitio obligatoria (§. 348.). Officium itaque eſt actio, quam exequi vel intermittere obligamur. Hinc officium eſt actio, quæ cum obligatione connexa eſt.

§. 477.

Digitized by Google

§. 477. Unde patet, cur *obligatio*, eaque *paſſiva* (§. 320.), dicatur *officium*.

§. 478. Imputatio in genere eſt applicatio legis ad facta ſingularia (§. 381.). Lex eſt propoſitio obligatoria (§. 348.). Ergo imputatio in genere eſt applicatio propoſitionis obligatoriæ ad factum ſingulare. Hinc in facto, alicui imputando, eo ſemper reſpiciendum, utrum ille ad illud ſuſcipiendum vel omittendum obligatus fuerit.

§. 479. Officium concipitur ex lege (§. 476. 346. 41.). Hinc officiorum rationes continentur in lege (§. 42.). In quo itaque caſu nulla datur lex, ille officii impatiens eſt, & ab obligatione paſſiva immunis.

§. 480. Lex ſe refert ad officium, ut principium ad principiatum (§. 42. 479.). Si ſumatur obligatio pro officio (§. 477.), lex ſe refert ad obligationem, ut principium ad principiatum. Et cum effectus ſit principiatum (§. 202. 42.), factum eſt, ut alias obligatio dicatur effectus legis.

§. 481. Leges præſcribunt officia (§. 346. 476.) & obligationes (§. 477.). Applicatio igitur legis ad facta ſingularia, atque adeo imputatio (§. 381.) eſt applicatio obligationis ad facta. Hinc in facto alicui imputando eo ſemper reſpiciendum, utrum ille ad ſuſcipiendum vel omittendum illud fuerit obligatus. Videmus itaque, eandem propoſitionem, quæ §. 478. demonſtrata eſt, poſſe evinci, ſi vocabulum obligationis pro officio ſumſerimus (§. 477.).

§. 482. Actus, in quem nulla cadit obligatio, active vel paſſive ſumta, ille non habetur pro imputabili (§. 478. 481.).

§. 483. Actio libera, h. e. in poteſtate noſtra exiſtens (§. 310.), cujus ſuſceptio legi non repugnat, *moraliter poſſibilis*; actio libera, cujus ſuſceptio legi contradicit, *moraliter impoſſibilis* dicitur. Commiſſio perjurii eſt actio moraliter impoſſibilis.

§. 484.

Digitized by Google

§. 484. Actus moraliter poſſibilis vel impoſſibilis præponit actum, qui non ſolum in ſe (§. 38.), ſed & ratione virium noſtrarum (§. 307. 308.) poſſibilis eſt (§. 483.).

§. 485. Fieri itaque poteſt, ut aliquis actus, in ſe quidem & ratione virium noſtrarum poſſibilis, moraliter tamen impoſſibilis ſit. Et qui actus vel in ſe, vel reſpectu virium noſtrarum impoſſibilis eſt, moraliter poſſibilis fieri non poteſt (§. 484.).

§. 486. Non niſi ad actiones liberas, legibus non repugnantes, obligamur (§. 446.). Ad actiones proinde liberas, non niſi moraliter poſſibiles, obligamur (§. 484.).

§. 487. In obligatione morali requiritur actio 1) in ſe, 2) naturaliter, 3) moraliter poſſibilis (§. 486. 484.).

§. 488. Quæcunque actio moraliter poſſibilis non eſt, ad eam non obligamur (§. 486. 487.). Actio moraliter impoſſibilis non eſt actio moraliter poſſibilis (§. 484.); ergo ad actionem moraliter impoſſibilem non obligamur,

*Scholion.* Huc ſpectat canon: *ultra poſſe.* (vel in ſe, vel naturaliter, vel moraliter tale) *non obligamur.*

§. 489. *Libertas*, quam §. 186. 187. definivimus, *interna*, & quæ §. 310. adumbrata eſt, *externa* congrue vocatur B. SCHILTERO aliisque. Utramque ſibi vindicat obligatio moralis (§. 316. 310.), & ex conſequenti imputatio eiusdem generis (§. 478. 481.).). Ideam libertatis internæ, §. 186. 187. adductæ, Cel. TREVERVS, Profeſſor Helmſtadienſis in nota I. ad §. XII. c. I. PVFEND. de O. H. C. ob rationes momentoſas admiſit.

§. 490. Neque adeo illi falluntur, qui libertatem pro imputationis moralis baſi habuerunt, quibus annumeres R. MAIMONIDEM, id quod teſtatur GVNDLINGIVS §. 4. Meditationis de imputatione, §. 432. citatæ, cujus ex fœcunditate multum me profeciſſe fateor. Conf. Cel. SYRBII, §. 9. c. 4. I. N. G.

§. 491. Neceſſitas & intrinſeca & extrinſeca contradicit libertati (§. 189.), obligationi morali (§. 489.) & imputabilitati morali (§. 489.). *Actiones* ex neceſſitate extrinſeca profectæ dicuntur *invitæ per violentiam*.

§. 492. Quicunque actus obligationem moralem reſpuit, moraliter imputari nequit (§. 478. 481.). Hinc nulla locum habet imputatio in rebus abſolute impoſſibilibus (§. 306.), in actionibus, quæ phyſice & naturaliter impoſſibiles ſunt (§. 309.), & quæ moraliter in poteſtate noſtra non exiſtunt (§. 488.). Nec in actionibus mere naturalibus (§. 311.), nec in actionibus hominis, qui intellectu & voluntatis uſu deſtitutus eſt, quod quidem ad forum attinet humanum (§. 312.), nec in rebus abſolute neceſſariis (§. 313.) imputatio moralis concipitur.

§. 493. TÒ *meum*, *tuum*, *noſtrum morale* ut diſtinctius paulo nobis repræſentemus, geneſin actus moralis expendamus curatius. Memini me olim audire ex ore B. GODOFREDI OLEARII locum *Auguſtini*, qui quoad ſenſum huc redit: *Primo oritur cogitatio objecti, cogitationem delectatio, delectationem propoſitum, propoſitum, actus, actum conſuetudo, conſuetudinem neceſſitas* (*moralis*) *& neceſſitatem deſperatio ſequitur.* Ad quam catenam moralem, quæ geneſin peccati ob oculos nobis ponis, & quæ mutatis mutandis ad quemcunque actum moralem, ejusque corollaria applicari poteſt, nec minus adeo contingens eſt (§. 179.), jam reflectamus. Conferas geneſin actus moralis, quam dedit B. IACOBVS THOMASIVS in Tab. XXIIX. Philoſ. Pract.

§. 494. Innumeræ objectorum & actionum ideæ in nobis cooriuntur. Nuda rerum & actionum liberarum repræſentatio moralitatis nihil continet.

§. 495. Actiones & alia objecta repræſentata nobis videntur vel perfecta vel imperfecta (§. 124. 126.), adeoque in anima noſtra voluptatem vel tædium progenerant (§. 131. 135.).



Digitized by Google

§. 496. Sed fieri poteſt, ut aliqua actio nobis primo illius adſpectu videatur perfecta; quam propius conſideratam imperfectam deprehendimus. Frequentius itaque fit, ut voluptas ex prima rei repræſentatione ſuborta ſit imaginaria (§. 132.), & in tædium acerbum ſæpius degeneret (§. 133.). Id quod etiam mutatis mutandis de tædio imaginario valebit, quod æque atque voluptas fucata, mutabile eſt (§. 138.) & cum voluptate facile commutari poteſt. Utrumque ratio cognoſcit & experientia multiplex comprobat.

§. 497. Voluptas apparens ad ſectandam imperfectionem nos ſtimulare (§. 132. 128.), & tædium imaginarium a perfectione vera nos refrænare (§. 137. 128.), atque utrumque in conſequentia ſæpius funeſta nos conjicere poteſt. Jam cum ad evitandas imperfectiones & conſectandas perfectiones obligemur (§. 340.); voluptas & tædium apparens ſunt fugienda. Conferas §. 338, 337.

§. 498. Primi proinde voluptatis & tædii ſenſus ſollicitius examinandi ſunt, idque uſu intellectus, rationis & experientiæ (§. 61. 93. 65.), utrum nitantur perfectione vera, an apparenti (§. 119. 342) Quo facto voluptas vel tædium apparens interturbatur & ſupprimitur.

§. 499. Quouſque itaque uſu intellectus & rationis, vel ope experientiæ in poteſtate noſtra ſitum ſit, repræſentationes perfectionum vel imperfectionum erroneas & falſas introſpicere, eouſque efficere poſſumus, ut ſenſus perfectionis apparentis degeneret in ſenſum imperfectionis, atque ut ſenſus imperfectionis fucatæ in ſenſum perfectionis abeat (§. 128.). Quo facto voluptatis & tædii apparentis ſenſus, quos capere poſſumus ex legis, quæ nobis innotuit, vel violatione vel adimpletione, evaneſcent (§. 131. 135.), atque adeo nec ad imperfectiones ſectandas, nec ad perfectiones fugiendas, quod utrumque legibus repugnat (340.) nos ulterius ſtimulare poſſunt (§. 132. 128. 137.). Cui primo fomiti, quibus principiis ſiquis hoc caſu non reſtiterit,

ſtiterit, cum obſtare tamen illis potuiſſet, idque uſu vel intellectus, vel rationis vel analogi rationis (§. 61. 93. 65. 107. 108.); is ſibi metipſi imputet conſequentia & incommoda, inde oriri ſolita, eaque vel naturalia vel ab arbitrio ſuperioris pendentia. Cognoſcimus itaque voluptatis ſeu delectationis & tædiorum imputabilitatem, ſi forum internum & rationis tribunal ſpectaveris (§. 421.), quatenus quippe in poteſtate noſtra poſitum ſit, reflectere ad primum voluptatis vel tædii ſenſum in nobis ſubnatum & ex idea perfectionis objecti ſubortum. Ejusmodi reflexionis neglectionem eſſe culpoſam, atque adeo imputabilem inferius patebit.

§. 500. Si fiat, ut objectum, perfectum vel imperfectum nobis viſum, ad nos noſtrumque ſtatum externum referamus, illoque nos perfici vel imperfectos effici intelligamus; illud pro bono vel malo habemus (§. 141. 145.).

§. 501. Aliquam actionem pro bona habere dicitur *approbare actionem*, *& reprobare* eam eſt nihil aliud, quam pro mala eam habere. Utrumque actum eſſe ſpeciem judicii, de moralitate actionum lati, patet ex (§. 59. 60. 196. 198.) Judicium ejusmodi poteſt ferri vel ante actum eſt poſt illum. Hinc *approbationem & reprobationem* in *antecedentem & conſequentem* partiri ſolent moralium doctores. De priori ſpecie jam loquimur.

§. 502. Si fiat, ut objectum, perfectum nobis viſum, ad nos noſtrumque ſtatum externum referamus, illoque nos perfici vel imperfectos reddi exiſtimemus, illud approbamus vel reprobamus (§. 501. 141. 145.).

§. 503. Bonum vel malum eſt vel verum vel apparens (§. 143. 144. 146. 147.). Hinc *approbatio & reprobatio actionis* vel *recta* vel *erronea* eſt (§. 501.), quæ poſterior eſt vel vincibilis, vel invincibilis, quatenus eam evitare in noſtra poteſtate poſitum eſt, minusve.

§. 504. Imputatio moralis & conſcientia ſunt actus approbandi vel reprobandi actionem (§. 501. 414. 416.).

§. 505. Ex repræſentatione boni oritur inclinatio mentis, quæ appetitus vel voluntas dicitur (§. 154. 166.); ex repræſentatione mali reclinatio mentis naſcitur, quam vocamus averſationem vel noluntatem (155. 167.). Et *inclinatio & reclinatio mentis* per *conatum* vel *niſum* explicari poſſunt. Priori enim caſu anima tendit ad perceptionem præviſam exiſtentiæ reddendam, poſteriori vero ea connititur impedire, ne perceptio præfigurata exiſtentiam nanciſcatur. Conf. §. 234.

§. 506. Affectus eſt inclinatio vel reclinatio mentis intenſior (§. 158. 154. 155.). Affectus ergo ſunt niſus fortiores, quibus mens ad agendum determinatur (§. 505.). Hinc experiundo diſcimus, homines affectibus agitatos vehementiori conatu moveri ad exiſtentiam rei præviſæ vel promovendam vel impediendam.

§. 507. Dantur ejusmodi mentis niſus agendi, qui erumpunt, &, niſi impediantur, ad actum externum ruunt, idque ope membrorum corporis, ob unionem, quæ animæ cum corpore intercedit, & quam experientiâ ipsâ comprobat. Quales actus externi corporis voluntarii dicuntur (§. 193.), quippe qui conſecuti non fuiſſent, niſi mentis deſtinatio ſeu voluntas prævia extitiſſet.

§. 508. In Philoſophia practica, adeoque & in ejus partibus requiritur ejusmodi *conatus*, qui ad actum vel exiſtentiæ reddendum vel ab eadem ſuſpendendum ſufficit, & qui *efficax* dicitur, contradiſtinguendus *conatui mentis inefficaci*, qui ad actum vel producendum vel ab exiſtentia refrenandum non ſufficit. Et cum *voluntas* ſit mentis conatus agendi (§. 505.), illa etiam *in ſimplicem* ſeu *inefficacem* ſ. *efficacem & inefficacem* ſ. *efficacia* dividitur. *Cognitio viva* dicitur, quæ voluntatem efficacem producit.

*Scholion. Voluntas efficax* vel *efficiens*, vel *inefficiens* eſt, Prior ad actum pertingit, licet impedimentum, ſuperatu tamen poſſibile, adſit, poſterior vero erumpere extrorſum non poteſt ob impedimentum minus ſuperabile. Hinc licet

Digitized by Google

licet alicujus voluntas ſit inefficiens, ea tamen efficax eſſe poteſt, & conſequenter a voluntate alicujus inefficienti ad voluntatem ejus inefficacem concludere non poſſumus.

§. 509. Voluntas agendi efficax dicitur *propoſitum agendi* ſeu *proæreſis* ſeu *intentio ſtricte dicta*; propoſitum ergo ſeu proæreſis conatus mentis eſt, qui, niſi impediatur, erumpit, h. e. efficit, ut exiſtat aliquid, niſi impedimentum obſtet, idque uſu membrorum corporis, ob unionem, quæ animæ cum corpore intercedit (§. 507.) & ob regimen corporis, quod animæ tribuitur (§. 193.).

§. 510. Objectum repræſentatum in perceptione præviſa, quam anima vel exiſtentiæ reddere vel cujus exiſtentiam impedire conatur, vocatur *finis* e. gr. princeps læſus, qui molitur bellum, alteri imperanti lædenti inferendum, repræſentat ſibi perceptionem, ex ſtatu hoſtilitatum futuro oriundam, in qua continetur belli idea, quæ principis illius finis eſt.

§. 511. Perceptio præviſa exiſtentiæ reddenda requirit alias perceptiones prævias, prius effectui dandas, quam illa actum conſequi poſſit. Ejusmodi perceptiones præviæ dicuntur *remedia*, quæ adeo ſunt ea, in quibus continentur rationes exiſtentiæ finis (§. 510.).

§. 512. Exiſtentia finis abſque exiſtentia remediorum concipi non poteſt (§. 510. 511. 42.).

§. 513. Voluntas eſt animæ conatus agendi (§. 505.). Hinc voluntas ſemper ad fines, & ſi efficax fuerit, ad eos exiſtentiæ reddendos contendere (§. 510. 508.), ad remediaque effectui danda proclivis dicitur (§. 512.).

§. 514. Si voluntas alicujus ita comparata ſit, ut ad fines ſibi præpoſitos, ad remediaque ad illos ducentia exiſtentiæ reddenda non contendat, illa voluntas efficax non eſt §. 513. & conſequenter in illo nullum datur propoſitum agendi (§. 509.).

§ 515. *Impedimentum* eſt id, in quo continetur ratio, cur remedia exiſtentiam conſequi non poſſint, ſeu eſt id, quod exiſtentiæ remediorum contradicit.

§ 516. Impedimentum exiſtentiæ finis repugnat (515. 512.).

§. 517. Niſi removeantur impedimenta, neque remedia, neque finis præpoſiti ad actum transferri poſſunt (§. 516. 515.). Hinc remotio impedimentorum eſt remedium finis obtinendi. (§. 511. 518.).

§. 518. Voluntas efficax tendit ad removenda impedimenta, quæ remediorum & finis exiſtentiam remorari poſſunt (§. 513. 517.). Si ponas voluntatem, ad removendum impedimentum non proclivem, ad actuandam rem non ſufficit, atque ita efficax non eſt (§. 508.).

§. 519. Si remotio impedimentorum ſit contradictoria, ea impoſſibilis in ſe eſt (§. 38.); ſi ea viribus noſtris repugnet, reſpectu earum, h. e. naturaliter impoſſibilis eſt (§. 307.). Et ſi impedimentum viribus noſtris ſuperari poſſit, ejusmodi impedimenti remotio eſt naturaliter poſſibilis (§. cit.) & actio hac ratione libera (§. 310.).

§. 520. Voluntas efficax tendit ad actum (§. 508.). Actus præponit poſſibilitatem internam & externam (§. 305. 307. 39.). Voluntas ergo efficax tendit ad actuandam rem, quæ & in ſe & reſpectu volentis virium poſſibilis eſt.

§. 521. Voluntas efficax ad impoſſibilia, vel in ſe, vel reſpectu virium agentis, talia, actuanda non ſufficit (§. 520.).

§. 522. *Corollarium.* Voluntas efficax tendit ad finis & remediorum poſſibilium exiſtentiam promovendam, nec minus ad impedimenta, ſuperatu poſſibilia, removenda (§. 513. 518. 519. 520.).

§. 523. *Corollarium.* Voluntati efficaci finium, remediorum & impedimenti removendi impoſſibilitas externa non minus quam interna repugnat (§. 513. 519. 521.).

§. 524

Digitized by Google

§. 524. Ex amplitudine finis poſſibilis, ex remediorum poſſibilium numero & gravitate, ex gradu difficultatis removendi impedimenti vincibilis, gradus voluntatis efficacis dijudicandi ſunt (§. 424. 522.).

§. 525. *Corollarium.* Homini, qui voluntate efficaci in aliquo negotio dato agitatur, circumſpicienda ſunt remedia & obſtacula, horumque removendorum modus inveſtigandus eſt (§. 513. 518.).

§. 526. Dantur infinita negotia humana, quæ ſine quodam concurſu externo cauſarum vel phyſicarum vel moralium, in mundo obviarum, expediri non poſſunt. Ejusmodi concurſus, quæ *occaſio* dicitur, vel accedente noſtra opera & induſtria, vel citra illam contingere poteſt. Poſterior concurſus, qui fortuna audit (§. 375.) a nobis agere volentibus expectandus eſt, prior vero excitari poteſt. Hinc ipſa *occaſio* in *expectandam* & *ſuſcitandam* a *Verulamio* dividi ſolet. Adminiſtratores rerum publicarum, duces bellici, aliique de felicitate externa vel conſervanda vel amplificanda ſolliciti occaſionem, ultro ſe præſentatam, arripiunt non ſolum, ſed illam etiam ductu rationis & ope expectationis caſuum ſimilium eliciunt. (§. 70. 71.).

§. 527. Occaſio agendi remediis annumeranda eſt (§. 511. 526.).

§. 528. Homo voluntate efficaci ductus ad remedia effectui danda pronus eſt (§. 513.). Jam cum occaſio agendi e numero remediorum ſit (§. 527.); homo voluntate efficaci ductus occaſionem non ſolum expectabit, verum de ea etiam viribus propriis ſuſcitanda ſollicitus erit (§. 526.).

§. 529. A continua repræſentatione finis, ab indagatione & uſu remediorum, a cura removendi obſtacula, ab expectatione occaſionis, ab ejusque excitandæ ſollicitudine ad conatum mentis ſeu voluntatem efficacem ſecure argumentari licet (§. 513. 525. 518. 526.). Nec minus inde

 patet

Digitized by Google

patet, unde gradus conatuum efficacium dijudicari & æſtimari poſſint.

§. 530. A deficiente repræſentatione finis, ab incuria & non uſu remediorum, ad finem ducentium, a deficiente ſollicitudine obſervandi & removendi obſtacula, quæ exiſtentiam finis & remediorum ſuſpendere poſſunt, a neglectione occaſionis nobis oblatæ ad defectum conatus mentis ſeu voluntatis efficacis argumentari poſſumus (§. 513. 525. 518. 526.).

§. 531. Propoſitum agendi ſeu proæreſis eſt voluntas efficax (§. 509.). Quæ itaque hactenus de voluntate efficace demonſtravimus, ea etiam de propoſito agendi ſeu proæreſi intelligenda ſunt.

§. 532. Lex eſt norma, cui actiones attemperandæ ſunt, idque ſub repræſentatione boni vel mali (§. 346. 170.). Proinde aut actio legi attemperanda, aut malum ſubeundum, ſaltem bono nobis carendum eſt.

§. 533. Qui actiones legi accommodat, ille vel bonum repræſentatum conſequitur, vel malum cum actione prohibita copulatum evitat (§. 532.).

§. 534. Qui bonum vult conſequi, quod a lege connexum eſt actione, vel qui vult evitare malum, à lege cum actione prohibita conjunctum, ille tenetur actiones a lege imperatas exequi, vel ab illa prohibitas omittere (§. 532.).

§. 535. Si quis nolit attemperare actiones legi, is debet vel malum perpeti, vel bono privari (§. 532.).

§. 536. *Moraliter violare legem* is dicitur, qui actiones liberas legi ſibi præſcriptæ non attemperat. In violatione legum actionis libertas externa non minus quam interna reſpicienda eſt (§. 489.).

*Corollarium.* In cujus poteſtate non fuit obſervare legem, licet ad cuſtodiam illius obligatus fuerit, de eo affirmari non poteſt, eum legem moraliter violaſſe (§. 310.).

§. 537. Legem moraliter violanti vel malum perferendum,

Digitized by Google

dum, vel bono, a lege cum actione conjuncto, carendum eſt (§. 536. 532.).

§. 538. Leges repræſentant illis, quibus eæ latæ ſunt, bona vel mala, ut illi actiones ſuas eis attemperent (§. 532.). Repræſentatio bonorum appetitum ſeu voluntatem (§. 154. 166.), repræſentatio malorum averſationem ſeu noluntatem (§. 155. 167.) in nobis excitat; leges ergo intendunt excitare in eis, quibus illæ datæ ſunt, voluntatem legibus attemperandi actiones & eas violandi averſationem.

§. 539. Actiones legibus attemperandæ ita comparatæ ſunt, ut vel exiſtentiam nanciſci, vel ab eadem reprimi debeant. Leges ergo poſtulant voluntatem, actionibus vel exiſtentiæ reddendis, vel ab eadem ſuſpendendis, ſufficientem (§. 538.). Ejusmodi voluntas dicitur efficax, ex cognitione viva progeneranda, (§. 508.), leges ergo in eis, quibus illæ præſcriptæ ſunt, cognitionem vivam & inde deſcendentem & voluntatem efficacem, eis conformiter agendi, requirunt. Quæcunque itaque cum voluntate efficaci connexa ſunt, ea leges contendere judicantur.

§. 540. Leges exigunt in illis, quibus eæ datæ ſunt, conatum efficacem (§. 539. 508.), h. e. propoſitum eis convenienter agendi (§. 509.).

§. 541. Vi §. 539. leges exigunt, ut illi, quibus eæ præſcriptæ ſunt, ſibi repræſentatas actiones, tanquam fines (§. 510.), exiſtentiæ reddant, vel illas ab eadem ſuſpendant, & remedia ſuſcipiant, quibus illæ vel effectui dari, vel ab exiſtentia reprimi poſſint (§. 540. 513.), nec minus impedimenta, quibus actionum repræſentatarum & remediorum exiſtentia ſuſpenditur, removeant (§. 518.), occaſionemque agendi arripiant, vel eam ſuſcitare contendant (§. 528.).

§. 542. Ejusmodi actionum repræſentatarum, ceu finium, ejusmodi remediorum & modorum, quibus removeri impedimenta debent, poſſibilitatem & internam & externam requiri, patet ex §. 522. 539.



Digitized by Google

§. 543. Ad actiones, tanquam fines, ad remedia, ad impedimentorum remotionem, quorum omnium impoſſibilitas externa non minus quam interna evinci poteſt, leges ſe extendere non poſſunt (§. 523. 539).

§. 544. Uſus virium noſtrarum aliarumque rerum expediendo operi ſufficientium dicitur *diligentia*.

§. 545. Conatus animæ ſeu voluntas efficax ſeu propoſitum agendi cum uſu virium noſtrarum, aliarumque rerum expediendo operi ſufficientium, conjunctus eſt (§. 508. 509. 507. 234.).

*Scholion.* In uſu virium deprehenditur ratio exiſtentiæ finis, & conſequenter uſus virium eſt remedium finis (§. 511.). Enimvero cum voluntas efficax ad media tendat (§. 513.), eadem voluntas viribus internis externisque utitur.

§. 546. Leges exigunt in illis, quibus eæ præſcriptæ ſunt, voluntatem animæ efficacem eis convenienter vivendi (§. 539.), adeoque & uſum virium noſtrarum aliarumque rerum, expediendis actionibus ſufficientium (§. 545.), & ex conſequenti diligentiam (§. 544). Jam cum actiones legibus convenienter expediendæ, dicantur officia (§. 476.) leges requirunt uſum virium noſtrarum aliarumque rerum explendis officiis noſtris ſufficientium, qui dicitur *diligentia debita* ſeu *legitima*.

§. 547. Non-uſus indeliberatus virium noſtrarum aliarumque rerum, explendo officio ſufficientium, *negligentia* ſeu *culpa* audit. Non-uſus deliberatus voluntarius virium noſtrarum aliarumque rerum, officio explendo ſufficientium *malitia* ſeu *dolus*, ſeu *proæreſis*, *ſtricte ſic dicta*, appellatur. Et cum uſus deliberatus virium noſtrarum aliarumque rerum, officiis noſtris contrarius, qui etiam *abuſus virium* dicitur, ſit non uſus deliberatus virium noſtrarum aliarumque rerum explendo officio ſufficientium; uſus deliberatus virium noſtrarum aliarumque rerum, officio noſtro contrarius, eſt ſpecies malitiæ ſeu proæreſios. In quo itaque caſu nullum locum habet officium, in illo nulla diligentia (§. 546.),

Digitized by Google

(§. 546.), nulla culpa, nec ullus dolus locum habere poteſt. Dicatur in prælectionibus de *culpa negligentiæ & verſutiæ.*

*Corollarium.* Hinc ex diverſitate officiorum diverſitas culpæ & doli oritur. Ex inferius dicendis patebit, dari actus, qui in foro quidem interno, minus tamen externo pro culpoſis habentur.

§. 548. Nolle & velle diſtinguamus a caſu, ubi velle & nolle intermittimus, cum tamen velle vel nolle debuiſſemus & potuiſſemus. A privatione voluntatis ad noluntatem, & à privatione noluntatis ad voluntatem N. V. C. (§. 167.). Licet in aliquo obvia non ſit voluntas efficax obſervandi legem, ei ob id non ſtatim noluntatem cuſtodiendi legem tribuere poſſumus (§. 167.), & licet in aliquo non deprehendatur noluntas implendi LL., eam ob cauſam illi voluntas obſervandi easdem non tribuenda venit.

§. 549. Qui præditus eſt viribus internis & externis, explendo officio ſufficientibus, quibus tamen non utitur, is voluntate efficaci non fertur legibus convenienter agendi (§. 545.), atque ita moraliter non vult actiones attemperare legi (§. 539.). Ipſi proinde vel malum perferendum, vel bono, a lege repræſentato, carendum eſt (§. 535.), & ex conſequenti vel pœna tribuenda, vel præmium denegandum (§. 362.). Ejusmodi itaque non-uſus virium noſtrarum aliarumque rerum, explendo officio ſufficientium, vel præmio indignus, vel pœna, adeoque & merito (§. 418.) dignus, & moraliter imputabilis (§. 423.) cenſetur.

§. 550. Actus liberi, ex diligentia debita agentis profecti, oriuntur ex uſu virium, explendo officio ſufficientium (§. 546.), & conſequenter ex voluntate efficaci implendi legem (§. 545.), adeoque vel bono, a lege repræſentato, h. e. præmio (§. 362.) digni, vel a pœna immunes (§. cit.) cenſentur (§. 533.). Actus ergo liberi, ex diligentia debita agentis profecti, meritum nanciſcuntur (§. 418.), & moraliter imputabiles ſunt (§. 423.).

§. 551. Actus culpoſi & doloſi ſeu malitioſi moraliter imputabiles ſunt (§. 547. 549.). Demonſtratio patet ex genere culpæ & malitiæ.

§. 552. Qui actus moraliter imputabiles non ſunt, illi culpæ, vel doli ſeu malitiæ impatientes ſunt (§. 551.). Conferas §. 492.

§. 553. Ex §§. 546. 547. intellectu facile eſt, culpam eſſe omiſſionem indeliberatam diligentiæ debitæ, & dolum omiſſionem diligentiæ debitæ deliberatam.

§. 554. In uſu & non-uſu virium noſtrarum majus & minus & ex conſeqnenti quantum (§. 426.), idque intenſum (§. 424.), adeoque & gradus (§. 424.) concipiuntur. Hinc in diligentia debita (§. 546.), in culpa & malitia (§. 547.) dantuu gradus & commenſuratio locum habet (§. 427.).

§. 555. Dantur officia & negotia, quæ ſummum, dantur alia, quæ medium, dantur alia, quæ infimum diligentiæ gradum poſtulant.

§. 556. Hinc & ipſa neglectio indeliberata diligentiæ debitæ ſeu culpa (§. 553.) diverſos nanciſcitur gradus.

§. 557. Uſus virium noſtrarum aliarumque rerum, explendo officio ſufficientium, cum voluptate efficaci, ex qua ille oritur per Schol. §. 545., conjunctus eſt (§. 545.). Quousque ita patet voluntas efficax, eousque ſe extendit diligentia debita (§. 546.), culpa & malitia (§. 547.).

§. 558. Diligentiæ debitæ, culpæ & malitiæ ratio haberi poteſt reſpectu finis, exiſtentiæ reddendi, intuitu remediorum expediendorum & impedimentorum removendorum, nec minns occaſionis expectandæ vel eliciendæ (§. 557. 513. 514. 518. 520. 522. 524. 525. 528. 529. 530. 531.).

§. 559. Quorſum voluntas efficax ſe non extendit, eo nec diligentia debita, nec culpa, nec proæreſis extendenda eſt (§. 557.). Et quo caſu obligati non ſumus ad oſtendendam ejusmodi voluntatem, eodem nec ad diligentiæ debitæ præſtationem obſtricti ſumus, nec nobis culpa, nec dolus tribui poteſt. Huc referas §§. 521. 523.

§. 560.

Digitized by Google

§. 560. Cui ergo occaſio agendi citra ſuam culpam deeſt, illi non imputatur, quod non egerit. Sunt verba PUFENDORFFII, quæ §. 22. c. I. de O.H.& C. deprehenduntur. Legi meretur nota, quam huic §. adjecit. Cel. TREVERUS. Ex hoc principio *Sabinus* in epiſtolis p. 420. *Joachimum II. Electorem Brandenburgicum* a culpa liberat, quam huic tribuebant obtrectatores in expeditione Hungarica. Conf. §. 526.

§. 561. Ex §. 547. erui poteſt ſimilitudo & diſſimilitudo culpæ & doli. In utroque caſu non-uſum virium noſtrarum aliarumque rerum, explendo officio ſufficientium, & ex conſequenti defectum voluntatis efficacis, legi convenienter vivendi deprehendimus. In culpa cum non-uſus virium ſit indeliberatus, in ea obſervatur ad minimum voluntas ſimplex officio ſatisfaciendi (§. 508.), quam ne in eo quidem, qui doloſe agit, conſpicimus. Præter defectum voluntatis ſimplicis in homine doloſo datur conatus ſeu voluntas efficax violandi legem & inde deſcendens officium. Quæ voluntas perverſa ita eſt comparata, ut vel externe non agendo effectum legi contrarium naſci patiatur, quem tamen cohibere & potuiſſet & debuiſſet, vel externe agendo effectum, legi & officio repugnantem, producat. In utroque caſu homo malitioſus non utitur viribus, explendo officio ſufficientibus, idque ex deſtinato conſilio, quod in eo, qui culpoſe agit, non offenditur. In proæreſi itaque maligna longe plura, quæ legibus repugnant, deprehenduntur, quam in homine culpam committente. Hinc in actu proæretico longe major pravitatis & imputabilitatis moralis gradus datur, quam in culpoſo (§. 412. 414.). Unde & ejusmodi actiones ſeverius puniri merentur (§. 362.) in rebus publicis, idque ob majus periculum & incommodum, quod inde vel ſecuritati & felicitati communi vel tranquillitati privatorum accidere poteſt.

§. 562. Omnes actus morales, juxta moralitatem intrinſecam conſiderati, vel boni vel mali ſunt (§. 198. 327.). Omnes actus juxta moralitatem extrinſecam ſpectati, vel legi

Digitized by Google

legi conveniunt, vel non conveniunt, adeoque etiam vel boni vel mali ſunt (§. 327. 312.). Ergo omnes omnino actus morales vel boni vel mali ſunt.

§. 563. Omnes actus mali legibus non conveniunt (§. 412.) & ex vincibili defectu voluntatis efficacis, eis convenienter vivendi (§. 539.), uſusque virium, explendæ legi ſufficientium (§. 545.), hoc eſt, ex ſuperabili ejusmodi non-uſu virium proficiſcuntur. Qui non-uſus ex animo vel deliberato vel indeliberato deſcendit, atque ita vel in dolum, vel in culpam abit (§. 547.); omnes itaque actus mali vel doloſi vel culpoſi ſint.

*Scholion. Ex vincibili defectu voluntatis efficacis ſeu propoſiti LL. convenienter vivendi* oriri dicuntur actus vel commiſſivi vel omiſſivi, qui conſequuntur, quatenus in aliquo nulla adfuit voluntas explendi legem efficax, quam tamen habere debuiſſet & potuiſſet. *Superabilis defectus uſus virium, cuſtodiendæ legi ſufficientium* tribuitur alicui, qui viribus ſuis uſus non eſt, quibus tamen uti & debuiſſet & potuiſſet.

§. 564. Expletio officiorum ex diligentia debita concipitur (§. 546.). Officia ſunt actiones legibus conformes (§. 476.), & quæ bonæ dicuntur (§. 412.); expletio itaque officiorum producit exiſtentiam actuum bonorum. Exiſtentia ergo actuum bonorum ex diligentia debita & conſequenter ex uſu virium noſtrarum aliarumque rerum, illi exiſtentiæ ſufficientium, concipitur (§. 546.). Ejusmodi uſus virium ex voluntate efficaci legibus convenienter agendi deſcendit (§. 545.), exiſtentia proinde actuum bonorum ex voluntate efficaci legibus convenienter agendi deſcendit. Actus ergo boni ad voluntatem hominis efficacem LL. convenienter vivendi referendi ſunt.

*Scholion.* Demonſtratio theſios etiam ſic efformari poteſt. Exiſtentia actus boni, h. e. legibus conformis (§. 412.), requirit cuſtodiam officii (§. 476.), & conſequenter diligentiam debitam, adeoque & uſum virium explendo officio ſufficientium (§. 546.). Qui (uſus) cum exigat voluntatem efficacem

Digitized by Google

efficacem LL. convenienter agendi (§. 545.); actus boni ad voluntatem efficacem explendi LL. referendi ſunt.

*Conſectarium.* Hinc actiones, ex ſola animi paſſione, voluptate quippe, vel ambitione, vel avaritia profectæ, pro moraliter bonis non habentur, cum illæ ad voluntatem efficacem LL. convenienter agendi referri non poſſint, quæ tamen relatio à bonitate actionis morali ſeparari neſciat.

§. 565. Actus culpoſi & doloſi ex non-uſu virium, implendo officio ſufficientium, deſcendunt (§. 547.). Ejusmodi non-uſus virium oritur ex vincibili defectu voluntatis efficacis (§. 545.), quam lex a nobis, ei ſatisfacturis, exigit (§. 539.). Actus itaque culpoſi & doloſi, adeoque & omnes actus mali (§. 563.) ad voluntatem hominis efficacem, legi convenienter agendi, ſunt referendi.

§. 566. Actus & boni & mali (§. 564. 565.), & ex conſequenti omnes actus morales (§. 562.) ad voluntatem efficacem, legi convenienter vivendi, referri debent.

§. 567. *Actionis*, cujus exiſtentia vel non exiſtentia ad noſtram voluntatem efficacem referri debet, *autores* vel *cauſa* dicimur (§. 202.).

§. 568. Actus moralis, h. e., boni vel mali, adeoque & culpoſi non minus quam malitioſi autores ſeu cauſæ ſumus (§. 566. 567).

§. 569. Actus moraliter imputabiles ſunt actus morales (§. 414. 415.). Actus itaque moraliter imputabiles ad voluntatem efficacem, legi convenienter vivendi, referri debent (§. 566.), atque ita comparati ſunt, ut pro earum autoribus & cauſis habeamur (§. 568.). Unde concipimus definitionem, quam Cel. SYRBIUS de imputatione dedit §. 9. c. 4. J. N. & G. quod in *Nexu doctrinæ Philoſophicæ* expoſuit.

§. 570. Actio moraliter imputabilis non judicatur, cujus exiſtentia vel non-exiſtentia ad noſtram voluntatem efficacem referri non poteſt (§. 569. 567.).

§. 571.

Digitized by Google

§. 571. Dantur actus, quorum exiſtentia vel non exiſtentia ad plurium voluntatem afficacem referri debet. Plures ejusmodi homines *actionis con-autores* ſeu *concauſæ* appellantur (§. 567.). Quo caſu actus pluribus moraliter imputatur (§. 569.), idque vel diviſim, vel pro indiviſo.

§. 572. Voluntas efficax, ad legem relata, eſt cauſa, principium & fons imputabilitatis moralis actionum (§§. 569. 570. 42.). Removeas, vel ponas voluntatem efficacem, ad expletionem legis relatam, removebis vel pones imputabilitatem moralem actionis. Si quid ita ſe habeat, ut vel eo poſito alterum exiſtentiam nanciſcatur, vel eo ceſſante alterum etiam ceſſet, niſi impedimentum obſtet; illud pro alterius cauſa proxima ſummo jure habetur. Hinc mens peccat, non corpus. Unde & patet, quod furioſus actiones, moraliter imputabiles, committere non poſſit.

§. 573. Pro diverſitate cauſarum variant actionum autores (§. 567.), & earum imputatio (§. 569.). Datur cauſa principalis, minus principalis, æque principalis, ſolitaria, ſocia, phyſica, moralis, quæ & ſimiles cauſarum ſpecies in imputationis doctrina utilitatis plurimum habent.

§. 574. Dantur *motus corporis noſtri*, ab hujus facultate locomotiva proxime pendentes, quorum exiſtentia ad noſtram voluntatem efficacem referri debet, & qui *voluntarii* vocantur (§. 195.), quorumque nos autores vel cauſæ dicimur (§. 567.). Ejusmodi modus corporis voluntarii vi §. 566. *actiones morales ſeu liberæ* (§. 310.), *eaque phyſicæ*, earumque *cauſæ phyſicæ* homines ipſi appellari lueverunt. Actiones morales phyſicæ vocantur etiam *actiones morales externæ*, quæ *actionibus moralibus internis*, quorſum propoſitum augendi refertur, contradiſtinguuntur. Dantur motus corporum aliorum, quorum exiſtentia ad noſtram voluntatem efficacem referri debet, & quorum intuitu nos *cauſæ morales*, *κατ᾽ ἐξοχὴν ſic dictæ*, audimus. Hinc quæ quis facit per alium, per ſe ipſe feciſſe putandus eſt. *Species cauſæ moralis* indicant hi verſiculi:

*Juſſio,*

Digitized by Google

*Juſſio, conſilium, conſenſus, palpo, recurſus,*
*Participans, mutus, non obſtans, non manifeſtans.*

*Conf.* §. 27, *C. I.* PUF. *de O. H. & C.* & §. 8. *c. V. Phil. Mor.* SCHILTERI. Nec difficulter judicare poſſumus, quo caſu facta aliena nobis moraliter nec in culpam, nec laudem, imputari poſſint. Ea nimirum ita comparata eſſe debent, ut ad voluntatem noſtram efficacem referri non poſſint (§. 570.).

*Scholion.* Peculiarem & rationi ſufficienti ſubnixum deprehendimus modum, quo factum tertii alicui imputatur in hujus liberationem a pœna, alias promerita. Imperantem ſummum pollere jure puniendi ſontes, & hoſce obligatos eſſe perfecte ad ſuſtinendam pœnam, ex doctrina de imperio civili ſummo patet. Ponas, quod tertius ſe offerat, ad ſuſtinendam pœnam pro delinquente, & quod is, cujus in ſinu τὸ κύριον reſidet, & a cujus arbitrio dependet exercitium juſtitiæ punitivæ, in ejusmodi liberationem conſentiat; hoc caſu tollitur reatus à delinquente, & ipſi imputatur factum liberatorium, cui redemtor ſe ſubjecit, & in quo imperans ſupremus acquieſcere voluit. Hoc caſu liberator, quà mediator, repræſentat perſonam liberandam, & idem eſt ac ſi hæc pœnam actu ſuſtinuiſſet. Ponas vero alium ſe obtuliſſe ad perferendam pœnam, quam Titius promeruit, nec imperantem, cujus intereſt, ſeu, qui jure poſtulandi ſatisfactionem gaudet, in ejusmodi liberationem conſenſiſſe; hoc caſu reus delicti a pœna luenda liberatus non eſt, neque adeo ejusmodi factum alterius habetur pro liberatorio. Suffecerit tetigiſſe hanc materiam, & ſimul oſtendiſſe, eam ad principia reduci poſſe.

§. 575. Actiones morales & moraliter imputabiles ad voluntatem efficacem, legi convenienter vivendi, referuntur (§. 566.). Jam cum voluntas præponat intellectum prælucentem (§. 168.) & utraque facultas ad prima naturæ, homini propria, ſpectent (§. 282.); concipimus, cur nonnulli non niſi actionem humanam, ex primis naturæ homi-

ni propriis derivandam, moralitatis & imputabilitatis moralis capacem eſſe exiſtiment.

§. 576. Ea, quæ ex ſolis primis naturæ, homini cum brutis communibus dependent, moralitatem & imputabilitatem neſciunt (§. 575. 281.). Hinc inſtinctus & ſtimuli naturales, in ſe ſpectati, in foro humanæ rationis moraliter imputabiles non ſunt (§. 281.) Quatenus vero illi voluntatis efficacis imperio ſubſunt, eatenus eorum uſus & abuſus moraliter imputabilis exiſtimatur (§ 569.).

§. 577. Ex §. 569. patet, cur ante imputationem moralem actualem ventilanda ſit quæſtio, an voluntas mea vel tua ad actionis alicujus exiſtentiam concurrerit, ſeu an actio ad voluntatem noſtram efficacem referri poſſit.

§. 578. Error & ignorantia moraliter imputari poſſunt (§. 551. 475.). Unde patet, quo caſu *actio invita per ignorantiam* ſit culpabilis. Nec minus inde judicare poſſumus, quænam imputatio & conſcientia erronea imputationem patiatur.

§. 579. Actio ex metu majoris mali evitandi, vel ſpe boni majoris conſequendi, vel alia aliqua urgente neceſſitate commiſſa dicitur alias *actio invita per violentiam ſeu coactionem ſecundum quid*, diſtinguenda ab *actione invita per violentiam ſeu coactionem*, *ἁπλῶς ſumtam*, & §. 491. allatam. *Actiones* prioris generis appellantur etiam *mixtæ*. Exemplo ſint mercatores, in periculo naufragii mercium jacturam facientes. De invito conferas Tab. XI. Phil. Pr. B. IAC. THOMASII, & Cap. IX. in Præceptis Ethicis B. BALTH. WILLII, Theologi Bremenſis.

§. 580. Actio metu coacta ex malo, nobis repræſentato, oritur (§. 579. 314.). Mala repræſentata annumerantur motivis (§. 170.), quæ hoc caſu efficiunt, ut nolimus aliquam rem (§. 167.). Actio itaque metu coacta ex noluntate efficaci proficiſcitur. Si vocabulum voluntatis generaliter ſumatur pro inclinatione & reclinatione mentis ſeu noluntate (§. 169.), actio metu coacta voluntaria eſt & moraliter imputabilis (§. 569.).

Scholion.

Digitized by Google

*Scholion* 1. Hic non niſi de imputabilitate morali ejusmodi actionum loquimur, an nimirum poſitis ponendis illæ nobis moraliter imputari poſſint.

*Scholion.* 2. Meretur hæc doctrina, ut curate tractetur, a qua quippe pendet robur pactorum plurimorum, metu extortorum, id quod patebit ex § 1393. ſeqq. CONRINGIVS in Tr. de Fin. Imper. c. 19. §. V. hiſce utitur verbis: *niſi illæ actiones (metu coactæ) habeantur pro voluntariis, pleriqne hominum contractus fuerint irriti, & everteretur ſocietas humana.* Nec minus theſis demonſtranda ſibi locum vindicat in enodandis qnæſtionibus, utrum nimirum pœna cadere poſſit in magiſtratum inferiorem, qui civibus, tumultum excitantibus, ex metu injuſto non eſt reniſus, & utrum milites, qui ex eodem metu arma poſuerunt, pœna digni cenſeantur.

§. 581. Quæ §. 508. de conatu & voluntate efficaci dicta ſunt, ea etiam mutatis mutandis de mentis reniſu & noluntate efficaci intelligenda ſunt. Et quo modo demonſtravimus, leges in illis, quibus eæ præſcriptæ ſunt, exigere voluntatem efficacem, eis convenienter agendi (§. 339.), eodem etiam pacto patet, eas requirere in homine, cui eæ datæ ſunt, noluntatem ſeu reniſum efficacem, eis diſconvenienter vivendi. Uti itaque illi actus morales & imputabiles ſunt, qui ad voluntatem efficacem, legibus convenienter agendi referuntur (§. 566. 569.); ita & illi actus pro moralibus & imputari aptis habendi, qui ad noluntatem ſeu reniſum efficacem, legibus diſconvenienter vivendi, referri debent. Proinde & hac ratione actiones metu coactæ, ex illo reniſu ortu, voluntariæ, morales & imputabiles ſunt cenſendæ.

*Scholion.* Complures videas homines, & in ſtatu civili, & naturali viventes, quorum priores LL. civiles formidine pœnæ, poſteriores vero LL. naturales ex metu incommorum obſervant, licet πλεονεξίᾳ, aliisve affectibus turbulentis, agitentur, quibus in cuſtodia LL. reſiſtere debent.



Digitized by Google

Hinc plurimorum hominum actiones, quas legibus attemperant, metu coactæ ſunt, quas nihilominus eſſe voluntarias affirmaveris.

§. 582. Qui ex metu agit vel actionem intermittit, is ſibi repræſentat duo mala, quorum alterum altero majus eſt. Priori caſu actio ſuſcipienda, in ſe ſpectata, ſibi videtur mala ſeu incommoda, poſteriori vero actionis omiſſionem, in ſe ſpectatam, malam judicat. Utroque caſu aliquod malum perferendum agenti vel agere intermittenti præſupponitur (§. 314.), cui tanquam majori malo actionem vel commiſſivam vel omiſſivam, ceu malum minus præfert. Qui itaque ex metu vel agit, vel actionem intermittit, is malum minus præfert majori. Jam cum malum minus ſit bonum ratione mali majoris (§. 150.); qui ex metu agit, in eo ratione mali majoris excitatur boni repræſentatio & ex conſequenti voluntas efficax (§. 508.). Sed actio, ex metu profecta, eſt actio coacta (§. 579.); actio itaque metu coacta, & ex conſequenti actio invita per violentiam ſecundum quid (§. 579.) ex voluntate efficaci enaſcitur, atque ita moralis eſt & imputari poteſt (§. 566. 569.). Huc referas §. 43. c. 4. J. Nat. GUNDLINGII, ubi noſtra poſitio non minus evincitur, quam vivide illuſtratur. Salva lege appetitus malum, quod minus alio malo nobis videtur, arripere nos poſſe, patet ex §. 176.

§. 583. Si dicatur voluntas coactionis expers, vocabulum coactionis ſumitur pro neceſſitate extrinſeca (§. 206. 189.), ſeu pro vi externa, cui reſiſtere non poſſumus. Unde & actiones invitæ per violentiam abſolute ſumtam voluntariæ non ſunt (§. 491.). Sed ſi COACTIO pro inclinatione vel reclinatione mentis, ex metu oriunda, accipiatur (§. 579.); coactio cum voluntate vel noluntate hominis conſiſtere poteſt (§. 166. 167. 169.). Hunc ſignificatum ſi ſequamur, coactam voluntatem eſſe, h. e., non implicare (§. 38.), clariſſimum eſt.

§. 584.

Digitized by Google

§. 584. Coactionem ultimi generis voluntati non repugnare, ex mentis libertate, quæ voluntatis attributum proprium eſt per ſchol. §. 201., nova ratione dijudicari poteſt. Ejusmodi enim coactio duo ad minimum eligibilia requirit (§. 579. 582.), actionem quippe imperatam & mali repræſentati perpeſſionem. Quæ itaque eligendi facultas cum contingentiam ponat per conſect. 1. §. 187.; ea mentis libertati (§. 286. 187.) & conſequenter voluntati non contradicit (§. 201.), præcipue cum ejusmodi homo coactus intellectu utatur, & determinatio ex ejus anima oriatur.

§. 585. Quænam coactio ſit juſta, ex doctrina de juſtitia patebit. Dantur nimirum caſus, ubi læſus de ſe in ſtatum plenariæ libertatis reſtituendo atque adeo de circumſcribendo & limitando aggreſſore ſollicitus eſt, propoſitis ei conditionibus durioribus, quibus eligibilium plurium numerus intuitu lædentis coarctatur, qualem coactionem juſtam eſſe inferius explicabimus. Suffecerit jam multiplici ratione demonſtraſſe, actiones metu coactas eſſe voluntariarum ſpecies, & ab imputabilitate morali minus alienas.

§. 586. Voluntas ſeu conatus efficax legi præſcriptæ vel convenienter vel diſconvenienter vivendi concipitur in ſe imputabilis, licet ob externum impedimentum ad actum deſcendere non poſſit (§. 572.). Unde inferius judicabimus, eum, qui, ſpreto conſcientiæ dictamine, ad jurandum ſe obtulit, in foro ſaltem interno perjurium commiſiſſe, licet ad jurisjurandi præſtationem admiſſus non fuerit. Hinc conatus, qui in foro rationis imputationi ſubjectus eſt, in foro humano puniri meritus cenſetur, ſi ſufficientia indicia, unde ad conatum delinquendi concludi poteſt, adfuerint, & gravitas rei id exegerit. Vide B. SCHILTERI Phil. Mor. p. 166. 165. 292. Ponas vero conatum efficacem, in ſe ſpectatum, adeoque nondum conſummatum, in foro interno imputari neſcium eſſe, non conciperemus, cur reſpublica conatum delinquendi efficacem,

 cacem,

Digitized by Google

cacem, e. gr. in crimine perduellionis, ulla pœna coërcere poſſit. Forum externum ſubordinatum eſſe foro interno ſublimiori, ex inferius dicendis patebit.

§. 587. Ex reiteratione actuum moralium habitus & conſuetudines (§. 212. 213.) progenerantur. De harum & illorum imputabilitate judicium facile ferri poteſt ex præcedentibus.

§. 588. Quibus caſibus affectus, & ea, quæ inde orta eſſe conſtat, imputationem patiantur, itidem deciſu facillimum eſt. Si quis primis voluptatis & tædii ſenſibus non obſtiterit, quibus tamen reſiſtere potuiſſet, & inde appetitum & affectum prolapſus fuerit (§. 152. 158.); ei omnino affectus moraliter imputantur (§. 499.).

§. 589. Ex §. 570. patet, defectus naturales nobis imputari non poſſe. Id quod etiam de bonis, nobis a benigna natura tributis, intelligendum eſt.

§. 590. Defectus virium, qui a nobis non dependet, & ob quem actio vel commiſſiva vel omiſſiva phyſice & naturaliter impoſſibilis eſt, (§. 307. 308.) dicitur *impotentia naturalis*, quæ diſtinguenda venit ab impoſſibilitate abſoluta (§ 38.).

§. 591. Impotentia naturalis actiones legi naturali conformiter inſtituendi appellatur *infirmitas humana*. Hæc eſt diſcriminanda ab illa infirmitate, quæ deſcendit ex defectu virium, cujus noſmetipſi autores ſeu cauſæ ſumus (§. 567.), & qui non minus quam ipſa inde deſcendens infirmitas in ſphæra morali imputationi obnoxia eſt (§. 569.).

§. 592. Actus, ex infirmitate humana ortus, imputationem reſpuit (§. 570. 591. 590.), neque adeo culpoſus eſſe poteſt (§. 552.).

§. 593. Notus eſt canon: *cauſa cauſæ eſt etiam cauſa cauſati.* Actiones noſtræ liberæ ita ſe habent, ut ex iis, tanquam cauſis, multæ mutationes tanquam effectus & ratione noſtri & aliorum cooriri poſſint (§. 323.). Jam cum actionum liberarum, h. e. moralium (§. 196. 310.) cauſæ ſeu

autores

Digitized by Google

autores ſimus (§. 568.); omnium effectuum ſeu conſequentium, ex illis oriundorum, cauſæ & autores exiſtimamur. Ejusmodi proinde effectus moraliter imputabiles ſunt (§. 569.)

§. 594. Si quis proinde ſit cauſa vulneris, cujus menſura non datur, ei tribuuntur, quæ inde concipiuntur, conſequentia.

§. 595. Ea, quæ ex noſtro affectu ſuperabili oriuntur, nobis moraliter imputari poſſunt (§. 586. 593.)

§. 596. Cum cauſa cauſæ ſit cauſa cauſatorum; cauſa moralis κατ' ἐξοχὴν dicta (§. 575.), quæ eſt cauſa ſeu auctrix voluntatis in aliis excitatæ, & inde ortorum motuum corporis alterius (§. 567.), eſt etiam cauſa ſeu auctrix omnium effectuum externorum, inde pendentium, qui adeo ei, qui cauſa moralis eſt, imputantur (§. 569.).

§. 597. Si quis proinde ab altero ad affectum ex improviſo concitatus, atque ita ejus animus valde perturbatus fuerit, alter independentium effectuum externorum autor habetur, cui illi merito imputantur (§. 569.). Ejusmodi caſu etiam aliquis ad imbecillitatem humanam provocare poteſt (§. 591.).

§. 598. *Somnus* eſt ſtatus perceptionum obſcurarum, confuſarum & inordinatarum. *Somnium* eſt ſtatus perceptionum clararum, diſtinctarum ſed inordinatarum.

§. 599. Cum ſomnus ſit ſtatus obſcuritatis & confuſionis (§. 598.); homo in ſomno intellectus uſu (§. 61.) & voluntate deſtituitur (§. 168.). Hinc ejus actiones neque ad voluntatem efficacem referri, neque adeo ipſi in foro humano imputari poſſunt (§. 569.). Jam cum is, qui non eſt cauſa cauſæ, minus eſſe poſſit cauſa cauſati; effectus ex ejusmodi actionibus prognati nobis, ſomno nondum prorſus ſolutis, non imputantur. Quo caſu nobis hominis, ſomno exciti, actiones & inde pendentia conſequentia tribuantur, judicatu facillimum eſt. Si quis animæ in ſomno nullam operationem tribuere velit, hominis, in ſomnum profuſi, actus multo minus imputationem patiuntur.

 Scholion.

Digitized by Google

*Scholion.* In ſomno nulla datur conſcientia ſui (§. 10. 598.), neque adeo apperceptio (§. 9.), nec ex conſequenti cogitatio (§. 11.), nec intellectus, nec voluntatis uſus.

§. 600. Quibus caſibus ſomnia imputationem, in foro ſaltem interno patiantur ex §. 598. & ex doctrinis præcedentibus dijudicandum eſt.

§. 601. De actionibus furioſi, mente capti, ſumme ebrii, cujus ebrietas involuntaria eſt, ad iram ab aliis concitati, infantis, hominis a brutis nutriti & educati, judicium haud difficile eſt.

§. 602. In prælectionibus geneſis actuum moralium & moraliter imputabilium, §. 493. ſubindicata, ex præcedentibus oſtendetur.

EXER-

Digitized by Google

# EXERCITATIO IV.

## DE
# OFFICIIS HOMINUM NATURALIBUS, EORUMQUE DISCRIMINE ET GRADATIONE.

### §. 603.

IN eo jam ſumus, ut adumbremus ex principio generali §. 352. demonſtrato, officiorum naturalium ſpecies. Et cum idem principium amplificationem perfectionis noſtræ, quæ compoſita eſt, obtentu poſſibilem nobis inculcet; in compoſitis vero perfectionibus conſequendis ſæpius ſuſcipienda ſit exceptio; paucas poſitiones præmittam inſtituto noſtro velificantes.

§. 604. *Ordo* eſt ſimilitudo obvia in modo, quo res variæ juxta ſe invicem collocantur, vel ſe invicem conſequuntur. Similitudinis ejusmodi defectus *confuſio* audit. Illuſtrentur hæ notiones ordine vel confuſione, quem, vel quam in republica, in ſtudiis, in deambulatione ſolenni, in bibliotheca deprehendimus.

§. 605. Vbi datur ejusmodi ſimilitudo variorum, ibi deprehenditur propoſitio generalis, cui illa varia attemperantur (§. 52. 56. 59.). Ergo in omni ordine datur propoſitio generalis, cui varia, quæ unum conſtituunt, attemperantur. (§. 604.). Jam cum ejusmodi propoſitio, cui certa varia accommodantur, regula dicatur (§. 344.), in omni ordine dantur regulæ.

§. 606. In omni perfectione datur ratio ultima, ad quam varia inter ſe conſpirantia ſe referunt (§. 129.), & in qua adeo ſimilitudo ejusmodi variorum reſidet (§. 52.). Hinc in omni perfectione datur ordo (§. 604.).



Digitized by Google

§. 607. Conſenſus plurium perfectionum partialium dicitur *perfectio compoſita*, ſive compoſitionis rationis, ſive realis. (§. 124.). Conf. §. 1547.

§. 608. In omni perfectione datur ordo (§. 606.), ſed in omni ordine conſpiciuntur regulæ (§.605.). Ergo in omni perfectione dantur regulæ.

§. 609. Fieri facile poteſt, ut perfectiones partiales, ex quibus naſcitur perfectio compoſita, ſibi invicem contradicant. Quo caſu, cum quælibet perfectio partialis gaudeat ſuis regulis (§ 608.), ipſarum regularum contradictio oriri debet. Illuſtrentur hæc modo urbem irregulariter muniendi.

§. 610. Contradictoria non ſunt compoſſibilia (§. 38.), adeoque & coexiſtentiam nanciſci non poſſunt, cum exiſtentia poſſibilitatem rei & conſequenter coexiſtentia plurium rerum compoſſibilitatem præſtruat. Regulæ itaque ſibi invicem repugnantes ſimul obſervari non poſſunt in omni ſaltem extenſione. Hinc *contradictio* ſeu *colliſio regularum* ex obſervatione regularum ſimultanea eaque contradictoria oritur.

§. 611. Regularum ſibi invicem contradicentium altera, pro ratione repugnantiæ, alteri cedere ſeu negligi debet. Neglectio regulæ pugnantis cum aliis regulis (concurrentibus) dicitur *exceptio a regula*. Hinc exceptio ex colliſione regularum oritur. Vbi itaque non datur colliſio regularum, ibi nulla concipitur exceptio a regula.

§. 612. In formatione & obtentione perfectionis compoſitæ latitat ratio ſufficiens, cur regularum colliſio oriatur, (§. 609. 610.) & cur ſuſcipiatur exceptio a regula (§. 611.). Hinc ſuſcipienda eſt exceptio, quantum id poſtulet vel permittat perfectio totalis.

§. 613. Si perfectio totalis ita comparata ſit, ut ex illius conſecutione vel conſervatione nulla concipiatur regularum colliſio, hoc caſu nulla opus eſt exceptione §. 612.), ſeu exceptio fruſtranea eſt.

§. 614.

Digitized by Google

§. 614. Perfectio major eſt præferenda perfectioni minori (§. 332. & 333.). Perfectio compoſita ſeu totalis eſt perfectio major perfectione partis (§. 130.). Perfectio igitur compoſita eſt præferenda perfectioni partis. Si itaque perfectio partis contradicat perfectioni totius, perfectio partis eſt negligenda. Quo caſu regula, quam expoſcit perfectio partis, eſt negligenda ob imperfectionem integri. Proinde hoc caſu fiat exceptio a parte (§. 611.), & pereat pars, ne pereat integrum. Hæc propoſitio uſum habet in concipiendo jure eminenti principis.

§. 615. Si conſervatio partis non repugnet conſervationi integri, nulla ratio adeſt, cur parti ſit pereundum (§. 613.).

§. 616. Exceptio a regula eſt hypothetice neceſſaria ratione quippe perfectionis compoſitæ obtinendæ. (§. 182. 611.). Ceſſantibus conditionibus, ob quas locum habet exceptio, hæc ipſa ceſſat.

§. 617. In rebus abſolute neceſſariis determinati ſumus ad unicum (§. 180.), & conſequenter in illis nulla concipitur exceptio (§. 611.). e. gr. regulæ ſyllogiſticæ ſunt neceſſitatis abſolutæ. Hinc earum cuſtodia nullam admittit exceptionem.

§. 618. In caſibus hypothetice neceſſariis adſtrictus ſum conditionibus certis (§. 182.), quibus ſi regula quædam contradicat, illam negligere cogor. Ejusmodi regula dicitur lex (§. 345.), quæ hoc caſu negligenda venit. Neceſſitas ergo nullam habere legem judicatur.

§. 619. Dantur perfectiones compoſitæ, quæ absque vſu exceptionis obtineri non poſſunt.

§. 620. In detegenda exceptione opus eſt, ut perfectionem compoſitam in perfectiones particulares reſolvamus, quamlibet perfectionem partialem diſtincte cognoſcamus, perfectiones partiales inter ſe comparemus, & earum tandem contradictionem cum perfectione totali eruamus, & juxta §. 612. exceptionem formemus.

§. 621. Officium eſt actio libera legibus conformanda (§. 476.)

Digitized by Google

(§.476.). Ex diverſitate itaque legum oritur differentia officiorum. Et cum dentur leges naturales (§.352), *officia naturalia* concipimus, quæ ſunt actiones legibus naturalibus conformandæ.

§.622. Actiones, quas homo intuitu ſui ipſius ſuſcipere tenetur ad ductum legum naturalium, vocantur *officia erga ſe naturalia*.

§.623. Experientia nos condocet, dari perceptiones animæ, quæ contingunt, ſi mutationes a corporibus externis in organis ſenſoriis noſtri corporis producantur.

§.624. Neque minus nobis expertis notæ ſunt perceptiones animæ ingratæ, quæ copulatæ ſunt cum ſolutione continui, in corporum noſtrorum membris ſuborta. Quales perceptiones ſolutionis continui corporis noſtri jamjam veteribus *dolores* dictæ ſunt.

§.625. Porro notum eſt teſte eadem experientia, creſcente vel decreſcente corporis robore, mentis quoque vigorem creſcere vel decreſcere in iis operationibus, in quibus ex aliorum mente animus agit cum corpore.

§.626. Superius ſubindicavimus, dari motus corporis a voluntate animæ pendentes, & qui no ſubſequuntur, ſi nervi vel ligati vel diſſecti, vel ſi partes carnoſæ reſciſſæ fuerint.

§.627. Ex §.623,624,625,626,162.163. abunde patet, *cur arctiſſimum animæ cum corpore vinculum* tribuatur, quod abſtrahendo ab omni hypotheſi nunc concipimus conſenſum perceptionum animæ cum quibusdam mutationibus in corpore & quorundam corpotis motuum cum arbitrio animæ.

§.628. Homo nec ex ſola anima, nec ex ſolo corpore, ſed ex utriusque ſubſtantiæ unione conſtat (§.627.). Hinc perfectiones hominis & ad corpus & ad animam reſpiciunt.

§.629. Perfectio itaque hominis abſolvitur perfectionibus animæ & corporis inter ſe connexis (§.628.).

§.630. Perfectio hominis eſt perfectio compoſita. (§.629.607.).

§. 631. In corpore humano omnia membra inter ſe ſunt copulata. Jam cum quodlibet organum ſua gaudeat perfectione, perfectiones organorum corporis partiales inter ſe copulatæ ſunt & conſtituunt perfectionem aliquam compoſitam ſeu totalem (§. 607.).

§. 632. In perficiendo corpore & colenda anima homo aliis hominibus & pluribus rebus externis indiget. Hominem itaque oportet eſſe ſollicitum de conciliando ſibi aliorum hominum auxilio & de acquirendis rebus variis, quæ cultui corporis & animæ, conjunctim ſumtorum, inſerviunt. Relatio hominis ad alios homines & ad res externas, varias mutationes in ipſo producentes, ejus *ſtatus externus* dicitur. Perfectio itaque corporis & cultus animæ ſtatum quendam externum exigit.

§. 633. Homo in ſe excolendo & perficiendo ſollicitus eſſe debet de ſtatu externo, qui perfectionem corporis & animæ promovet & amplificat (§. 632.), & qui adeo cum cultu corporis & animæ conſentire debet.

§. 634. Homo in ſe perficiendo de ſtatus externi perfectione adipiſcenda ſollicitus eſſe debet, quantum poſſibile eſt. (§. 633. 124.).

§. 635. Hactenus tantum cognovimus leges naturales eo tendere, ut homo actiones in ſuam dirigat perfectionem (§. 352.) Quæ cum ſit compoſita (§. 630.), ex perfectionibus corporis & animæ (§. 629.); leges naturales eo tendunt, ut homo de promovenda perfectione & corporis & animæ, in unione ſumtorum, ſollicitus ſit. Sed cum utraque perfectio perfectionem ſtatus externi exigat (§. 634.); leges naturales nobis injungunt coram perficiendi ſtatum noſtrum externum.

§. 636. Leges naturales ſunt ſpecies legum divinarum (§. 330.). Quicquid itaque de legibus naturalibus demonſtrabimus, id omne etiam legibus quibusdam divinis adſcribendum exiſtimemus. Paulo inferius evincemus, Deum velle, ut homines actiones ſuas legibus naturalibus attemperent.

§. 637.

Digitized by Google

§.637. Deus nos obligat per naturam ad perfectionem corporis, animæ & ſtatus externi promovendam (§.635.636.)

§.638. Ex § 622.635. patet, triplex dari officium naturale erga noſmet ipſos, vel ratione animæ, vel corporis, vel ſtatus externi perficiendi. Nec minus clarum eſt officiorum ergo nos & ex conſequenti legum naturalium expletionem cum intenſiori mentis voluptate copulatam (§.622. 131.), neque adeo pro onere reputandam eſſe. Idem inferius patebit de cuſtodia officiorum erga Deum & alios.

§.639. Si ſumatur obligatio pro officio (§.477.) de obligatione naturali valebunt, quæ §.638. demonſtrata ſunt. Id quod etiam de obligatione naturali activa, quæ divina eſt (§. 637.), intelligendum.

§.640. Ex præcedentibus patet, effugienda homini eſſe ea omnia, quæ animam, corpus & ſtatum illius externum imperfectiorem efficiunt.

§.641. Officia erga nos naturalia triplicis generis ſunt inter ſe connexa (§.638.635.). Ea proinde, ſi fieri poſſit, a ſe invicem ſeparanda non ſunt. Hinc ſi quis non niſi de perficiendo corpore & ſtatu externo laboraverit, neglectis animæ perfectionibus, quarum tamen amplificatio in ejus poteſtate ſit; is officiis erga ſe naturalibus ſe ſatisfeciſſe non exiſtimet.

§.642. Tribus ſpeciebus officiorum erga nos naturalium, §.638. indicatis, reſpondent tres ſpecies bonorum. Quæcunque enim ſtatum mentis internum perfectiorem reddunt, *bona animæ*; quibus rebus ſtatus corporis perfectior fit, *bona corporis*; quibus ſtatus externus perficitur, *bona fortunæ* ſunt (§. 141.). Hinc obligati ſumus ad acquirenda bona & animæ & corporis & fortunæ (§.638.639.).

§.643. Tribus bonorum ſpeciebus opponuntur malorum tres ſpecies, *mala* quippe *mentis*, *mala corporis* & *mala fortunæ*, quorum definitiones vi §.145. & 642. formari poſſunt. Homini evitanda eſſe omnia ejuſmodi mala, patet ex §.640.

§.644. Homo natura obligatus eſt ad cognoſcenda, quæ bona

bona, quæ mala (§. 329. 642. 643.), quæ ſint bona vel mala majora, quæ minora (§. 331. 332.), quæ ſint bona vel mala totius vel partium (§. 336.). Referas huc, quæ de incommodorum, voluptatis & moleſtiarum conſectariis §. 337. 338. dicta. Unde non minus patet, defectum cognitionis h. e. ignorantiam bonorum vel malorum omnibus viribus eſſe fugiendam. Quæ §. 475. de ignorantia vincibili & invincibili dicta ſunt, huc applicanda veniunt.

§. 645. Officium eſt actio, quæ cum obligatione copulata eſt (§. 476.). Quicquid in doctrina de obligatione jamjam deduximus, ad officia in genere, adeoque & ad officia erga nos naturalia, tanquam eorum ſpecies, applicanda veniunt. In quibus itaque actibus locum habet obligatio, in illas etiam cadere officium poteſt. Et qui actus obligationis ullius impatientes ſunt, ei omnem officii naturalis vel expletionem vel violationem & ex conſequenti diligentiam legitimam, culpam & malitiam omnem (§. 546. 547.), nec minus omnem imputabilitatem reſpuunt (§. 478.).

§. 646. In anima dantur plures facultates, quas in exercitatione prima delineavimus & quarum quælibet perfici & amplificari poteſt. Ejusmodi animæ perfectiones ſunt imaginationis & memoriæ vigor, profunditas & acumen intellectus, ſoliditas in formandis ratiociniis, ingenii velocitas, rationis vis, ars hevriſtica, experiundi dexteritas, ſcientia, ſapientia, prudentia, ingenii præſentia, voluntas emendata, dominium in ſenſationem, imaginationem & affectus, & quæ ſunt aliæ mentis dotes, ad quas omnes ſibi pro virili comparandas homo obligatus eſt (§. 635.).

§. 647. Officia naturalia ſunt actiones dictamini vel rationis vel experientiæ, ex qua analogum rationis naſcitur, conformandæ (§. 621. 462. 358.). Id quod etiam de officiis erga nosmet ipſos naturalibus, tanquam eorum ſpeciebus præcipue intelligendum (§. 622.). Satisfacturus itaque officiis naturalibus de acquirenda & amplificanda ratione, nec minus de experientiarum legibus indagandis & applicandis ſollicitus eſſe debet.

§. 648

Digitized by Google

§. 648. Ratio præcipuum intellectus gradum præponit (§. 93. 51.). Perfectio intellectus complectitur cumprimis tres perfectiones, in formandis quippe notionibus primis (§. 56.), in judiciis deducendis (§. 59.) & in ratiociniis eliciendis (§ 60.). Hinc rationis perfectio profunditate & acumine intellectus & ſoliditate nititur. Quæ perfectiones cum poſtulent memoriam felicem, imaginationem vividam & fœcundam, nec minus inſignem attentionis & reflexionis gradum; harum facultatum cultura ad excitandum & dilatandum rationis uſum atque ad cognoſcenda & implenda officia naturalia neceſſaria eſt (§. 647.).

§. 649. Homo tenetur ad perficiendam voluntatem (§. 646. & 635.). Voluntatis perfectio eſt conſenſus appetituum & averſationum (§. 124. 167.), ſi vocabulum voluntatis generaliter ita ſumere velimus, ut illud noluntatem ſub ſe comprehendat (§. 169.).

§. 650. Bona vera ſunt, quibus ſemper conſequimur voluptatem, nunquam tædium (§. 143.). Bona igitur vera ipſa ſunt hac ratione immutabilia. Appetitus ergo bonorum verorum ſunt immutabiles, & qui adeo in averſationem non degenerant, nec ex conſequenti ſibi repugnare poſſunt, quin potius inter ſe conſentire debent. Oritur itaque conſenſus appetituum, ſi illi vera bona ſectantur.

§. 651. Mala vera ſunt, quibus ſemper conſequimur tædium (§. 146.). Mala igitur vera ipſa ſunt hac ratione immutabilia. Averſationes ergo malorum verorum ſunt immutabiles, & quæ adeo in appetitus non degenerant, nec ex conſequenti ſibi repugnare poſſunt, quin potius inter ſe conſentire debent. Oritur itaque conſenſus averſationum, ſi eæ ad vera mala evitanda vel tollenda tendant.

§. 652. Voluntatis perfectio abſolvitur conſenſu appetituum & averſationum (§. 649.). Jam cum appetituum, qui vera bona ſectantur & averſationum, quæ ad vera mala removenda connituntur, conſenſus oriantur (§. 650. 651.); voluntatis perfectio eo tendit, ut appetamus vera bona, & quæ mala

Digitized by Google

mala vera ſunt, averſemur. Et cum mala minora ſint bona ratione malorum majorum, & bona minora ſunt mala ratione bonorum majorum, eadem voluntatis perfectio requirit, ut bonum præſtantius minori bono & malum minus majori præferamus.

§. 653. Voluntatis perfectio exigit, ut bonum totius præferamus bono partis, totum deſtruenti vel debilitanti; nec minus ut malum partis, totum conſervans vel augens, antepoñatur malo totius (§. 149. 335. 652.).

§. 654. Voluntas perfecta eligit incommoda minora, quæ majora ſequuntur commoda, præ commodis, quæ ejusmodi commodis eminentioribus non ſtipantur, vel quibus vehementiora inſequuntur incommoda (§. 150. 652.).

§. 655. Voluntas perfecta effugiet voluptatem, quæ aut majorem pellit voluptatem, aut graviorem parit moleſtiam; nec minus eadem voluntas dolores vel moleſtias, quæ aut majorem avertunt moleſtiam, aut uberiorem creant voluptatem, amplectetur (§. 338. 652.).

§. 656. Voluntatis noſtræ perfectionem, quam §. 652. 653. 654. 655. deſcripſimus, eſſe naturæ & nutui divino convenientem patet ex §. 333. 334. 336. 337.

§. 657. Quæ voluntas ſit imperfecta, & quæ naturæ & nutui divino adverſetur, ad imitationem §. 649. 650. 651. 652. 653. 654. 655. & ex §. 126. facile determinari poteſt.

§. 658. LL. naturales depoſcunt voluntatis emendationem (§. 646.). Sed cum eædem etiam exigant voluntatem efficacem (§. 539.), voluntas emendata, ſi LL. ſpectaveris, etiam efficax eſſe debet.

§. 659. Voluntas efficax præponit cognitionem boni vel mali (§. 166. 167.), quæ voluntatem determinat ad actum erumpentem, niſi is impediatur (§. 508.). Voluntas efficax producitur ex cognitione boni vel mali, quæ voluntatem noſtram ad actum commovet, eumque erumpentem, niſi is impediatur. Sed ejusmodi cognitio dicitur viva, volun-



Digitized by Google

tas itaque efficax producitur a cognitione viva. Id quod indicavi §. 508.

§. 660. Cognitio viva oritur vel ex nuda perſuaſione ſeu opinione (§. 79. 113.) vel ex convictione (§. 113.). Sed in priori caſu cognitio viva facile poteſt mutari in *mortuam*, quæ voluntatem ad actum non commovet. Id quod in poſteriori caſu verendum non eſt.

§ 661. Voluntas emendata efficax eſſe debet (§. 658.). Sed voluntas efficax producitur ex cognitione viva (§. 659.), voluntas ergo emendanda præſtruit cognitionem vivam. Enim vero cum emendatio voluntatis eo tendere debeat, ut appetamus vera bona & quæ mala vera ſunt, averſemur (§. 652.); voluntas emendanda cognitionem vivam & bonorum & malorum eorumque verorum præponit. Quæ cum ad intellectum referenda ſit (§. 61), voluntatis perfectio præponit intellectus emendationem in cognoſcendo vero bono & vero malo, in examinandis perfectionibus & imperfectionibus. Conf. §. 496. 497. 498. 499. Officio emendandi voluntatem, idque fini divino convenienter, reſpondet in homine inſtinctus & deſiderium felicitatis innatum.

§. 662. De modo perficiendi utramque facultatem fuſius agitur in logicis & ethicis. Conf. Wolffii doctrinam moralem officiis erga intellectum & voluntatem.

663. Dicatur in transcurſu de ſtimulo naturali curioſitatis & admirationis, ad colendum intellectum multum tribuente.

§. 664. Leges naturales eo tendunt, ut homo de perfectione corporis promovenda ſollicitus ſit (§. 635.). Quæ cum abſque vita conſiſtere non poſſit, in ea conſervanda nobis omnis opera & cura ponenda eſt.

665. Hinc natura obligamur eo diſpicere, ne pereamus.

666. Malum incertum eſt malum minus malo certo. Ergo jactura boni cujusdam incerta eſt malum minus jactura boni ejusdem certa. Ergo periculum boni cujusdam amittendi incertum eſt præferendum periculo ejusdem boni certo.

Digitized by Google

to. (§. 332. 333.). Vnde patet, quod contra rationem & contra LL. naturales agamus, ſi jacturam boni certam præferamus jacturæ boni incertæ. Id quod etiam applicandum ad jacturam vitæ certam, quam autocheir in caſibus vel duriſſimis præfert durationi dolorum incertæ, vel ſupplicio acerbiori, cujus perferendi certitudinem ille proſpicere non poteſt. Nec deſunt aliæ cauſæ ſat graves, quæ evincunt, autocheiriam juri naturali repugnare.

Propoſitio demonſtrata poteſt etiam applicari ad hunc caſum: ſi dux belli ad anguſtias redigatur ab hoſte, & periculum pereundi cum exercitu præſentiſſimum adſit, niſi pugnam committat, illud vero adhuc incertum exiſtat, ſi prælio rem ſubjiciat; ratio eum ad dimicationem obligat.

§. 667. Hic probe animadverti meretur inſtinctus naturalis ſe conſervandi in quovis animali obvius. Nec minus hic loci notandi ſunt affectus, quibus animal ad ſecuritatem ſuam tuendam concitatur, idque præcipue in caſibus, ubi periculum in mora, nec incertum deprehenditur, & ubi ratiocinio locus non relinquitur. Qui caſus ita ſunt comparati, ut in iis ne Turcæ quidem fato ſuo ſe committant, quippe qui pericula certa ab incertis diſtinguunt & non niſi in iis, quæ poſterioris ſunt generis, inexorabili neceſſitati, perfectionibus alias divinis repugnanti, ſe concredere ſolent.

§. 668. Nobis proinde pro virili evitanda ſunt omnia, quibus in periculum vitæ conjicimur.

§. 669. *Perfectio* corporis eſt conſenſus partium illius (§. 124.). Sed partium quælibet gaudet ſuis functionibus, perfectio itaque corporis conſenſu functionum membrorum illius abſolvitur. *Imperfectio corporis* eſt contradictio functionum membrorum illius (§. 126.). Naturalis perfectio corporis dicitur *ſanitas*, naturalis vero illius imperfectio ejus *ægrotatio* appellatur. Leges naturales eo tendunt, ut homo de conſervanda corporis integritate & ſanitate ſollicitus ſit (§. 635.).

§. 670. Vnde non minus patet, evitanda nobis eſſe

 omnia

Digitized by Google

omnia, quæ efficiunt, ut corporis membra in morbos incidant (§. 669.).

§. 671. Dantur motus & habitus, qui corpori poſſunt conciliari, & quos corporis robur & valetudo & ſecuritas mentisque perfectio requirunt. Ad ejusmodi motus ſuſcipiendos & ad habitus tales ſibi comparandos hominem pro ratione circumſtantiarum & vitæ generis obligatum eſſe patet ex §. 669.

§. 672. Perfectio corporis cum ſit perfectio partialis perfectionis compoſitæ humanæ; illa cum perfectione animæ conſpirare debet (§ 629. 630. 607.). Hinc eo diſpiciendum, ut ſit mens ſana in corpore ſano (§. 669.). Eandem curam exigit regimen corporis, quod animæ competere §. 193. indicavimus.

§. 673. Syſtema eſt complexus plurium poſſibilium inter ſe connexorum (§. 81.). Corpus ergo non ſolum in ſe, ſed & in unione cum anima ſyſtema & microcoſmum in ſyſtemate majori ſeu macrocoſmo format.

§. 674. Connexa ſunt, quorum unum varium habet rationem in reliquis variis (§. 73.). Dantur nexus neceſſarii, dantur contingentes (§. 178. 179.). Nexum neceſſarium deprehendimus in veritatibus Logicis, Ontologicis, Arithmeticis, Geometricis. Nexus, quos in toto noſtro mundo, in partibus noſtri corporis, in imperiis & rebus publicis, in negotiis hominum, ex dominiorum introductione ſubortis &c. deprehenduntur, ex numero contingentium ſunt.

§. 675. Dantur ſyſtemata neceſſaria, dantur contingentia (§. 81. 674.). Structura corporis noſtri ita eſt comparata, ut machinæ illi oppoſitæ nullam contradictionem involvant. Syſtema itaque corporis noſtri eſt contingens (§. 179.).

§. 676. Perfectio corporis eſt compoſita, quæ ex perfectionibus partium illius naſcitur (§. 631.) & quam adeo nanciſci non poſſumus, niſi integritas & perfectio partium conſervetur.

§. 677. Obligamur ad perfectionem corporis totalem conſer-

conſervandam & augendam (§.635.631.). Jam cum perfectio corporis totalis ab integritate & perfectione partium dependeat (§.676.); omnis nobis navanda opera eſt, ut organa corporis in ſtatu naturali conſerventur, nobisque evitandi ſunt caſus, quibus illa imperfectiora redduntur, & quibus nos uſu organorum vel organis ipſis privamus. Nullum adeo periculum, phyſice vel moraliter evitatu poſſibile (§. 307. 308. 483.) nobis ſubeundum eſt, ubi corporis membra vel mutilari vel amitti poſſunt.

§. 678. Violatio minor juris naturæ eſt præferenda violationi illius majori (§ 332. 333.). Hæc propoſitio in colliſione LL. & officiorum adhiberi poteſt. Sed notandum, quod hic non ſit ſermo de caſu, ubi quis utramque violationem evitare poſſit, & quo ex duobus malis neutrum eligendum eſt. (§. 329.). Hic potius loquimur de caſu, quo quis ad alterutram LL. naturalium violationem arripiendam coactum ſe ſentit. Exempli loco ſit uſus juris eminentis.

§. 679. Bonum totius corporis, eſt verum bonum corporis, bonum partis, totum corpus deſtruens vel debilitans, eſt verum malum ſeu bonum apparens (§ 149.). Vnde dependet deciſio caſuum, in quibus ad partem corporis abſcindendam a Deo per naturam obligamur (§. 336.).

§. 680. Si regula, cujus ad menſuram conſervanda eſt pars corporis, repugnet regulæ, vi cujus conſervanda eſt totius corporis perfectio, oritur exceptio (§. 611.), quæ eſt ſuſcipienda, quantum id poſtulet perfectio corporis totalis (§. 612.). Vnde nova ratione patet propoſitionis præcedentis veritas.

§. 681. In quibus caſibus vel dolores, ex partibus corporis oriundi, ſint perpetiendi, vel voluptas, ex uſu partium corporis ſubnaſcens, fugienda ſit, idque nutu divino & duce natura, ex §. 338. judicandum eſt.

§. 682. Mutatio in uno connexorum ſuborta afficit reliqua connexa (§. 73.) & totum ſyſtema, niſi mutationis progreſſus impediatur. Datur proinde uno in ſyſtemate, ſe-



Digitized by Google

quuntur plura. Hinc mutatio in parte corporis ſuborta reliquas illius partes & totum corpus, quin & ipſam animam afficit (§. 673.).

§. 683. Mutationes in una corporis parte ſubnatæ producunt novas mutationes in reliquis illius partibus, adeoque in corpore ſua nanciſcuntur conſectaria, quæ vel ad integritatem vel ad imperfectionem corporis tendunt.

§. 684. Natura obligamur ad evitandas illas mutationes partium corporis, quæ ad illius imperfectionem tendunt, & ad efficiendas mutationes, quæ illius integritatem & perfectionem vel conſervant vel adaugent (§. 683. 635.). Et quo magis mutationes ejusmodi promovent vel perfectionem vel imperfectionem corporis, eo magis vel ſectandæ vel devitandæ ſunt.

§. 685. Leges naturales hactenus nos obligant, ut nos ſtatumque noſtrum externum perficiamus (§. 352.) Perfectio noſtri ſtatusque externi copulata eſt cum ſenſu voluptatis, in bonam partem acceptæ (§. 131.). Leges ergo naturales nos obligant ad eligendam vitæ transactionem, cum voluptatis illius ſenſu copulatam. Illud, quod voluptatem in nobis progignit, dicitur *jucundum*. Leges ergo naturales nos obligant ad jucundam & commodam vitæ transactionem conſectandam.

§. 686. Quod jucundum ſit verum, quod apparens, patet ex notione voluptatis veræ & apparentis (§. 142.). Et cum natura nos obliget ad veram perfectionem & ex conſequenti ad voluptatem ſinceram (§. 334. 132.); Leges naturales ad jucundum ſincerum ſectandum nos ſtimulant.

§. 687. Leges naturales nos obligant ad imperfectionem noſtram ſtatusque noſtri (§. 352.) & ex conſequenti *vitam* tædiis plenam (§. 135.) h. e. *miſeram* & incomodam fugiendam.

Consectarium. Hinc natura, quæ eſt vox Dei & rationis (§. 330. 359.), obligamur, ut eo diſpiciamus, ne miſere & calamitoſe vivamus. Combinabimus hanc propoſitionem cum §. 665. in demonſtrando principio Juris N. externi ſ. cogentis.

§. 688.

Digitized by Google

§. 688. Neceſſaria & commoda vitæ transactio exigit plures res externas ad victum, ad amictum, ad habitationem, ſanitati proficuam; ad recreationem animi innoxiam & corporis refectionem ſpectantes. De quibus omnibus ſibi comparandis hominem oportere eſſe ſollicitum, patet ex præcedentibus.

§. 689. *Amor* eſt diſpoſitio capiendi voluptatem ex alicujus felicitate. *Odium* eſt diſpoſitio mentis capiendi voluptatem ex alicujus infelicitate. Gradus utriusque affectus ex eorum definitionibus patent.

§ 690. Voluptas & ex conſequenti amor erga alios (§. 689.) eſt actio magis naturalis, neque adeo libera. (§. 311. 310.). Ad amorem itaque erga alios nemo ſe ipſum invitum cogere poteſt (§. 579.).

§. 691. Ad quæ inviti cogimur, ea pro malis reputamus (§. 579.). Mala averſamur (§. 155. 167.). Ergo ad quæ ita cogimur, ea averſamur. Quæ averſamur, ex iis tædium capimus (§. 146.), adeoque nullam voluptatem Ergo ad quæ cogimur, ea non amamus (§. 689.). Ergo ad amandum aliquid non poſſumus cogi, atque adeo amor non poteſt extorqueri. Eadem propoſitio eodem, quo demonſtrata eſt præcedens, modo demonſtrari poteſt. Quam theſin etiam ſic evincimus. Affectus oriuntur ex repræſentationibus bonorum vel malorum (§. 161.). Repræſentationes extorſionem non patiuntur. Ergo & affectus ſunt extorſionis impatientes. Id quod applicandum ad amorem.

§. 692. Amoris actus ſunt bona (§. 689. & 141.). Bonum malum non eſt (§. 141. 145.). Quod malum non eſt, ad illud vi cogi non poſſum (§. 579.), ſeu illud nobis non poteſt obtrudi. Ergo actus amoris, qua tales, nobis obtrudi non poſſunt.

§. 693. Qui nos amat, nobis *amicus*; qui nos odit, nobis *inimicus* dicitur. Ad amicitiam nemo cogi poteſt (§ 691.). De amicis & inimicis internis jam loquimur. Amicitiæ & inimicitiæ internæ gradus ex gradibus amoris & odii dependent.



Digitized by Google

§. 694. Ad ſimulandum amorem vel odium cogi poſſumus (§. 689. 579.).

§. 695. LL. naturales eo tendunt, ut ab una vera perfectione ad novam (§. 352.), adeoque ab una voluptate recta ad novam (§. 131.) & ex conſequenti ad voluptatem veram increſcentem, h. e. ad ſtatum gaudii durabilis (§. 367.) progrediamur. Qui ſtatus cum dicatur felicitas (§. 368.); LL naturales eo tendunt, ut promoveamus felicitatem noſtram. Vivere convenienter naturæ idem eſt ac vivere feliciter.

§. 696. Ad cultum legum naturalium obligamur (§. 352.) ſed cultus earum legum nos reddit felices (§. 369.), ad felicitatem ergo noſtram promovendam obligamur.

§. 697. LL. naturales eo tendunt, ut felicitatem noſtram promoveamus (§. 696) Sed promovere felicitatem noſtram non poſſumus, niſi illam contemplemur. Ex contemplatione ſeu ex intuitu felicitatis noſtræ oritur voluptas, eaque intenſior (§. 368. 131.). LL. ergo naturales eo tendunt, ut contemplemur noſtram felicitatem, atque ita ex illa voluptatem capiamus. Sed voluptas hauſta ex felicitate noſtra dicitur *amor noſtri* ſeu *philavtia*, ſenſu bono accepta, §. 689.); LL. igitur naturales eo nos ſtimulant, ut amemus nosmet ipſos. Hic amor noſtri nutui divino & rationi conveniens eſt (§. 361. 462.).

§. 698. Amor ſui ſ. Philavtia, in omni animali obvia, miratu dignos producit effectus. Animalia, qua talia, non niſi confuſe illum amorem ſui ſequuntur in ſe conſervando; ſed idem *amor* fit *oculatus*, ſi acceſſerit ei rationis uſus, & qui contradiſtinguendus eſt *amori cæco*, rationis dictamini minus attemperato.

§. 699. Vivis in ſyſtemate mundano cum aliis hominibus, a quorum auxilio vel quam plures perfectiones tibi comparatu impoſſibiles, vel majores perfectionum jamjam adeptarum gradus dependent. Jam cum ea tibi facienda ſint, quæ te ſtatumque tuum perfectiorem efficiunt (§. 340.) eo tibi diſpiciendum, ut alii te perficere connitantur. Sed ab aliis

Digitized by Google

aliis ejusmodi niſum te perficiendi non expectabis, niſi velint te perfectiorem efficere (§. 505.); eo contendas, ut alii velint tuam perfectionem. Jam cum nihil appetamus, niſi ſub ratione boni (§. 175.); alii, quos ad perficiendum te commovere cupis, perfectionem tuam pro bono, h. e. pro ea re, qua ſe ipſos perfici exiſtimant (§. 141.), reputare debent. Proinde ita te perficias, ut & alii ſe abs te perfici intelligant. Dirigas ergo actiones tuas in aliorum hominum non minus quam in tuam perfectionem. Conf. 341.

CONSECTARIUM. Actiones, quibus alios perficimus, ſunt eæ, quibus & ipſi perficimur, & quæ adeo ſunt per ſe bonæ (§. 327.). Actiones, quibus alios imperfectiores reddimus, ſunt eæ, quibus nosmet ipſi imperfectiores reddimur, & quæ ex conſequenti per ſe turpes ſunt (§. cit.). Jus. Nat. præcipit actiones per ſe bonas, & prohibet eas, quæ per ſe malæ ſunt (§ 352.); qui itaque alios non perficit in ſe perficiendo, Jus Naturale violat, ſed quod ab illo cuſtoditur, quatenus in ſe perficiendo etiam alios perficit. Huc ſpectat illud ENNII: Homo, qui erranti comiter monſtrat viam, quaſi lumen de ſuo lumine accendat, facit: Nihilominus ipſi lucet, cum illi accenderit. Eodem redit illud SENECAE Epiſt. 48. Nec poteſt plusquam beate degere, qui omnia ad utilitates convertit: *alteri vivas, ſi vis tibi vivere.*

§. 700. Aliam demonſtrationem ſtudii alios perficiendi dedit THUMMIGIUS in Inſtit. Phil. Wolffianæ, quam ex conſenſu actionum naturalium & liberarum, quarum mentionem §. 311. fecimus, ſolide eruit.

§. 701. Studium alios perficiendi præſtruit voluntatem efficacem eos perfectiores efficiendi. Hinc perfectio aliorum nobis reputanda venit pro bono (§. 175.), h. e. pro ea re, qua nos ipſi perficimur (§. 141.). Natura proinde rationali obligamur ad capiendam voluptatem intenſam ex aliorum ſtatu, quo illi magis magisque perficiuntur (§. 131.) & quo conſequenter multiplici voluptate (§. cit.) & gaudio durabili perfunduntur (§. 367.). Status gaudii durabilis dicitur feli-

I 5 citas

Digitized by Google

citas (§. 368.). Natura igitur rationali obligamur ad capiendam voluptatem ex aliorum felicitate. Jam cum voluptas, quam ex aliorum felicitate percipimus, amor dicatur (§. 689.), alios homines amandos eſſe, liquido conſtat.

§. 702. Ex ſtudio nos perficiendi concepimus rationes amoris erga nos (§. 697.) & ſtudii alios homines perficiendi (§. 699.). Et cum ex ſtudio aliorum perficiendorum concipiamus amorem erga alios (§. 701.); amor noſtri & amor erga alios commune principium habent, ſtudium quippe nos perficiendi (§. 42.).

§. 703. Ex amore ſui rationali concipimus amorem erga alios (§. 701.). Amor ergo ordinatus incipit a ſe ipſo. Amor ſui ordinatus eſt menſura ſeu norma amoris erga alios (§. 344.)

§. 704. Vive convenienter perfectionibus tuis (§. 352.) & aliorum (§. 699.).

§. 705. Qui nos amant, ex felicitate noſtra voluptatem capiunt (§. 689.). Hæc voluptas ipſos ſtimulabit, ut felicitatem noſtram ipſo facto promoveant. Amore itaque aliorum felicitas noſtra auctior fit. Jam cum duce lege naturali major felicitatis gradus præferendus ſit gradui minori (§. 331. 333.); LL. naturales eo tendunt, ut de aliorum erga nos amore ſolliciti ſimus.

§. 706. Qui nos odio proſequitur, ex noſtra infelicitate voluptatem capit (§. 689.) Hæc voluptas ipſum ſtimulabit, ut ipſo facto nos reddat infelices, atque ita felicitatis noſtræ curſum impeditiorem efficiat, vel ſaltem tantum felicitati noſtræ non addat, quantum tamen addere poſſit. Jam cum evitanda nobis ſint, quæ felicitati noſtræ contraria ſunt (§. 695.); devitanda etiam odia aliorum, quantum id quidem fieri poſſit. Hinc & inimicitiæ aliorum ſunt evitandæ vel ſaltem emolliendæ (§. 693.). *Emollire inimicum* ſignificat efficere, ut major gradus odii, quo nos proſequitur, abeat in gradum minorem. Ad emolliendum inimicum etiam eo magis obligamur, quo magis malum minus ſit præferendum

majori

majori (§. 332.). Quod ſpectat illud Gallorum: *Il faut regagner ſon ennemi.* Dicatur in transcurſu de caſibus ubi aliorum amicitiæ paratu vel eorum inimicitiæ evitatu moraliter impoſſibiles ſint (§. 483.). Dantur haud pauci, quorum benevolentiam nobis conciliare non poſſumus, quam violatione legum naturalium.

§. 707. Amor eſt conatus efficax isque vehemens promovendi alterius felicitatem (§. 689. 158. 154. 505. 508.) Odium eſt conatus efficax, isque vehemens promovendi alterius infelicitatem (§. 689. 158. 155. 505. 508.).

§. 708. In amico datur conatus efficax, isque vehemens, promovendi felicitatem noſtram. In inimico obvius eſt conatus efficax isque vehemens, promovendi infelicitatem noſtram (§. 693. 707.).

§. 709. Qui alios amat, ex eorum felicitate (§. 689.) h. e. ex eorum ſtatu gaudii durabilis (§. 368.) voluptatem capit.

§. 710. Gaudium eſt voluptas intenſior (§. 367. 160.). Qui alios amat, ex aliorum voluptate intenſiori, eademque durabili, voluptatem intenſam capit (§. 709.).

§. 711. Qui alios amat ex ſenſu majori perfectionum, quo illi fruuntur, voluptatem intenſiorem percipit (§. 710. 131.).

§. 712. Qui nos amat, is vult noſtram felicitatem (§. 689. 707.), eamque conſiderat tanquam bonum (§. 175). Qui itaqoe nos amat, felicitatem noſtram reputare debet pro eo, quo is ſtatusque ipſius perficitur (§. 141.) & quo conſequenter in eo excitatur voluptatis intenſioris, ejusque durabilis ſenſus (§. 131.). Voluptas intenſior dicitur gaudium (§. 367) Qui proinde nos amat, felicitatem noſtram pro ejusmodi re habere debet, qua in ipſo ſtatus gaudii durabilis h. e. felicitas ejus (§. 368.) excitari poteſt. Si itaque velis, ut alii te ament, efficiendum tibi eſt, ut illi felicitatem ſuam ex tua felicitate progigni vel ſaltem amplificari cognoſcant. Sed de aliorum felicitate promovenda ſollicitus non eris, niſi velis eam amplificare (§. 508.). Hinc & tibi aliorum felicitas cenſenda eſt pro bono (§. 175.), quo nimirum magis magisq; perfici poſ-

ſis

Digitized by Google

ſis (§. 141.). Hac ratione capienda tibi eſt voluptas ex aliorum felicitate (§.131.) & ex conſequenti alios amare ipſa natura obligaberis (§.689.) *Si velis itaque amari ab aliis, eos ipſos ames.* Et cum LL. naturales & ex conſequenti LL. rationis (§ 462.) & divinæ (§. 361.) te commoveant, ut aliorum amorem tibi compares; Deus, natura & ratio exigunt, ut alios homines ames. Inferius in doctrina de pio naturali novum motivum, ex illuſtratione gloriæ divinæ oriundum, nanciſcemur, quo ad amandos alios commoveri poſſumus. Licet §. 701. hanc propoſitionem jamjam demonſtraverimus, hanc tamen demonſtrationem etiam addere volui, cum amor erga alios ſit maximi momenti, id quod paulo inferius magis patebit. Reflectamus ad illud Terentianum: *Homines ſumus & nihil humani a nobis alienum eſſe putemus.*

§. 713. Dirigas actiones tuas non minus in aliorum quam in tuam perfectionem. Fluit hæc propoſitio, quam jamjam §. 699. demonſtravimus, ex §. præcedenti. Virtus itaque naturalis noſtro ſenſu eſt habitus & noſtram & aliorum perfectionem promovendi (§. 371.).

§. 714. Alios odiſſe naturæ rationali, ejus legibus, rationi & legibus divinis repugnat (§. 712.). Amor enim & odium ſibi e diametro contradicunt. Si ad alterum ex duobus ſibi invicem contradicentibus ſectandam obligor, ad alterum fugiendum teneor.

§. 715. *Officia erga alios naturalia* ſunt actus, quos homo ductu juris naturalis intuitu aliorum ſuſcipere obligatur. Officia erga alios cum officiis erga nosmet ipſos eadem eſſe, patet ex ex §. 50. & 699. Jam etiam concipimus, quæ ſit *obligatio erga alios naturalis*, ſi vocabulum obligationis ſumatur pro officio (§. 476.).

§. 716. Huc referas brocardica: *Quod tibi vis fieri, alteri feceris. Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris*; quæ duæ leges naturales dictamina rationis ſunt (§. 462.) atque adeo non niſi ab illo, qui gaudet conſcientia recta (§. 440.) cui ſoli dictamen rationis competit (§. 459.) ad caſus obvenientes

appli-

Digitized by Google

applicari poſſunt. Qui agit ex conſcientia erronea, ex judicio falſo de moralitate actionis propriæ (§. 440.), neque adeo ex dictamine rationis, quod judicium verum eſt (§ 93. 64.), neque tandem juri naturali convenienter agere cenſetur (§. 462.).

SCHOLIVM. Notes, quod in brocardicis præviis officia erga alios ad officia erga nos referantur.

§. 717. Officium erga alios vertitur in alterius vel corpore vel anima vel ſtatu externo perficiendo (§. 715. 634.).

§. 718. Officia erga nos ſunt menſura officiorum erga alios (§. 715. 716.). Hinc officia erga alios non ſunt potiora officiis erga nos. Ipſe Servator mundi idem indicat hiſce verbis: Ames alios tuæ ſortis æque ac temet ipſum. Unde ſponte fluit, quod alii homines nec minus nec magis amandi ſint, ac nosmet ipſi nos amamus.

§. 719. Hinc ſi oriatur colliſio inter officia erga nos & erga alios, exceptio ita eſt facienda, ut officia erga nos præferantur officiis erga alios (§. 610. 611. 612.).

§. 720. *Juvare alterum* eſt nihil aliud, quam alterum virium noſtrarum participem facere in conſequendo aliquo propoſito. Cum vires ſint varii generis, ex diverſitate virium noſtrarum internarum externarumve oritur diverſitas auxilii.

§. 721. Obligamur aliorum felicitatem promovere (§. 712.). Id quod aliter fieri non poteſt, niſi ut eos virium noſtrarum participes faciamus in conſequenda felicitate. Ergo obligamur juvare alios de felicitate ſua conſervanda & amplificanda ſtudioſos (§. 720.).

§. 722. Si quid ſit, quod homo uſu ſuarum virium adipiſci poteſt, non eſt, cur illud expectet ab uſu virium aliorum ſeu ab aliorum auxilio (§. 720.). Hoc caſu obligati non ſumus, ipſi procurare illud, quod ſtudio proprio procurare ſibi poteſt. Nemini vires a natura, ejusque auctore fruſtra conceſſa ſunt.

§. 723. E diverſo ſi quæ occurrant, quæ ad alterius felicitatem

Digitized by Google

citatem promovendam ſpectant,& quibus conſequendis pares non deprehenduntur illius vires,obligati ſumus concurrere in ejus auxilium, idque pro ratione virium, quæ nobis vel a natura vel ope artis contigerunt.

§. 724. In auxilio alteri ferendo reſpiciendum eſt ad vires adjutoris (§. 723.). Auxilium ergo alteri ferendum in noſtra debet eſſe poteſtate poſitum (§. 307.), atque adeo non ſolum in ſe, ſed & naturaliter poſſibile (§. cit.).

§. 725. Is, cui auxilium fertur & adjutor conſpirant in uno eodemque fine (§. 510. 720.). Ob hanc mutuam conſpirationem uterque moraliter repræſentant unicam perſonam. Applices definitionem unitatis, §. 1540. traditam.

§. 726. Nec minus ob eandem identitatem finis vires auxiliatrices & vires alterius, cui adjumento ſumns, copulandæ inter ſe & connectendæ ſunt ad conſecutionem finis atque adeo ut vis communis & unica conſiderandæ.

§. 727. Vnitas perſonarum & virium ſunt e numero fictionum moralium hevriſticarum (§. 36. 88.). Ejusmodi fictiones, quarum plures in progreſſu noſtræ diſciplinæ occurrunt, adhiberi poſſunt tanquam præmiſſæ, quarum ope filum ſyſtematis promoveri poteſt. Conf. §. 83. 84. usque ad §. 91.

§. 728. Officia erga alios non ſunt potiora officiis erga nos (§. 718.). Proximi ſumus nobismet ipſis. Hinc auxilium alteri ferendum repugnare minus debet expletioni officiorum erga nos (§. 718.).

§. 729. Si itaque poſneris vires auxiliatrices, vel ſolas, vel cum viribus auxiliandi copulatas, impares conſervationi tuæ, non minus quam alterius; leges naturales te non obligant ad adjumentum alteri ferendum, quippe quod in periculum pereundi miſereve vivendi te conjiciet.

§. 730. Ad actiones moraliter impoſſibiles non obligamur (§. 488.). Nulla itaque datur obligatio ad auxilium alteri ferendum, quod moraliter impoſſibile eſt. Huc referas verba: Quæ facta lædunt pietatem, exiſtimationem, verecun-

Digitized by Google

verecundiam, & ut generaliter dixerim, contra bonos mores ſunt, ea nec facere nos poſſe credendum eſt. Si quis e.gr. commiſſione perjurii alterum a perpeſſione pœnæ gravioris promeritæ vel alius mali liberare poſſit, vel ſi quis ab alio in auxilium vocetur in ſupprimendo innocente, ut taceam jam alios ejusmodi caſus; hujuscemodi auxilium moraliter impoſſibile & obligationis impatiens eſt.

§. 731. Si alter, cui dextram porrigis, tibi reſiſtat, vires tamen tuæ ita ſe habeant, ut ejus reniſum ſuperare ipſumque ſalva tua ſalute ex periculo gravi eripere vel ab actione pœnitenda repellere poſſis, ejusmodi auxilium legibus naturalibus convenit. Nec difficilis erit caſus inverſi reſolutio.

§. 732. Iam disquiramus, quænam ex officiis erga alios extorſionem violentam patiantur, quænam minus: Ex §. 665.687. patet, leges naturales velle, ut eo diſpiciat homo, ne pereat, neve miſere vivat. Ergo ſi detur extorſio officiorum erga alios, qua denegata & remota pereundum nobis, vel ſaltem miſere vivendum eſſet, illa extorſio officiorum nobis ab aliis præſtandorum legi naturali & conſequenter rationis dictamini (§. 462.) conveniens eſſet. Sed ſi ejusmodi officiorum extorſio efficeret, ut periremus vel ſaltem miſere viveremus, illa legi naturali & rationi contradiceret (§§. cit.). Conf. initium diſſertationis proluſoriæ.

§. 733. Dantur officia erga alios, quæ nobis injungunt, ut perfectiones & bona, quibus alter jamjam inſtructus eſt, ei intacta (§.699.717.) relinquamus. Ponas nobis ademtam eſſe a lege naturali facultatem cogendi alterum invitum ad horum officiorum præſtationem, vel pereundum nobis vel minimum miſere vivendum eſſet. Hoc itaque caſu coactionem vel extorſionem juri naturali conſentaneam eſſe patet ex §. 732.

Scholium. Verba *Ciceronis* Off. L. III. c. V. ſunt notatu digna: detrahere alteri aliquid, & hominem hominis incommodo ſuum augere commodum, magis eſt contra naturam, quam mors, quam paupertas, quam dolor, quam cetera,

tera, quæ poſſunt aut corpori accidere, aut rebus externis. Nam principio tollit convictum humanum & ſocietatem.

§. 734. Ejusmodi *officia erga alios neceſſitatis* dicuntur, ad quæ præſtanda remedio efficaci alter invitus cogi poteſt. Eadem etiam dici merentur *officia ſtricta & perfecta.* Hinc *obligatio*, pro tali officio ſumta (§. 477.), etiam *perfecta* & *externa*, nec minus *efficax* appellatur.

§. 735. Dantur officia aliis exhibenda, quæ eo tendunt, ut perfectiones vel earum gradus majores, quibus alios deſtitutos cognoſcimus, eis omni niſu procuremus (§. 699. 717.). De aliis licentiam extorquendi ab aliis ejusmodi officiorum genera, denuo hominibus vel pereundum vel miſere vivendum eſſet, idque ob infinita litigia & diſceptationes, quibus diſtraheremur. Hoc itaque caſu extorſio officiorum erga alios juri naturali & rationis dictamini repugnat (§. 732.).

§. 736. Ejusmodi *officia erga alios commoditatis* appellantur, ad quæ præſtanda remedio efficaci alter invitus cogi non poteſt. Et cum illa ex ſolo amore, extorqueri neſcio (§. 691.) proficiſci poſſint (§. 689. 699.), ea etiam *officia amoris, amicitiæ* (§. 693), *humanitatis, imperfecta, inefficacia* dicuntur, quippe quæ alterius amori, humanitati, honeſtati, pudori, religioni & conſcientiæ relinquuntur. Humanitas & ſtudium aliis placendi ad actus plures ſe extendit, quam in illos, ad quos committendos vel omittendos alter cogi poteſt. Per *pudorem* intelligimus affectum oriundum ex relatione actionum noſtrarum turpium quarumcunque ad virorum cordatiorum & ratione pollentium judicium. Honeſtas animi interna etiam latius patet, quam ad officia neceſſitatis. Id quod etiam de religione & conſcientia affirmandum.

§. 737. Si ſumſeris obligationem pro officio (§. 476.); officium amoris & humanitatis *obligatio imperfecta, inefficax* & *interna* appellatur.

§. 738. Iam etiam nanciſcimur ideam *fori externi* & *humani*, quod non niſi officia neceſſitatis complectitur. Hinc & *imputatio*, quatenus ad eadem officia extenditur, *externa* & *humana*,

Digitized by Google

*humana*, nuncupatur. Ipſæ *leges* & *officia*, quæ in hoc foro admittuntur *externa* & *ſtricte ſumta* appellantur. Vnde & *imputatio externa* eſt applicatio juris externi ſ. cogentis ad facta (§. 381.). E diverſo ad *forum internum* officia amoris referuntur. Et cum ratio & pium naturale, præter officia neceſſitatis, nobis etiam amoris officia inculcet, idem forum internum dicitur *tribunal rationis* & *poli*, nec minus *conſcientiæ*, generaliter ſumtæ, pro judicio quovis de moralitate actionum noſtrarum quacunque naturali lato. Conf. §§. 421. 499.

§. 739. Si ſeparaveris officia neceſſitatis ab omnibus officiis erga alios, rationi perviis, remanent officia amoris & humanitatis, licet is, qui ex amore agit, acerrimus cultor ſit officiorum ſtricte dictorum & infimi gradus, quippe quæ ab aliis, qui charitatem ac honeſtatem nullam geſtant ſub pectore, nonniſi ex metu incommodorum adimplentur.

§. 740. Auxilium aliis ferendum eſt officium amoris & humanitatis (§. 739. 721.).

§. 741. In foro externo non ſemper attendimus, quo principio interno ductus alter officio neceſſitatis ſatisfecerit. Contenti eſſe debemus, illa nobis ab altero exhibita eſſe. Fieri enim poteſt, ut alius ex pietate, alius ex honeſtate & virtute interna, alius ex metu malorum & incommodorum præviſorum, alius ex ſpe utilitatis propriæ ſeu ex rationibus politicis, alius ex bonitate ingenii naturali egerit.

§. 742. Qui promtus eſt ad officia amoris nobis præſtanda, ille etiam officiis neceſſitatis nobis exhibendis paratus eſt (§. 736. 739. 734.). Sed fieri poteſt, ut aliquis quidem ſtimulante metu promtus eſſe poſſit ad officia neceſſitatis, aliis exhibenda, minus tamen paratus deprehendatur ad officia amoris adimplenda (§§. cit.).

§. 743. Vtriusque generis officia erga alios ſunt officia rationis (§. 462. 699. 716. 734. 736.). Licet aliquis ſatisfecerit officiis neceſſitatis, officia tamen amoris violaverit, non omnibus officiis erga alios, a ratione dictatis, ſatisfeciſſe exiſtimandus eſt.



Digitized by Google

§. 744. Actus ex ſolo amore erga alios profluentes dicuntur *beneficia*.

§. 745. Alii amandi ſunt (§. 701. 712.). Hinc ad alios beneficiis afficiendos obligamur (§. 744.), idque in foro interno (§. 738.). Porro cum beneficia ſint officia amoris, ea officia neceſſitatis non ſunt (§. 734. 691.), neque nobis ab altero obtrudi poſſunt, qua talia (§. 692.). Quæ valent etiam de auxilio aliis ferendo (§. 740.), qua officio amoris.

§. 746. Amor erga benefactores dicitur *animus gratus*. Obligatio duplex hic oritur & generalis, ex amore erga omnes homines oriunda, & ſpecialis, ex beneficiis in nos collatis progeneranda. Licet itaque *homines ingrati*, qui vel vacui ſunt ab omni amore erga benefactores, vel odio erga illos feruntur, omnium turpiſſimi habeantur in foro interno; animus tamen gratus pro officio neceſſitatis non reputatur (§. 734. 691.).

§. 747. Complexum omnium earum rerum, quibus alter jamjam inſtructus eſt, & in quibus ejus felicitas interna & externa vertitur, vocabimus SVVM. Quod etiam definiri poteſt per complexum omnium bonorum, quibus aliquis inſtructus eſt. Quid ſit ALIENVM, facile patet. In definiendo Suo ſequor *Grotium*, encomio meo majorem, qui §. 2. c. 17. L. II. de J. B. P. terminum noſtrum ita explicat: *Natura homini* SVVM *eſt vita, non quidem ad perdendum, ſed ad cuſtodiendum, corpus, membra, fama, honor, actiones propria. Dominio & pactis quomodo SVVM cuique ſit &c.* hucusque *Grotius*. Cum quo conſentit *Hertius* in Juriſpr. univerſali Sect. III. de Socialitate §. IX.

Per SVVM *Filliucius tr. 31. tom. 2. de juſtitia & jure, c. 2. n. 29.* vult ſignificari id, quod cuique ſecundum LL. debitum, ſive ſit dominium rei, ſive uſus & uſusfructus, ſive poſſeſſio, ſive quod alteri debetur ex contractu, vel quaſi contractu, ex delicto vel quaſi delicto, quo quis alteri intulerit injuriam vel damnum. Locum hunc allegat *Zieglerus* in not. ad *Grotium* p. 45.

§. 748.

Digitized by Google

§.748. Bona ſunt vel vera vel imaginaria (§. 142. 143.). Quam diviſionem etiam felicitas admittit. Ad utrumque bonorum vel felicitatis genus, minimum opinione hominum, τό ſuum ſe extendit. Nec minus huc referas bona corporis, animæ & ſtatus externi (§. 642.).

§.749. Res, quibus alter jamjam inſtructus eſt, vel a natura pendent, vel ope artis ſeu ejus facto ſibi comparata ſunt. Hinc *ſuum* eſt vel *connatum* vel *acquiſitum*, quæ diviſio in loco prævio Grotiano etiam indicata eſt. *Acquirere* aliquid noſtrum facere ſignificat. Ad ſuum connatum referas vitam, corpus, membra, virginitatem, libertatem naturalem &c. De ſuo acquiſito inferius agemus.

§.750. Relinquas alteri quascunque res, quibus eum inſtructnm jamjam deprehendis (§. 733.). Omnium illarum rerum complexus dicitur ſuum (§. 747.). *Suum ergo cuique tribuas.*

§.751. Qui ſuum cuique tribuit, abſtinet ab alieno (§. 747.). Abſtineas ergo ab alieno (§. 750.) conf. §. 8. Prol. Grot. de I. B. P., nec minus §. 44., ubi verba ſequentia præcipue huc quadrant: *Injuſtitia non aliam naturam habet quam alieni uſurpationem.*

COROLL. Juxta hanc notionem nemo pro injuſto (in foro quippe externo) habendus, niſi qui alienum uſurpat, & conſequenter SVVM cuique violat.

§.752. *Lex ſtricte dicta* vel *potius neceſſitatis* eſt illa, ad cujus cuſtodiam alii nos externe cogere poſſunt. Legi huic opponitur *conſilium*, quod eſt norma agendi, ab altero mihi data, ad quam tamen exequendam ille me externe cogere non poteſt.

SCHOLIVM. Dari officia, quæ extorſionem patiuntur, ex §. 733. patet. Officia præſupponunt LL. (§ 476.), quarum illa effectus ſunt (§. 480.). Ejusmodi *lex* ſeu *jus* GVNDLINGIO *cogens* dicitur c. XXIII. §. 62. J.N G., quo quippe caſus determinantur, ubi coactio locum habere poſſit. Et cum eadem officia a neceſſitate denominentur

 (§. 734.),

Digitized by Google

(§. 734.),quæ nimirum ad neceſſariam ſocietatis humanæ conſervationem pertinent,eandem *legem neceſſitatis* dici,non repugnavero. Porro notum eſt, vocabulum LEGES vel latius ſumi pro normis quibuscunque agendi moralibus,vel ſtrictius pro illis regulis,ad quarum cuſtodiam homo hominem invitum ex dictamine rationis cogere poſſit. Quæ ratio eſt, cur legem cogentem legem ſtricte ſ. in foro externo, ubi coactio ſibi locum vindicat κατ' ἐξοχὴν ſic dictam appellitem.Conf.756. *Seneca* ep. 95. hunc ſignificatum ſequitur, ubi LL.nihil aliud eſſe quam minis mixta præcepta affirmavit. Vnde factum eſt,ut juſtitia, injuſtitia, officium, obligatio, culpa, dolus, aliique termini morales in eodem foro non niſi ſtricte ſumantur. Vnde patet, cur lex charitatis & conſequenter gratitudinis ſint juris imperfecti in eadem ſphæra. (§.746.). Quæ omnia eum in finem probe notanda ſunt,ut in controverſiis juris N. & G. logomachias curate detegere & evitare poſſimus.

§.753. Legis naturalis pars,ad quam cuſtodiendam alii nos externe cogere poſſunt,dicitur quibusdam: *Lex naturalis ſtricte dicta, jus naturale externum* ſeu *cogens, das natürliche Zwang-Geſetz.*

CONSECTARIVM. *Juriſprudentia naturalis ſtricte* dicta eſt habitus intellectus applicandi LL. naturales cogentes ad facta humana (§. 396.).

SCHOLIVM. Hanc partem LL. naturalium eam ob cauſam Jus. Nat. externum vocamus, quia ejus uſus in foro præcipue externo naturali conſpicitur.

§.754. Ex idea officiorum erga alios, quæ coactionem patiuntur, & quæ neceſſitatis dicuntur, incidimus in hanc propoſitionem: *Ne turbemus nos invicem in poſſeſſione uſu eorum bonorum, quibus quemque jamjam inſtructum deprehendimus, & in quibus quisque felicitatem ſuam verti exiſtimat* (§. 733.). Hæc propoſitio eſt *principium juris illius naturalis ſtricte dicti* (§. 753.).Ex hac poſitione τὸ ſuum cuique (§. 750.) & ex hoc abſtinentiam alieni prona conſequentia derivavimus

Digitized by Google

mus (§. 751.). Quicquid itaque ex τῷ ſuum cuique ad menſuram notionis §. 747. determinatæ, & ex abſtinentia alieni concipiemus, illud ad ſphæram juris naturalis externi pertinere manifeſtum eſt. Eandem noſtram propoſitionem fundamentalem quilibet admittere debet, licet usque ad principium legis naturalis generale §. 340. 699. allatum, retrogredi nolit. Quilibet enim, qui ſui non plane oblitus eſt, non vult perire, nec miſere vivere. Jam cum violatio propoſitionis noſtræ fundamentalis ſit connexa vel cum interitu noſtro vel cum miſera vitæ transactione (§. 733.), de veritate ejusdem principii dubitare non poteſt.

§. 755. Nec dubitandum eſt, quin idem noſtrum principium adæqnatum ſit in ſphæra juris illius naturalis externi. Omnia enim officia erga alios naturalia redeunt ad hanc propoſitlonem: Ames alios, ſeu, dirigas actiones tuas in aliorum perfectiones. Hoc principium continet nec plura, nec pauciora officia, quam quæ aliis in foro rationis exhibenda ſunt. Sed cum ex eodem principio profluant etiam officia, ad quæ obſervanda alterum externe cogere non poſſumus (§. 735.); opus eſt regula, qua officia, quæ coactionem neſciunt, ſeparantur ab officiis infimi gradus, quæ coactionem patiuntur. Jam cum noſtro propoſitione officia externa ſeparari poſſint ab officiis reliquis, quæ extorſionem non patiuntur; eam eſſe principium juris ſtricti naturalis adæquatum ſeu determinatum (§. 353.) jure exiſtimo.

SCHOLIVM. Cum jus naturale cogens ſit pars LL. naturalium (§. 753.), ejus principium adæquatum & determinatum (§. 353.), ita formandum eſt, ut ex illo non omnes LL. naturales, honeſti quippe, pii naturalis &c. concipi poſſint. Nec totum, nec pars illius ex alia ejus parte intelligi poteſt. Ponas principium juſti, ſtricte dicti, ex quo etiam fluerent officia amoris vel alia ſublimiora, illud juſto latius eſſet & conſequenter minus adæquatum & minus determinatum.

§. 756. Cum nomen generis ſæpe ſpeciei, præſertim ſtrictiori adhæreſcat (§. 347.); factum eſt ut non niſi jura



Digitized by Google

ſtricta legum nomine ab haud paucis inſigniantur. Hinc *Gundlingius* ſolam hanc partem LL. naturalium nomine juris naturalis cum aliis inſignire ſuevit. Quam ſententiam amplecti non erubeſcimus, ſi vocabulum legis non niſi ad forum externum ſeu humanum referamus, in quo quippe leges & jura ita concipienda ſunt, ut adhiberi poſſint in dijudicandis hominum controverſiis, quæ occurrunt in illis caſibus, ubi alter ad menſuram officii ſui adimplendam cogi poſſit.

§. 757. Lex naturalis externa dictamen rationis eſt (§. 732.) Quousque itaque ratio adſcendit in concipiendis illis legibus naturalibus, ad quarum cuſtodiam alii nos cogere poſſunt, eousque leges naturales externæ patent (§. 753.).

§. 758. Conſilia in foro externo nos non obligant (§. 752. 738.), ſed in foro interno nos obligare poſſunt (§. 738.).

§. 759. Si ſubtraxeris leges naturales noſtras, ſtricte dictas, a legibus reliquis naturalibus, remanent illæ, quæ in foro externo naturali non niſi conſilia ſunt (§. 754. 699. 735. 752.); quæ tamen in foro interno & divino leges permaneut (§. 738.). Signanter dixi, quod reliquæ leges naturales in foro externo naturali non niſi conſilia ſint, cum facile fieri poſſit, ut quædam ex iisdem in foro externo civili legis habitum induant; de qua re in *Iure Gentium* §. 789. egimus.

§. 760. Leges naturales, ſtricte ſic dictæ, ſunt leges divinæ (§. 361.), ſi ad earum originem ſpectaveris. Inferius §. 826. in doctrina de Pio naturali evincemus, easdem eſſe divinas leges, ſi illarum cuſtodia ad voluntatem divinam referatur.

§. 761. Actio, cujus commiſſio vel intermiſſio a lege ſtricta nobis injungitur dicitur *officium ſtricte dictum* ſeu *externum* ac *neceſſitatis* (§. 476.) ſeu *obligatio ſtricta & externa* (§. 477.). Quid ſit *officium ſtricte dictum naturale*, quid *obligatio ſtricta* ſeu *perfecta naturalis*, facile patet. Conf. §. 734.

§. 762. Officium ſtrictum naturale eſt actio, ad quam ſuſcipiendam vel omittendam alter me cogere poteſt in ſphæra naturali (§. 761. 753.). Hinc *obligatio naturalis externa*



Digitized by Google

*terna* eſt nexus metus cum actione in ſphæra naturali (§. 579. 300.).

§. 763. Officia naturalia ſtricte dicta, ſeu *obligationes naturales perfectæ*, ultra cuſtodiam τῦ ſuum cuique non ſunt extendendæ (§. 761. 754.).

SCHOLIVM. Huc quadrant verba *Hombergkii* in *Hypomn. Juris Gent.* quæ Tit. 18. §. 5. deprehenduntur, & quæ ſic ſe habent: *Ex aliis (præceptis) obligatio illa (erga Deum) etiam adverſus homines effectum habet efficacem; quoties ſcilicet illis tribuendum, quod* SVVM *eſt. Et hoc ſenſu homines etiam dicuntur ſibi invicem obligari obligatione perfecta & efficaci.*

§. 764. *Læſio ſtricte dicta* eſt actio officiis erga alios ſtricte dictis repugnans, dicitur etiam *læſio externa*, nec minus *injuria*, quæ contradiſtinguitur *læſioni internæ*, quæ eſt actio officiis amoris contraria.

§. 765. Læſiones ſunt actiones LL. ſtricte dictis repugnantes (§. 764. 761.) quæ itaque actiones LL. ſtricte dictis non repugnant, læſiones non ſunt.

§. 766. Auxilia, aliis ferenda, non ſunt officia noſtra ſtricte dicta (§. 745.). Si quis itaque recuſaverit auxilium, alteri ferendum, is eum non lædit (§. 764.). Animum ingratum qua talem, non eſſe læſionem, patet ex §§. 746. 764. Diſtinguas *ingratitudinem ſimplicem a qualificata* ſ. ea, quæ conjuncta eſt cum læſione.

§. 767. Qui violat τὸ ſuum cuique ſeu abſtinentiam alieni, alterum lædit externe & perfecte (§. 765. 754.). Hinc *læſio* eſt turbatio alterius in eo, quod ejus eſt.

§. 768. Nemo eſt lædendus (§. 750. 767.).

SCHOLION. Probe notemus, quod hæc propoſitio non ſolum deducenda ſit ex amore erga alios, ceu fonte generali omnium officiorum, & perfecte & imperfecte aliis debitorum, ſed & ex principio Juris Naturalis cogentis, tanquam fonte proximo officiorum erga alios perfectorum, ex cuſtodia quippe τῦ Suum cuique, ſimul derivanda veniat, ut illa hoc pacto in ſphæra ejuſdem juris adhiberi poſſit.

§. 769. Malum ortum ex læſione externa dicitur *damnum*, item *injuria*. Damnum eſſe malum ortum ex violatione τοῦ ſuum cuique, patet ex §. 767. Et mala ex violatione τοῦ ſuum cuique haud oriunda, damna non ſunt.

SCHOL. *Damnum* derivatur a *demendo* h. e. ſubtrahendo alteri id, quod ejus eſt. *Vitriarius* ad *Grot.* L. II. c. 17. de J. B. P. *damnum in genere* eſt, cum quis minus habet ſvo.

§. 770. Nemini damna ſunt inferenda (§. 768. 769.).

§. 771. Mala ex læſione nata ſunt damna (§. 769.). Iam cum læſio ſit violatio officii ſtricte dicti (§. 764.), mala ex violatione officii ſtricti ſubnata ſunt damna. Sed violatio officiorum amoris non eſt violatio officii ſtricti (§. 736. 762.), mala igitur, ex violatione officiorum amoris & conſequenter ex recuſatione auxilii aliis ferendi (§. 740.) orta, non ſunt damna.

SCHOLIVM. *Pufend.* L. III. c. 1. §. 3. J. N. G. ita ſe explicat: Vti illa, ad quæ habenda idoneus tantum ſum, inter mea numerare nequeo; ſic illis interverſis ſuper damno accepto conqueri non licet. Eleganter in eam rem *Ariſtotel. Nicom.* V. c. 4. πλεονεκτεῖ οὐδὲν ὁ μὴ βοηθήσας χρήμασι δι' ἀνελευθερίαν. Non eſt locupletior, qui alteri pecuniis ſuis non ſuccurrit per tenacitatem. Ergo alter, cui propter hoc vitium non ſuccurritur, non habet ἔλαττον ſ. minus &c.

§. 772. Facultas ſeu libertas agendi, a lege ſtricta nobis conceſſa dicitur *jus, die Befugniſs, das Recht, die Macht*. Vocabulum juris hic ſumitur pro *attributo perſonæ*.

§. 773. *Jus* hoc, quod *perfectum*, ſeu *efficax* ſ. *expletorium* dicitur, concipitur ex lege ſtricta (§. 772. 41.). Hinc talium jurium rationes continentur in lege ſtricta (§. 42.). Quo itaque caſu nulla datur lex ſtricta, illo ad ejus generis jus provocare non poſſumus. Hinc *jus imperfectum* noſtro ſenſu non datur, quippe quod extra ſphæram legum ſtricte dictarum cadere a quibusdam admittitur.

SCHOLIVM. *Jus imperfectum* ſeu *inefficax* tribuitur eis, qui tantum idonei ſunt ad aliquid habendum, quippe quod

Digitized by Google

quod inter ſuum numerari nequit, vid. *Schol.* §. 771. GROTIVS appellat *jus imperfectum* ſolam aptitudinem ſeu ἀξίαν, quæ verum & perfectum jus non tribuit, quia id, ad quod apti ſumus, non ſtatim noſtrum eſt. Conf. *Vitriarii* quæſt. IV. ad c. 17. L. II, *Grotii* de J. B. P.

§. 774. Lex ſtricta ſe refert ad jus illud, ut principium ad principiatum (§. 42. 773.). Et cum effectus ſit principiatum (§. 202. 42.); factum eſt, ut jus illud dicatur effectus Legis ſtrictæ. Eodem modo demonſtrari poteſt, quod obligatio perfecta ſit effectus legis ſtrictæ (§. 761.). Conf. §. 480.

CONSECTARIVM. Libertas, qua tollitur lex ſtricte dicta naturalis, ſeu quæ huic repugnat, jus naturale perfectum non eſt. Hinc favor neceſſitatis dici jus naturale perfectum non meretur. De quo in fine Exercit. V.

§. 775. Jus copulatum eſt cum facultate cogendi alterum, ut officio nobis debito ſatisfaciat (§. 772. 752.). Cum jure ergo noſtro in genere connexum eſt jus cogendi alterum ad officii ſtricti cuſtodiam §. 772.

§. 776. *Jus cogendi* (*Zwang-Recht*) eſt facultas utendi malo externo, quod aptum eſt ad compeſcendum eum, qui officio, a lege ſtricta illi injuncto, non vult ſatisfacere. (§. 579. 772.).

§. 777. *Jus naturale* (*die natürliche Befugniſs*) eſt facultas ſeu libertas agendi nobis a lege naturali ſtricte dicta conceſſa. Omnia jura naturalia ſunt perfecta (§. 773.) neque adeo dantur noſtro ſenſu jura naturalia imperfecta.

§. 778. Jus naturale & obligatio ſtricta naturalis ſunt effectus LL. naturalium ſtricte dictarum (§. 774.). Nec minus perſpicimus, provocantem in foro externo ad jus naturale quoddam, teneri allegare legem aliquam naturalem ſtricte ſumtam (§. 773.). Clarum etiam eſt, cum jure naturali conjunctum eſſe *jus cogendi naturale* (§. 775.), quod eſt facultas utendi malo externo ad compeſcendum eum, qui nos turbat in fruitione ejus, quod noſtrum eſt. (§. 754.). Hinc jura naturalia, ultra cuſtodiam τῦ ſuum cuique non ſunt extenK 5 denda,

Digitized by Google

denda. Huc quadrat poſitio B. HENR. A COCCEI: *Facultas tantum data eſt in id, quod noſtrum eſt.*

SCHOLION. Quod de jure hic demonſtratum eſt, illud etiam tenendum eſt de obligatione, altero effectu Legis, ſtricte dictæ. Qui nimirum nobis tribuit obligationem perfectam, is tenetur allegare, Legem ſtricte dictam ſeu cogentem (§. 761.).

§. 779. Jura naturalia ſunt jura divina (§.760.777.), idque ratione originis. Paulo inferius quoque concipiemus, uſum jurium naturalium voluntati divinæ conformem eſſe.

§. 780. In quo caſu concipitur officium ſtrictum ſeu obligatio ſtricta, in illo etiam alteri jus naſcitur (§. 761. 762. 775.).

SCHOLION I. Notes quod in hac argumentatione non ſermo ſit de obligatione imperfecta, ad quam redeunt caſus, a GROTIO L. II. c. 11. §. 3. J. B. P. excepti. Debitum enim miſericordiæ & gratiæ reponendæ non eſt officium perfectum (§. 746. 734. 691.).

SCHOLION II. Nec minus a jure perfecto unius ad obligationem perfectam alterius ſecure ſemper concludi poſſe, §. 226. Jur. Gent. demonſtravimus. Hac ratione correlationem juris perfecti & obligationis perfectæ perpetuam quam in arduis diſciplinæ noſtræ materiis maximi momenti eſſe experti ſumus, a priori evicimus. Ejusdem argumentationis uſus inſignis nos commovit, ut illam ab ingenioſiſſimis *Gundlingii* objectionibus § 1186. Jur. G. vindicaverimus.

§. 781. Ex lege naturali ſtricta deſcendit jus conſervandi illud, quod noſtrum eſt (§.754.774.). Jam cum noſtrum ſit vel connatum vel quæſitum (§. 749.), *jus naturale* eſt vel *connatum* vel *acquiſitum*.

§. 782. Lex naturalis ſtricta eo tendit, ne turbemur in eo, quod noſtrum eſt (§. 754.). Vnde oritur jus eo diſpiciendi, ne turbemur in eo, quod noſtrum eſt (§. 777.), ne lædamur (§. 767.) & ne nobis damna inferantur (§. 769.).

§. 783. Nec minus ex §§. 778. 782. concipimus jus naturale

rale cogendi alterum invitum, ut id, quod noſtrum eſt, nobis tribuat, ne nos lædat & ne nobis damna inferat.

§. 784. Qui ita utitur jure ſuo, legibus ſtricte dictis convenienter agit (§. 772.). Exercitium itaque juris noſtri eſt actio legibus ſtrictis non repugnans, & ex conſequendi læſio ſeu injuria non eſt (§. 764.). Hinc qui utitur jure ſuo, nemini facit injuriam.

§. 785. *Exercitium juris* abſolvitur ejusmodi actibus, quibus id, adquod nobis jus competit, in actum mittitur. Exercitium ejusmodi ratione aliorum arbitrio noſtro relinquitur (§. 772.). Leges ergo noſtræ ſtrictæ nos non cogunt, ut perſequamur jus, nobis ſolis indultum (§. 579.). Si quis itaque jus ſuum non exſequatur, leges noſtras ſtricte dictas non violat, licet is reliquas leges, ſibi conſervationem ſui inculcantes, violare poſſit. Qui proinde jure ſuo non utitur, in foro quidem externo non peccat, fieri tamen poteſt, ut coram tribunali rationis tueri ſe non poſſit (§. 738.).

COROLLARIVM. Quilibet juri ſuo renunciare poteſt. Conf. §. 1419.

§. 786 Jura naturalia, nobis competentia, ad id, quod noſtrum eſt, reſpiciunt (§. 747.).

§. 787. Jura, pro attributis perſonæ ſumta, ad id, quod noſtrum eſt, referenda ſunt (§. 786.). Ergo qui violat jura noſtra, nos lædit (§. 767.). Hinc & is nos lædere exiſtimatur, qui nos impedit, quo minus jure noſtro uti poſſimus.

COROLLARIVM. Repugnantia cum jure alterius aſt læſio. *Grot.* J. B. P. III. I. II.

§. 788. Si forum internum ſpectaveris (§. 738.), leges naturales depoſcunt a nobis voluntatem efficacem (§. 539.) perfectionem vel felicitatem & noſtram & aliorum promovendi (§. 699. 695. 712.); præponunt nobis eandem perfectionem vel felicitatem noſtram promovendam, tanquam finem (§. 514. 541.), nobisque injungunt cuſtodiam officiorum (§. cit.) tanquam remedium (§. 511.), quo adhibito finis ille exiſtentiam nanciſci poſſit; nec minus eædem a nobis exigunt,

Digitized by Google

exigunt ut arripiamus, quin & excitemus occaſionem nos alioſque perficiendi (§.cit.)atque ut impedimenta removeamus, quibus a conſequendis noſtris aliorumque perfectionibus detineri poſſumus (§. cit.). Eædem leges naturales generaliter ſumtæ expoſcunt, ut in promovenda noſtra aliorumque felicitate viribus noſtris utamur, atque ita in illa amplificanda adhibeamus diligentiam debitam (§. 546.), quam ſi neglexerimus, culpoſi ſumus (§. 547.), idque in foro interno (§. 738.).

§. 789. Habitus formandi finem ultimum & eligendi remedia, quibus, tanquam finibus particularibus, inter ſe connexis, finis totalis obtineri poſſit, dicitur *ſapientia.*

§. 790. Fieri poteſt, ut fines particulares, a ſapiente inter ſe connectendi, ſibi invicem contradicant. Quilibet finis particularis gaudet regula ſua (§. 344. 510.). Ex contradictione igitur finium particularium oritur colliſio regularum (§. 610.), quæ efficit, ut a ſapiente ſuſcipi debeat exceptio (§. 611.), ob conſecutionem finis totalis ſibi propoſiti (§. 789.).

§. 791. Dantur caſus, ubi neglectio exceptionis eſt contra ſapientiam (§. 790.).

§. 792. Leges naturales, in genere ſumtæ, a nobis expoſcunt cultum ſapientiæ (§. 788. 789.). Nec difficilis erit conceptu definitio *Leibnitii*, *ſapientiam* per ſcientiam felicitatis explicantis, ſi conſideraveris, felicitatem eſſe finem præcipuum, quem LL. naturales nobis inculcant (§. 695.). Prima felicitatis pars eſt ſapere, ex illo Sophoclis: πολλῷ τὸ φρονεῖν εὐδαιμονίας ὑπάρχει. A qua notione non abludit idea, quam format *Thomaſius* de *ſapientia*, cujus notam characteriſticam in cognitione viva veri boni poſuit. Vtramque definitionem ſyſtemati innectere poſſumus, ſi ex notionibus terminorum definitiones ingredientium, legitime concludere velimus. Id quod prælectionibus reſervo.

CONSECT. I. Juxta definitionem Leibnitianam ſapiens ſcit vivere convenienter naturæ (§. 695.), rationis dictamini (§. 358.), & nutui divino (§. 359.).

CON-

Digitized by Google

CONSECT. II. Sapiens ſcit vivere convenienter perfectionibus ſuis, aliorumque hominum (per Conſect. 1. & per §§. 352. 699.).

SCHOLION. Ad ſapientiam, in ſphæra morali conſideratam, non ſufficit intellectus, variis ſcientiis, vel optimis, excultus & ad formandos fines vel vaſtiſſimos atque ad excogitanda remedia aptiſſimus, ſed cognitio viva veri boni, quæ emendat voluntatem (§. 661.), & ad quam *Thomaſius* in ſua notione ſapientiæ reflexit, requiritur. Hinc & *Socrates* eam veram ſapientiam eſſe recte judicavit, quæ homines non tantum doctiores, ſed & meliores redderet. Videris homines, qui intellectu, aliis ſcientiis alias cultiſſimo, in ſui aliorumque perniciem & infelicitatem abutuntur. Formale ſapientiæ ab ejus materiali diſtinguendum eſt.

§. 793. *Bonitas erga alios* eſt dubium alios perficiendi (§. 141.). Ad quam colendam legibus naturalibus, generaliter ſumtis, obligamur (§. 699.).

§. 794. Benignus erga alios vult alios perficere (§. 793.) & ex conſequenti aliorum perfectionem ſibi tanquam bonum repræſentat (§. 166.). Hinc benignus erga alios voluptatem capit ex aliorum perfectionibus (§. 142.), & ex ſtatu, in quo alii voluptate intenſiori (§. 131.) & gaudio (§. 367.) fruuntur. Qui proinde benignus eſt erga alios, voluptatem ex eorum felicitate percipit (§. 368.) Benignus ergo erga alios amore eosdem complectitur (§. 689.) Benignitas itaque officium amoris eſt (§. 736.), & extorſionis impatiens (§. 691.).

SCHOLION I. Theſis præcedens etiam ſic demonſtratur: In benigno erga alios datur ſtudium alios perficiendi (§. 793.), & conſequenter etiam amor (§. 701.).

SCHOLION II. Officia amoris coactionem non patiuntur (§. 736.), & conſequenter aliis nullam facultatem cogendi alterum ad eorum cuſtodiam, neque adeo ullum jus ea extorquendi tribuunt (§. 775.). *Siquis* itaque *alterum cogere velit ad officia amoris, ſibi præſtanda, is* ſine jure, hoc eſt, contra

tra LL. ſtricte dictas (§. 772.) agit, & ex conſequenti *alterum lædit perfecte* (§.765.) Applices hoc ad extorſionem benignitatis & auxilii injuſtam.

§. 795. Qui minus benignus eſt erga nos, is officia ſtricta erga alios non violat (§. 794. 762.), neque adeo nos lædit (§.764.) neque nobis damna infert (§. 769.). Idem violat obligationem non niſi noſtro ſenſu dictam internam & imperfectam (§. 736.).

§. 796. Benignus ea omnia obſervat, quæ ex amore erga alios derivari poſſunt (§. 794.).

§. 797. Qui ſuum cnique tribuit, *juſtus in foro externo* dicitur. Hinc *juſtitia externa* eſt virtus ſuum cuique tribuendi. Ob hanc juſtitiam externam homini *virtus* vel *honeſtas externa* tribuitur. Huc referas *officia juſtitiæ* ſeu *juſti*, ſtrictius ſumti, quæ cum officiis perfectis conveniunt (§. 734.),& cum officiis juſtitiæ internæ,quæ virtus eſt (§.798.) non confundenda ſunt. Quid ſit *injuſtus externe talis* vel *injuſtitia* ſeu *turpitudo externa* facile patet. Conf. §. 751. ubi deprehendes notam Grotianam injuſtitiæ, cum noſtra conſpirantem. Ipſis actionibus tribuitur etiam juſtitia externa, prout illæ LL. noſtris ſtricte dictis conveniunt. Nec difficilis diſquiſitio eſt, an dentur actiones indifferentes in foro externo. Dantur actiones humanæ, quæ a legibus noſtris ſtricte dictis neque præcipiuntur, neque prohibentur, ſed cujusque arbitrio relinquuntur. Ponas, quædam pacta a quibusdam legibus noſtris ſtrictis non eſſe prohibita, a noſtro arbitrio pendebit, paciſcine velimus, an ſecus. Ejusmodi ſuſceptio actus pactitii indifferens eſt in ſphæra illarum legum ſtrictarum. Sed ſi pactus fuerim cum aliquo de aliqua re licita, in arbitrio meo amplius non eſt ſitum, utrum convento ſtare velim, nec ne de quo inferius.

SCHOLION I. Opus eſt in noſtra diſciplina indicare terminos juſtitiæ & injuſtitiæ externæ, ut differentiam juris ſeu juſti & virtutis ethicæ, nec minus diſcrimen fori ſoli & poli ſollicite adnotare valeamus, vid. *Keſtneri* J. N. G. ubi affirmat

mat §.XX. c. 1. quod *juſtitia alii ſuum tribuat*, id quod alterius urget in §. 21. 22. c. cit. ubi adſtruit, *omnem juris quæſtionem* eo dilabi, ut ſuum cuique tribuatur. *Huberus* in Jur. Civ. L. I. c. VII. §. 13. *juſtitiam*, *proprie dictam* definit per eam, quæ docet plus SVO non capere, aut cupere, cujus oppoſitum vitium eſt, πλεονεξία, cupiditas habendi plus SVO. Conf. Speciminum meorum Juris Gent. Scholion §. 39. & Schol. §. 40. Quæ omnia ſatis commonſtrabunt conſenſum principiorum noſtrorum cum aſſertis virorum celebrium & hujus diſciplinæ intelligentiorum. Noſtrum tantum erit revocare materias ad hanc notionem juſti determinatam.

SCHOLION II. Notemus quod *jus* etiam ſumatur pro actione juſta. & pro re juſta ſeu pro juſto.

§. 798. Nexus bonitatis cum ſapientia *juſtitia interna* appellatur. Ad agitandam hanc juſtitiam obligamur (§. 793. 792.). Obligatio ad juſtitiam hanc internam exercendam eſt imperfecta, ſi forum externum ſpectaveris (§. 794.).

§. 799. Expendi hic poteſt *juſtitia univerſalis*, quæ cuſtodia eſt omnium legum & virtutes omnes complectitur, diſtinguenda ab *juſtitia particulari*, quæ eſt virtus ſuum cuique tribuens; quam definitionem Simonides dedit. Huc referas *Grotii juſtitiæ* diviſionem in *attributricem* & *expletricem*. Prior exigit ea, quæ voluntatis & officii interni magis ſunt, quam neceſſitatis; poſterior vero eſt virtus ſuum cuique tribuens.

§. 800. Huc referas §. XXII. Elementorum Jur. Civ. Cel. *Heineccii*. Verba ejus hæc ſunt: qui juſtitiam attributricem colit, *honeſte vivit*: qui expletricem, *neminem lædit*, & *ſuum cuique tribuit*. Conf. §. 866. Spec. Jur. Gent.

§. 801. Juſtus, in foro utroque conſideratus, neminem lædit (§. 797. 798. 742. 764.). Qui ergo alterum lædit, injuſtus in foro utroque eſt; qui alterum non lædit, injuſtus in foro externo non eſt (§. 797. 767.), is tamen talis eſſe poteſt in foro interno, (§. 798.).

§. 802. Quæcunque benignitas, adeoque & amor erga alios

Digitized by Google

alios (§. 794.) a nobis exequenda exigit, ea omnia ab juſto, interne tali, expedienda veniunt (§. 742.).

§. 803. Juſto, interne tali, leges ſtricte dictæ cur dentur, opus fere non eſſe videtur (§. 798. 754.).

§. 804. Ad juſtitiam quidem externam, minus tamen ad internam obſervandam alii cogi poſſunt (§. 797. 754. 798.).

§. 805. Reflectatur ad verba Ciceronis, quæ c. 28. L. I. de Off. deprehenduntur. *Eſt autem*, inquit *Tullius*, *quod differat, in hominum ratione habenda*, inter *juſtitiam* & *verecundiam*. Juſtitiæ *partes* ſunt, non *violare homines: Verecundia, non offendere*, in quo *maxime* perſpicitur *vis decori*.

§. 806. Status hominum ſe invicem externe non lædentium dicitur *pax* (externa). *Bellum* eſt ſtatus hominum, qui conatu efficaci ſibi invicem inferendi mala feruntur. *Grotii* definitio hæc eſt: *Bellum* eſt ſtatus per vim certantium, qua tales ſunt. Status pacis dicitur etiam *felicitas externa*.

Scholion I. Sumitur bellum vel pro actu ipſo certandi per vim, vel pro ſtatu. Sic bellum tricennale dicitur ſtatus per vim certantium, qui 30. annos duravit. Conf. *Velthemii* Introduct. ad *Hug. Grot.* p. 1. ſeqq. *Hobbius* hac in re ita ſe explicat: conſiſtit natura *belli* non in pugna, ſed in tractu aliquo temporis, quo durante voluntas armis decertandi eſt manifeſta. Tempus bello vacuum *pax* eſt.

Scholion II. Si in belli notione conſiderantur certantes, qua tales; ad illud omnia referuntur, quæ ab hominibus certantibus ſuſcipiuntur, e. gr. induciæ. Nec minus ob eandem rationem *Grotius* videtur in definitione non reflexiſſe ad juſtitiam vel injuſtitiam belli, peculiari ratione diſcutiendam.

Consectarium 1. Durante conatu certandi per vim, durat bellum. Hinc in *induciis* h. e. ceſſationibus ab actibus hoſtilibus interimiſticis, durat bellum.

Scholion III. Diſtinguendum etiam eſt bellum ab ejus fomite & præludiis, quorſum referendæ ſunt repreſſaliæ.

Consectarium 2. In quibus hominibus nullus datur ſtatus

ſtatus per vim certantium, in illis nullum datur bellum, & conſequenter iidem in pace (externa) vivunt, per Schol. I.

Consectarium 3. Bellum, pro ſtatu ſumtum, prius poteſt eſſe prælio, cum illud indicitur, cum machinæ admoventur portibus aut mœnibus.

§. 807. Pax atque adeo felicitas externa datur inter homines, ſuum cuique tribuentes (§. 806. 767.) & ex conſequenti officia neceſſitatis non violantes (§. 754. 734.). Hinc pax externa inter homines adhuc ſubſiſtere poteſt, licet illi officia humanitatis non cuſtodiant.

§. 808. Nemo eſt lædendus (§. 768.); colas ergo pacem (§. 806.).

Scholion. Inferius ſic argumentabimur: Neminem lædas (§. 768.). Læſio eſt cauſa belli juſtifica (§. 1092.); nemini ergo des cauſam belli juſtificam, neque adeo quæras bellum. Hinc quæras ſtatum a bello vacuum, hoc eſt, pacem (per Schol. I. §. 806.), eamque colas, quamdiu illa haberi poſſit.

§. 809. Jus naturale bellum aliis inferendi (*das Waffen-Recht*) eſt facultas legibus naturalibus convenienter arripiendi ſtatum, quo ferimur conatu efficaci, aliis mala inferendi (§. 777. 806.).

§. 810. LL. naturales, quibus negotia belli & pacis attemperare obligamur, dicuntur *Jus Belli & Pacis*, ſi vocabulum juris pro lege ſumatur.

§. 811. Propoſitionem, §. 754. demonſtratam, eſſe principium Juris Belli & Pacis, ex Jure læſi in lædentem, inferius tractando patebit. Hic ſuffecerit adnotaſſe, quod læſio perfecta ſit cauſa belli juſtifica (§. 1092.). Enimvero cum læſio ſit violatio τȣ ſuum cuique (§. 767.), & conſequenter propoſitionis §. 754. demonſtratæ; violatio illius propoſitionis, quæ eſt principium Juris Nat. cogentis adæquatum (§. 755.) indicat determinate cauſas belli juſtificas, & ab hiſce eas, quæ minus juſtificæ ſunt, accurate diſtinguit; id quod ex



Digitized by Google

§. 1201. 1204. 1205. ex jure pactitio & dominiorum & ex Jure Gentium patebit. Idem itaque principium commonſtrat, ad quænam in negotiis belli & pacis reſpiciendum ſit.

§. 812. Reſtat, ut pium naturale delineemus, quantum id quidem inſtitutum noſtrum permiſerit. Præmittemus itaque nonnullas propoſitiones tanquam lemmata, ex theologia naturali deſumta & quibus in formanda idea pii naturalis carere non poſſumus.

§ 813. Notum eſt ex Theologia naturali, Deum pollere intellectu infinito & voluntate perfectiſſima.

§. 814. Ex eadem diſciplina ſanctiori conſtat, Deum eſſe ſumme bonum & ſapientiſſimum, adeoque & juſtiſſimum (§. 798.).

§. 815. Porro ex iisdem doctrinis Metaphyſicis notum eſt. Summum Numen eum in finem produxiſſe hunc mundum, ut in eo adumbratæ & expreſſæ deprehendantur ejus perfectiones ſummæ.

§. 816. Adumbratio perfectionum divinarum, in mundo obvia, facit ad *illuſtrationem gloriæ divinæ.* Voluit itaque Deus, ut mundus, ab ipſo ex nihilo privativo productus, gloriam ipſius illuſtret §. 815.

§ 817. Illuſtratio gloriæ divinæ in condendo & conſervando mundo eſt finis ultimus (§. 815.), ad cujus conſecutionem fines particulares inter ſe complicati requiruntur. Sed notum eſt ex Theologia naturali, phænomena mundana eſſe fines particulares divinos. Deus ergo uſus eſt phænomenis mundanis ad nominis ſui gloriam illuſtrandam.

§. 818. Phænomenis mundi exiſtentis annumerantur conſectaria, ex actionibus hominum liberis oriunda. Summum itaque Numen uſus eſt conſectariis cum actionibus hominum liberis copulatis tanquam finibus particularibus ſeu remediis, ad gloriam ſuam illuſtrandam (§. 817.).

§. 819. Conſectaria, cum actionibus hominum liberis copulata, ex eſſentia & natura humana, aliarumque rerum oriun-

Digitized by Google

oriuntur (§. 325.). Deus itaque, qui illa conſectaria actionum prævidit, uſus eſt eſſentia & natura humana rerumque aliarum, tanquam finibus particularibus ad illuſtrandam gloriam ſuam (§. 818.).

§. 820. Ob conſectaria ejusmodi, cum actionibus hominum liberis copulata, tribuitur actionibus ipſis noſtro ſenſu bonitas vel pravitas, quam objectivam appellitant (§ 327.). Summum itaque Numen tali moralitate actionum intrinſeca, tanquam fine particulari, uſus eſt ad illuſtrandam gloriam ſuam (§. 318.).

§. 821. Fines particulares connexi ſunt cum fine ultimo ſeu totali; moralitas ergo actionum intrinſeca cum illuſtratione gloriæ divinæ copulata eſt (§. 820.).

§. 822. Leges, ex moralitate actionum liberarum intrinſeca derivari ſolitæ, cum illuſtratione gloriæ divinæ copulatæ ſunt (§. 821.). Sed eædem leges ſunt naturales (§. 352. 699. 754.), leges ergo naturales cum illuſtratione gloriæ divinæ connexæ ſunt.

§. 823. Cuſtodia legum naturalium cum illuſtratione gloriæ divinæ copulata eſt. Violatio legum naturalium illuſtrationi gloriæ divinæ repugnat (§. 822.).

§. 824. Agnoſcant mecum lectores, ſi velint, ſanctitatem legum naturalium (§. 822.).

§. 825. Vult Deus, ut illuſtrent homines gloriam ipſius; (§. 816.) velit ergo idem Numen ſanctiſſimum neceſſe eſt, ut leges naturales religioſe cuſtodiamus (§. 823.).

§. 826. Perſpicuum itaque eſt, totius juris Naturæ cuſtodiam ex voluntate divina, derivari poſſe, ſi ratio cum contemplatione naturæ aliarumque rerum, in mundo obviarum, copulaverit cultum theologiæ naturalis.

§. 827. Hinc adimpletio omnium officiorum & jurium naturalium uſus ex voluntate divina derivari poſſunt. Vnde ejusmodi *jura* etiam *divina* appellari merentur.

§. 828. Cuſtodia juris naturalis eſt remedium felicitatis



Digitized by Google

citatis noſtræ aliorumque hominum conſequendæ (§. 369, 699. 754. 511.). Amplificatio itaque felicitatis noſtræ aliorumque copulata eſt cum illuſtratione gloriæ divinæ (§. 823.) & conſequenter voluntati divinæ conſentanea eſt (§. 816.).

§. 829. Ex §. præcedenti patet, conſervationem felicitatis ſeu pacis externæ voluntati divinæ conformem eſſe (§. 806.). Hinc jus belli eſt jus divinum (§. 810.), quo præcipue utuntur principes in rebus publicis ſibi commiſſis contra populos alios aggreſſores defendendis.

§. 830. Ex Metaphyſicis patet, Deum velle & ſuas & mundi & hominum perfectiones. Ergo & vult remedia, quibus perfectiones generis humani promoveri poſſunt. (§. 512. 513.). Jam cum cuſtodia LL. naturalium, tanquam remedium (§. 511.), perfectiones noſtras conſervet & amplificet (§. 352. 699. 754.); nova ratione concipimus, velle Deum, ut Leges naturales cuſtodiamus.

§. 831. Vult Deus noſtras perfectiones (§. 830.) & ex conſequenti noſtram felicitatem externam non minus quam internam (§. 368. 131. 367.). Vnde patet, quod nolit, ut pereamus vel miſere & calamitoſe vivamus. Jam cum pereundem nobis ſit vel miſere vivendum, h. e. cum genus humanum perpetuum funus futurum ſit, niſi dentur LL. ad quarum cuſtodiam alter cogi poſſit (§. 733.), h. e. niſi LL. ſtrictæ & jura conciperentur (§. 752.); nova ratione patet, jus belli eſſe jus divinum (§. 810.).

§. 832. Cultus juris naturalis cum ſummæ voluptatis ſenſu conjunctus eſt (§. 369.). Jam cum illuſtratio gloriæ divinæ copulata ſit cum cum cuſtodia legum naturalium (§. 823.), amplificatio gloriæ divinæ cum inſigni voluptate copnlata eſſe debet. Vnde patet, quod officia erga Deum non debeant reputari pro onere.

§. 833. Voluptas motivis annumeratur (§. 172.). Et quo major voluptas, eo fortius eſt motivum, quo mens ad agendum

Digitized by Google

dum determinari poſſit. Et cum illuſtratio gloriæ divinæ copulata ſit cum voluptate ſumma (§. 832.); cum eadem nominis divini illuſtratione motivum fortiſſimum copulatum eſt. Datur itaque obligatio fortiſſima ad illuſtrandam Dei gloriam (§. 300.).

§. 834. Ponas hominem de perfectionibus divinis ex theologia naturali eſſe convictum, ejusmodi convictio eum ſumma perfundet voluptate (§. 131.), cujus majora concipimus incrementa, cognitioni huic perfectionum divinarum ſi acceſſerit ſtudium easdem actionibus ſuis adumbrandi h. e. illuſtratio gloriæ ſummi Numinis (§. 816.). Nova itaque ratione concipimus motiva (§. 172.) adeoque & obligationem naturalem (§. 300.) ad gloriam ſummi Numinis illuſtrandam.

§. 835. Qui illuſtrat gloriam divinam actionibus ſuis, is vivit convenienter perfectionibus divinis (§. 816.). Jam cum obligati ſimus ad amplificandam gloriam divinam (§. 832. 834.), perfectionibus divinis, h. e. naturæ divinæ (§. 269.) convenienter nobis vivendum eſt, h. e. dirigendæ ſunt actiones noſtræ in perfectionum divinarum amplificationem.

SCHOLION I. Qui illuſtrat gloriam divinam, ille actionibus ſuis manifeſtat aliis, ſe habere Deum pro tali ente perfecto, quale is eſt (§. 816.), & conſequenter ille majori niſu ſe perfectiorem efficit. Vnde patet, illuſtrationem gloriæ divinæ complecti actiones, quibus magis perficimur, & quæ ex conſequenti per ſe bonæ ſunt (§. 327.), & a Jure Naturali, latius ſumto, inculcantur, per Schol. §. 352.

SCHOLION II. Ex illuſtratione gloriæ divinæ omnia officia naturalia erga Deum derivari poſſunt. Enimvero cum illuſtratio gloriæ divinæ complectatur actiones liberas quibus magis perficimur, *per Schol. præced.*; principium Juris Nat. generaliſſime ſumti (§. 351.), ad illuſtrationem gloriæ

divinæ & conſequenter ad officia erga Deum naturalia ſeſe extendit.

Schol. III. Cum itaque idem principium ad officia erga Deum naturalia ſe extendat, & ex §. 699. ſeqq pateat, illud etiam ad officia erga alios noſtræ ſortis porrigi; eo magis convincimur, idem principium eſſe adæquatum. Conf. §. 353. ejusque Schol.

Schol. IV. Cum idem principium ex natura humana fluat (Schol. §. 352.); hæc ad illuſtrandam gloriam divinam & conſequenter ad adimpletionem officiorum erga Deum naturalium nos ſtimulat, per Schol. II.

§. 836. Cultus Dei dicitur *religio*. *Cultus alicujus entis* oritur ex judicio de illius perfectionibus lato. Religio itaque judicium de perfectionibus divinis conceptum præſtruit. Jam cum judicia mentis extorſionem neſciant, religio ipſa vel hanc ob cauſam coactionis impatiens eſt.

§. 837. Judicia ſunt vel vera vel falſa. Hinc cultus (§. 836.), & ex conſequenti religio (§. cit.) vel vera vel falſa eſſe poteſt.

§. 838. Virtus attemperandi actiones ſuas illuſtrationi gloriæ divinæ dicitur *pietas*.

§. 839. *Pium naturale* abſolvitur cognitione viva axiomatum divinorum, rationi perviorum (§. 508. 838. 816.). A pietate vera removenda ſunt ſuperſtitio, ἀνθρωπομορφισμὸς aliaque ejusmodi monſtra, rationi adverſiſſima.

§. 840. Pium naturale theologiam & religionem naturalem præſtruit (§. 839.).

§. 841. In actionibus pii hominis perfectiones divinæ adumbratæ deprehenduntur (§. 838. 816.).

§. 842. Cultus pietatis naturalis cum ſingulari voluptatis ſenſu copulatus eſt, (§. 838. 834. 832.).

§. 843. Obligatio naturalis ad colendam pietatem naturalem patet ex §. 833.

§. 844.

Digitized by Google

§ 844. Notemus, quod ex theologia naturali oriatur nova obligatio cuſtodiæ juris naturæ (§. 826. 302. littera g.).

§. 845. Cultus moralitatis actionum intrinſecæ illuſtrationi gloriæ divinæ (§. 821.), atque adeo pietati (§. 838.) conveniens eſt.

§. 846. Pius obſervat moralitatem actionum intrinſecam, legesque naturales inde deſcendentes (§. 845.) & ſuam aliorumque felicitatem amplificat (§. 695. 701.).

§. 847. Ad colendam internam pietatem nemo (externa coactione) cogi poteſt (§. 840. 836.).

§. 848. Qui peccat contra pium naturale, in *foro poli peccaſſe* dicitur. *Forum* hoc *internum* dicitur & foro externo contradiſtinguitur (§. 738.).

§. 849. Jus belli non eſt contra pium naturale (§. 827. 838.).

§. 850. Pietas cum cuſtodia juris naturalis, in omni extenſione ſumti, copulata eſt (§ 846.). Qui proinde violat easdem leges naturales, & pium naturale violat. Multo magis pietas & veræ religionis cultus cum cuſtodia juris Naturalis externi, quæ ad conſervandam pacem externam contendit (§. 808.), & conſequenter ſocialis eſt. Conf. §. 40 285. 1036. Spec. Jur. Gent.

§. 851. Virtus naturalis latius ſumta eſt habitus attemperandi actiones legibus naturalibus (§. 371.) & ex conſequenti nos aliosque perficiendi (§. 699.), nec minus illuſtrandi gloriam divinam (§. 823.) & vivendi conformiter voluntati (§. 825.) aliisque perfectionibus divinis (§. 835.).

§. 852. Virtus naturalis eſt habitus rationi convenienter agendi (§ 371. 462.). Jam vero ratio dictitat ſtudium ſe aliosque perficiendi (§. 699.), nec minus illuſtrandi gloriam divinam (§. 816.), & vivendi conformiter voluntati aliisque perfectionibus divinis (§. 825. 816.). Vnde nova vice patet propoſitio præcedentis §phi.

§. 853. Virtus eſt habitus vivendi convenienter perfectionibus rerum (§. 852.).



Digitized by Google

§. 854. Animadverſio perfectionis in aliqua re efficit, ut illi tribuamus *pulchritudinem* ſeu *decus*. Cum perfectiones ſint vel veræ vel apparentes (§. 125.); *pulchritudo* eſt vel *vera* vel *imaginaria*.

§. 855. Si alii animadvertant perfectiones in noſtris actionibus liberis, oritur *pulchrum* ſeu *decus actionum humanarum* (§. 854.).

§. 856. Niſi alii animadvertant perfectiones tuarum actionum. ipſis non tribuent decus (§. 855.). Vnde novum motivum oritur, quo ſtimulari poſſimus ad alios perficiendos,ut perfectiones actionum noſtrarum introſpicere atque inde ad nos amandos, felicitatemque noſtram promovendam commoveantur (§.689.).

§ 857. Cuſtodia legum naturalium, in omni extenſione ſumtarum, efficit actiones noſtras perfectas, (§. 352.). Si proinde alii animadvertant in nobis cuſtodiam LL. naturalium, in omni extenſione ſumtarum, tribuitur actionibus decus ſeu *decorum* (§. 855.).

§. 858. Habitus legibus naturalibus convenienter vivendi dicitur virtus philoſophica (§. 371.). Hinc ſi alii in aliis virtutem ejusmodi animadvertant, eorum actionibus tribuitur decorum (§. 857.).

§ 859. Virtus eſt habitus dictamini rationis convenienter vivendi (§. 371. 462.). Si itaque in aliorum actionibus obſervaverimus convenientiam actionum cum dictamine rationis, eis tribuitur decus (§. 857.).

§. 860. Qui ſatisfacit virtuti naturali, in omni extenſione ſumtæ, menſuram officiorum naturalium erga Deum, erga ſe, erga alios, eorumque amoris non minus quam ſtrictæ legis adimplet (§ 851. 736. 734.). Ergo τὸ decet ad omnia officia naturalia ſe extendit (§. 858.).

§. 861. Quæ legibus ſtricte dictis non repugnant, ea *licita in foro externo* dicuntur.

Scholion, Quod licitum eſt, *jus* dicimus. Sunt verba

ba *Henr. Coccei*: Vnde patet, quod & hoc ſit meum ſeu ſuum, quod licet (§. 786.). vid. *Hedingeri* Philoſ. Juris p. 5.

Coroll. Qui nos turbat in eo, quod licitum eſt, is nos lædit perfecte (§. 767. & per Schol. præced.).

§. 862. Licitum eſt, quod vetitum non eſt a Legibus quippe ſtricte dictis (§. 861.).

§. 863. Quæcunque actiones a legibus ſtricte dictis nec prohibentur, nec præcipiuntur etiam *actiones indifferentes* appellantur in *foro externo*. Nec minus patet, actiones indifferentes in eodem foro nec pro bonis nec pro malis haberi (§. 412.).

§. 864. Quæ actiones indifferentes ſunt in foro externo, in foro interno tales non ſunt (§. 863. 738.).

§. 865. Actus indifferentes in foro externo ſunt liciti in eadem ſphæra (§. 863. 861.).

§. 866. Quæ legibus naturalibus ſtricte dictis non repugnant, ea *licere* in *foro externo naturali* dicuntur (§. 861.). Inferius patebit, quænam in foro civili licita ſint.

§. 867. In foro externo naturali ob violationem officiorum amoris non datur controverſia (§. 738. 736.). Hinc neglectus officiorum amoris legibus noſtris naturalibus ſtrictis non ſtatim repugnat (§. 753.). Ergo perferre debemus in foro externo neglectum officiorum amoris (§. 866.). Jam cum id, quod officiis amoris convenit, deceat (§. 860.), in foro externo licent multa, quæ non decent in foro interno. Hinc non omne, quod licet) in foro externo, decet (in foro interno.).

§. 868. Licitum hac ratione aliquid poteſt eſſe in foro externo, quod illicitum eſt in foro interno (§. 867.).

§. 869. Perferre debemus in foro externo, ſi quis violat juſtitiam internam (§. 867. 798.), cujus tamen cultus ad actionum decus reſpicit (§. 860.).

Scholion. Jus N. externum non approbat neglectum juſtitiæ internæ (§. 501.), ſed tantum inculcat, ob illum ne-

 glectum

Digitized by Google

glectum alteri movendam non eſſe controverſiam, idque ad evitandum malum majus, quod orietur, ſi alios ad expletionem juſtitiæ internæ & conſequenter ad officia humanitatis (§. 798.), cogere velimus (§. 735.).

§. 870. Qui non niſi legibus ſtrictis ſatisfacit, officiis amoris poſthabitis, is non ex virtutis internæ ſtudio, ſed ex ſolo metu incommodorum peccare odit (§. 851. 734. 314.). Hinc ejusmodi homines in foro externo quidem pro bonis, ſaltem pro non malis habentur (§. 412.), in foro vero interno mali exiſtimandi (§. 412. 738.).

871. Fieri poteſt, ut aliquis ſit juſtiſſimus in foro externo, qui tamen ſit injuſtiſſimus, ſi forum internum ſpectaveris. Ponas te ditiſſimum ſumere a pauperculo uſuras, a republica permiſſas, juſtus es externe & civiliter, cum tamen in foro conſcientiæ ſis injuſtiſſimus. Sic victor juſtus poteſt eſſe in foro externo, licet victo conditiones æquo duriores præſcripſerit, quo facto injuſtus eſt in foro interno.

§. 872. Qui non niſi ex metu legibus ſtrictis convenienter vivit, is ceſſante metu illas pedibus conculcabit. Ceſſante motivo, ceſſat obligatio (§. 302. f.).

SCHOLION. Si homines leges ſtricte ſic dictas ſeu officia juſti erga alios religioſe cuſtodiant, licet illi hiſce potentiores ſint; ei non ex metu, ſed ex principio ſublimiori agere ſolent.

§. 873. Hinc ſi nobis res ſit cum hominibus, philanthropia vacuis, non aliter quam metu, hoc eſt, repreſentatione malorum in officio ſtricto eos continebimus.

§. 874. Si reſpiciamus ad ea, quæ hactenus à nobis pertractata ſunt, principia officiorum diverſorum naturalium determinare, eaque ad principium generale reducere poſſumus. Sed annotemus hic diverſos ſignificatus juris naturalis, §. 351, ſubindicatos. Conf. §. 2. Part. III. Hiſtor. Litter. *Cel.* STOLLII.

§. 875.

Digitized by Google

§. 875. Vive convenienter perfectionibus divinis, ſeu, illuſtres gloriam ſummi Numinis, conſtituit *principium* PII NATVRALIS (§. 835. 841.).

SCHOLION. Amplificatio felicitatis noſtræ indivulſo nexu copulata eſt cum illuſtratione gloriæ divinæ (§. 828.). Enim vero cum omnia officia erga nos ſunt indiviſim connexa cum amplificatione felicitatis noſtræ (§. 622. 695.), & officia erga Deum itidem cum illuſtratione gloriæ divinæ vinculo indiſſolubili copulata ſint, per principium pii naturalis; officia erga nos cum officiis erga Deum nexu indivulſo conjuncta ſunt, & conſequenter ſibi invicem contradicere nunquam poſſunt. Vbi nulla concipitur contradictio ſ, colliſio officiorum, ibi non opus eſt, ut quæratur de exceptione ab officio (§. 611.). Si Deus velit, ut ad conſequendum finem aliquem divinum vitam noſtram devoveamus, ejusmodi vitæ jactura felicitatem noſtram non deſtrueret.

§. 876. Vive convenienter perfectionibus tuis aſſumi poteſt pro *principio honeſti, paulo ſtrictius ſumti.*

§. 877. Huic principio conveniens eſt amplificatio felicitatis tuæ (§. 695.), a qua non abludit rationalis naturæ noſtræ congruentia, quæ *Lucæ Opalenii* principium eſt. Huc referas conſervationem noſtri, amorem noſtri ſeu philavtiam, ſenſu bono acceptam, quam nonnulli juris naturæ doctores fundamenti loco poſuerunt. Conf. §. 697.

§. 878. *Principium juris naturalis ſtrictius ſumti* (§. 351.) abſolvitur hac propoſitione: vive convenienter perfectionibus aliorum hominum (§. 699.), unde omnia officia erga alios derivari poſſunt.

§. 879. *Principium officiorum amoris* ſeu *decori*, ſtrictius ſumti huc redit: Ames alios ſeu aliorum felicitatem amplifices æque ac tuam (§. 701. 709. ſeqq.). Huc referas *Thomaſii* propoſitionem: quod tibi vis fieri, alteri feceris (§. 716.). Nec minus huc quadrat benevolentia *Cumberlandi.*

§. 880. *Principium juſti, ſtrictiſſime ſumti,* & in dijudicandis

Digitized by Google

candis controverſiis hominum adhiberi ſolitum, hoc eſt: ſuum cuique tribuas (§.750.), idque juxta definitionem τῦ ſuum, §. 747. ſatis determinatam. Eundem finem habet *Gundlingii* cultus pacis externæ (§. 808.), quorſum tendit Illuſtris *Bœhmeri* principium in Introductione in Jus Publ. Vniverſale §. 37. explicatum, & quod hujus tenoris eſt: Quilibet ex voluntate Dei in ſocietate humana alteri obligatur ad ea facienda, quæ tranquillitatem & pacem inter homines NECESSARIO conſervat, & ad contraria vitanda.

§. 881. Si tandem a determinationibus ſpecialibus, quæ in principiis §. 875. 876. 878. commemoratis occurrunt, abſtraxeris, prodibit *principium totius philoſophiæ practicæ ſeu juris naturalis, generaliſſime ſumti*, & quod hujus tenoris eſt: Vive convenienter perfectionibus rerum. Quæ facili negotio commutari poteſt in hanc poſitionem. Vive convenienter naturæ rerum. De quibus tamen omnibus in ipſis prælectionibus noſtris explicatius & fuſius acturi ſumus.

EXER-

Digitized by Google

# EXERCITATIO V.
## DE
# IVRE LAESI IN LAEDENTEM CONNATO IN STATV NATVRALI.

§. 882.

HOmo capax eſt plurium limitationum, quæ, ſi ratione exiſtentiæ determinentur, ejus *ſtatum* efficiunt. Limitationes vel in ejus anima, vel in corpore, vel in rebus, extra eum poſitis, & ipſum afficientibus deprehenduntur. Totupliciter itaque etiam ſtatus hominis conſiderari poteſt.

§. 883. Dantur limitationes & mutationes ex actionibus hominum liberis oriundæ, & in eorum perfectionem vel imperfectionem tendentes. Vnde *ſtatus* eorum *moralis* progignitur, quem indicavi §. 196.

§. 884. Homines in mundo morali poſſunt conſiderari 1) tanquam individua extra ſocietatem quamcunque, 2) in ſocietatibus ſimplicibus, 3) in ſocietate compoſita, qualis familia eſt, 4) in ſocietate maxime compoſita, quæ reſpublica eſt.

§. 885. In quolibet caſuum præviorum homo nanciſcitur certas limitationes actuales & ex conſequenti certos ſtatus. (§. 882.).

§. 886. *Limitationes hominis* ſunt vel *interna*, quæ ſe referunt ad animam ipſius, vel *externa*, quæ ſpectant ad corpus & res externas in macrocoſmo, cujus ille pars eſt, obvias. Hinc *ſtatus hominis* eſt vel *externus* vel *internus* (§. 882.).

§. 887. Limitationes hominis, ex ſola animalitate ejus oriundæ, conſtituunt *ſtatum*, quem appellant *animalem*, contradiſtinguendum *ſtatui hominis naturali*, quem producunt

cunt illius limitationes, ex natura rationali concipiendæ. Prima naturæ homini cum brutis communia (§. 281.) *naturam annualem*, & prima naturæ homini propria (§. 282.) *naturam ejus rationalem* conſtituunt, quæ natura utraque *naturam humanam* efficiunt.

§ 888. Limitationes, quibus circumſcriptus eſt homo individuus in ſyſtemate mundano, vel a ſola natura ſeu nativitate, vel ex ejus facto accedente dependent. Priores limites *ſtatum* hominis individui *mere naturalem* ſeu *connatum*, poſteriores vero *adſcititium* illius *ſtatum* efficiunt. Inferius patebit, qua ratione homines pactione vel alio facto ſuo, pucto æquiparari ſolito vel pacto æquivalente novos ſtatus induere poſſint. Noſtra jam intereſt indolem ſtatus mere naturalis proprius conſiderare, qua diſquiſitione in ſecuturis doctrinis expendendis carere non poſſumus.

§. 889. Ex mente *Puffendorffii.*

Status eſt
- *Naturalis*, qui opponitur vel beſtiali, vel ſociali, vel civili,
- *Adventitius*;

quam ſtatus diviſionem clariorem reddidit *Chriſt. Thomaſius* c. 2. L. 1. Inſtit. Jurispr. Div., idque hac ratione:

Status vel
- Naturalis. Hic vel
  - naturalis vel
  - ſocialis. Hic
    - natnralis vel
    - civilis. Hic
      - naturalis vel
      - adventius
- Belluinus.

*Status naturalis, quatenus civili opponitur*, dividi poteſt in *abſolutum* & *hypotheticum.* Prior mere naturalis eſt & omnibus hominibus communis, poſterior certam conditionem adventitiam & pactionem præponit. Hinc & *officia* & *jura*

*jura* in *abſoluta* & *hypothetica* dividuntur. Nos in hac exercitatione officia & jura prioris generis conſiderabimus.

§. 890. Homines in ſtatu naturali conſiderantur, prout illi a natura provenerunt (§. 888.), h. e. qua animalia, quæ anima rationali prædita ſunt, h. e. qua homines Homo eſt idea generalis, quæ præponit ſimilitudinem (§. 56.). Homines proinde in ſtatu naturali viventes, tanquam congeneres, juxta ſimilitudinem ipſorum conſiderantur. Si ſpectemus ſimilitudinem rerum, ad earum quantum non reſpicimus (§. 52. 426.). In hominibus ergo, in ſtatu naturali viventibus, eorum quantum non attenditur.

SCHOLION. Notum eſt, quod, ſi res tantum in genere, ſeu ſecundum quoddam genus, conſiderentur, abſtrahamus a ſpeciebus, ad quas illæ referuntur & ab earum individuatione, & conſequenter ab omnibus differentiis ſpecificis & numericis. Hoc caſu non niſi ad eſſentialia & attributa, generi, qua tali, tribuenda, reflectimus, & ad modos, ad eaque, quæ rebus extrinſece accidunt, non attendimus. Sic ſi reſpublicas in genere tantum conſideremus, nec ad formas earum monarchicas, democraticas, aliasque ſimiles, nec ad earum modos reſpicimus. Nil niſi eſſentialia & attributa reipublicæ, qua talis, hoc caſu expendimus, abſtrahentes ab ejusdem determinationibus ſpecificis & ſingularibus.

§. 891. Quantum eſt vel extenſum vel intenſum (§. 424. 426.), quod poſterius etiam *quantum virtutis* ſeu *virium* ſeu *graduum* appellatur. In homine *quantum ad ejus vel corpus vel mentem vel ſtatum externum refertur.* Bona & corporis & animæ & ſtatus externi quantum admittunt. Nullum ex hiſce quantorum & magnitudinis generibus in ſtatu naturali ad computationem revocatur (§. 890.).

§. 892. Identitas quantitatis duarum rerum *æqualitas*, diverſitas illius dicitur *inæqualitas.*

§. 893. Status hominum naturalis non eſt ſtatus inæqualitatis (§. 890. 891. 892.).

§. 894. In hominibus, in ſtatu naturali viventibus, eorum

Digitized by Google

rum quantum non attenditur (§. 890.). Licet proinde in illis, ſub hac hypotheſi conſideratis, deprehendatur majus vel minus; utrumlibet tamen æque conſideratur, ac ſi non adeſſet. Ergo idem quantum in hominibus, in eodem ſtatu viventibus, ponitur (§. 50.). Finguntur itaque homines in ſtatu naturali viventes, eſſe ejusdem quantitatis. Status proinde naturalis fingitur eſſe ſtatus æqualitatis (§. 892.). Diſtinguamus itaque *æqualitatem* & *inæqualitatem* in *internam* & *externam*, quæ poſterior ſola in foro externo conſideratur.

Hic deprehenditur idem ratiocinium, quo utemur inferius de rebus deperditis, quæ finguntur eſſe nullius.

§. 895. Eadem æqualitas omnimoda eſt, cum a quocunque quantitatis genere in ſtatu naturali præſcindere fas ſit. (§. 891.).

§. 896. *Imperium* eſt jus aliis præſcribendi facienda. Conjunctum eſt illud cnm coactione externa, quæ contranitenti (refractario) expectanda eſt (§. 775.). Ejusmodi præſcriptum imperantis dicitur *mandatum* ſeu *juſſum* ſeu *præſcriptum*, quod eſt ſpecies *legis ſtricte dicta* (§. 751.).

§. 897. Qui imperium in alterum habet, dicitur ejus *ſuperior*. Qui obligatus eſt imperio alterius actiones ſuas attemperare, *ei ſubjectus is eſſe exiſtimatur*. Subjectionis ſpecies eſt *ſervitus*, quæ eſt ſtatus, quo quis alterius imperio actiones ſuas omnimode tenetur attemperare. Hinc & ſervitus ſubjectio omnimoda audit.

§. 898. Status imperii eſt ſtatus inæqualitatis (§. 897., 892.). Status ergo hominum naturalis non eſt ſtatus imperii (§. 893.), id quod etiam ex §. 894. patet.

COROLLARIUM. Hinc ſi homines ſubjiciantur imperio alterius, eorum ſtatus naturalis vel in totum, vel in tantum tollitur.

§. 899. Theſin præcedentem etiam hac ratione demonſtramus:

Si ponas in ſtatu hominum individuorum naturali alicujus

cujus hominis imperium in aliorum, poteſtati ejus ſubjiciendorum, perniciem & infelicitatem tendere, in curſu felicitatis illi turbarentur. Jam cum felicitas noſtra ad id, quod noſtrum eſt, ſpectet (§.747.), ejusmodi affectatione imperii violaretur id, quod noſtrum eſt, atque adeo læderemur (§. 767.). Hoc itaque caſu imperium locum habere non poteſt (§. 768.). Si quis ex hominibus in eodem ſtatu imperium in alios affectaret ex obtentu vel etiam ex vero ſtudio promovendi eorum felicitatem, actus ejusmodi imperii eſſet actus ex amore profectus (§. 689.) & beneficium (§.744.). Quod cum nemini obtrudi poſſit (§.745.), vel in hoc caſu imperium locum invenire non poteſt. *In ſtatu* ergo *naturali alter in alterum imperium affectare non poteſt.* Hinc in eodem ſtatu nullus datur homo ſuperior §. 897.). Status ergo naturalis eſt ſtatus paritatis ſeu æqualitatis, ſi imperium ſpectaveris, ſeu, ut *Gundlingii* ſtylo utar, homines, in ſtatu naturali viventes, commune imperium habent.

§. 900. Datur *quantum ordinis, dignitatis* & *eminentiæ* citra imperium. Neque hoc conſiderari meretur in hominibus, in ſtatu naturali degentibus (§.891.), qui adeo & æquales ſunt ratione dignitatis & ordinis (§.892.) & quorum adeo nullus jure προεδρίας ſeu prærogativo gaudere exiſtimatur.

§. 901. Vnde facile patet, cur non deſcendere poſſimus in eorum ſententiam, quibus placuit aliis præ aliis, in ſtatu naturali viventibus, tribuere jus præcedentiæ non minus quam acquirendi imperii, vel ob eorum majorem fortunarum copiam, vel ob inſigniorem artis, virtutis, eruditionis, potentiæ gradum, vel ob ſexum, vel ob ingenium ſolertius & ſagacius, vel ob religionem puriorem, vel ob remotiorem gentis antiquitatem, majoremve ejus celebritatem; vel ob civitatis formam excellentiorem, quæ omnia in hoc ſtatu in cenſum non deducuntur (§. 891.). Conf. *Gundlingii* J. Nat. §. 8. 26. 27. 28. 29. ſeqq. cap. 5.

§. 902. Ex ſola itaque natura neque imperii, neque, quam vocant, præcedentiæ jura cum repeti non poſſint, nihil

reſtat, niſi factum alterius obligatorium, cauſas imperii vel τῆς προεδρίας juſtificas continens, & ad alterius vel læſionem vel pactionem rediens, de quo tamen inferius.

§. 903. Nec minus ex doctrina de conventionibus patebit, pactum eſſe promiſſum acceptatum ab altero. Vnde facile eſt ad judicandum, poſſeſſionem ſolam, uni laterali facto acquiſitam, alteri nihil juris prærogativi dare. Conf. *Gundlingii* J. N G. c. V. §. XXXI.

§. 904. In ſtatu naturali homines eadem (§. 50.) ſeu æqualia jura connata, & easdem ſeu æquales obligationes connatas habent (§. 895.) Id quod etiam de modis acquirendi jura & obligationes valebit, de quo ſuo loco.

§. 905. Quo jure quis velit uti contra me in ſtatu naturali, eodem & ego uti poſſum contra illum (§. 904.). Ponas te velle frui jure me lædendi, violandi id, quod meum eſt, me interficiendi, vulnerandi, me infamem reddendi, turbandi me in exercitio religionis, me ad religionem, quam tu profiteris, cogendi; ponas, ut breviter me expediam, te velle uti jure turbandi me in curſu felicitatis meæ, habebo & ego jus tibi faciendi eadem. Sic munimenta ſecuritatis & felicitatis ſuæ quilibet ipſe deſtrueret, ſic viveremus in bello omnium contra omnes continuo, & ſic genus humanum abiret in funus perpetuum. Si itaque nolis vivere in ejusmodi ſtatu turbulentiſſimo, & nolle debebis uti jure lædendi & violandi alios. Suffecerit tetigiſſe aliud genus demonſtrandi palmaria juris naturæ capita.

§. 906. Æqualitas & paritas externa ratione imperii non minus quam τῆς προεδρίας ex ſtatu, in quo homines, qua tales, a natura & ab ejus autore (§. 298. 299.) collocantur, deſcendit (§ 898. 899. 894. 900. 890.), & ex conſequenti ad id, quod noſtrum connatum dicitur, pertinet (§. 749.).

§. 907. Qui in ſtatu naturali ejusmodi æqualitatem & paritatem aliorum externam violat, τὸ ſuum cuique violat (§. 906.), & ex conſequenti alios in eodem ſtatu lædit (§. 767.).

§. 908.

Digitized by Google

§.908. In eodem ſtatu nullus datur homo ſuperior (§. 898. 897.), nec ullus alteri ſubjectus (§. cit.). Neque adeo ſervitutem a ſola nativitate pendentem concipimus (§. cit.).

§. 909. Independentia actionum noſtrarum ab alterius imperio dicitur *Libertas*. *Dependens ab altero aliquid* dicitur, cujus rationes ab altero petendæ ſunt. Quid ſit *independens ab altero*, facile intelligitur. Quid ſit *dependentia* vel *independentia actionum noſtrarum ab alterius imperio*, non minus patet ex §. 896.

§. 910. Independentia actionum alicujus ab alterius imperio dicitur etiam *libertas externa, reſpectu imperii.*

§. 911. Quatenus actionum noſtrarum rationes ex imperio & arbitrio (§ 896.) alterius repetendæ non ſunt, eatenus ejusmodi libertate gaudemus (§. 909. 910.). Hæc propoſitio in doctrina de imperio civili applicabitur ad cives, quorum actiones dantur, quæ ab imperio civili non dependent.

§. 912. *Libertas naturalis* eſt independentia actionum noſtrarum ab imperio humano.

§. 913. Dependentia actionum noſtrarum ab alterius imperio *Subjectio* audit. Hinc pro diverſitate imperiorum diverſæ ſunt ſubjectiones.

§. 914. Independentia vel dependentia actionum habent ſuos gradus (§. 909. 424.). Subjectio itaque & libertas gradibus ſuis gaudent (§. 910. 913.). Quo major ergo vel minor eſt gradus independentiæ actionum alicujus ab imperio humano, eo major vel minor eſt gradus ejus libertatis naturalis.

§. 915. Status naturalis eſt ſtatus æqualitatis omnimodæ ratione imperii (§. 899.). Homines ergo in eodem ſtatu viventes gaudent independentia ſumma actionum ab imperio humano (§. 909.).

§. 916. Status hominum ſingularium mere naturalis eſt ſtatus libertatis §. 908. 912.), ejusdemque ſummæ (§ 915.).

§. 917. In ſtatu mere naturali hominum ſingularium

 nullum

Digitized by Google

nullum datur imperium humanum (§.908.). In ejusmodi itaque ſtatu actiones independentes ſunt ab alterius hominis imperio, earumque adeo rationes ex nullius hominis arbitrio ſunt derivandæ (§. 896.). Hinc in ejusmodi ſtatu mere naturali actionum rationes non niſi ex noſtro arbitrio repetendæ ſunt. Quilibet proinde in hoc ſtatu eſt arbiter actionum ſuarum, neque adeo ulli tenetur reddere rationes actionum ſuarum, niſi Deo & conſcientiæ.(§. 848. 738.).

§. 918. In eodem ſtatu nullus datur judex homo, neque adeo ullum judicium admittendum, ubi alter ab altero expectare teneatur ſententiam rei controverſæ deciſoriam. (§. 917.).

§. 919. In ſtatu naturali nullus datur homo ſuperior (§. 908.). Nullus itaque in eodem ſtatu tanquam ſuperior alteri poteſt repræſentare malum, connexum cum illius actionibus fugiendis vel expediendis. Quod malum ſi dicatur *pœna, ſtrictius dicta*, in eodem ſtatu nemo alterum punire poteſt.

§. 920. *Status licentiæ* eſt ille, quo quis leges naturales ſtricte dictas violare poteſt ad lubitum, ſeu, ubi quis vult vivere a LL. vel ſtricte dictis, ſolutus.

§. 921. In ſtatu naturali, de quo nobis ſermo eſt, individuali, quilibet tenetur in foro externo ſuum cuique tribuere(§.750.), neque ita ad lubitum violare poteſt leges naturales ſtricte dictas (§.754.). Status itaque naturalis individualis non eſt ſtatus licentiæ (§.920.). Conf. §. 17. 18. c. 3. Jur. Nat. *Gundlingii*. Neque homines in ejusmodi ſtatu viventes ſoluti eſſe poſſunt a legibus reliquis, rationi perviis, neque adeo a cuſtodia officiorum amoris, ſi forum internum ſpectaveris (§. 738.). Huc referendum eſt illud: *Non omne, quod libet, licet* (§. 866.).

§. 922. *Perdurat aliquid*, quod exiſtentiam ſuam ab uno momento ad momenta nova continuat, ſeu, cujus exiſtentia ab uno momento ad momenta temporis nova porrigitur.



Digitized by Google

§. 923. Quicquid perdurat, in illo detur perdurabile neceſſe eſt.

§. 924. Si qua res nanciſci debeat limitationes, ejus exiſtentia ab uno momento ad nova momenta protendenda eſt, donec ea limitationes nacta fuerit. *Exiſtentia itaque limitationem alicujus rei a coexiſtentia ipſius rei ſeparari neſcit.* Si e. gr. poculum conficiatur ex argento, hoc nanciſcitur certas limitationes, quarum exiſtentia ab exiſtentia metalli ſeparari non poteſt.

§. 925. Exiſtentia continuanda limitationum alicujus rei a coexiſtentia continuata illius dependet (§. 924.).

§. 926. Res limitanda requirit, ut res ipſa perduret (§. 924.).

§. 927. Perduratio limitationum rei proponit perdurationem rei ipſius (§. 925. 922.).

§. 928. A perduratione limitationum rei ad perdurationem rei ſimultaneam ſecure concludimus (§. 927.).

§. 929. Limitationes præponunt rem limitatam vel limitandam. Hinc qui vult concipere, h. e. diſtincte cognoſcere (§. 41.), limitationes alicujus rei, ipſi perſpectum etiam eſſe debet limitatum.

§. 930. Intereunte re, intereant omnes ejus limitationes neceſſe eſt (§. 927.).

§. 931. Ab interitu limitationum alicujus rei ad interitum illius non valet conſequentia. Hoc applicari poteſt ad caſum, ubi forma reipublicæ monarchica cum ariſtocratica commutatur.

§. 932. Licet res aliqua patiatur limitationes, rei tamen ipſi intereundum non eſt (§. 931.).

§. 933. Cui non niſi jus limitandi aliquam rem competit, illi non competit jus ipſam rem deſtruendi (§. 931.).

§. 934. Cui competit jus rem aliquam deſtruendi, eidem & competit jus tollendi omnes ejus limitationes (§. 930.).

§. 935. Aliqua res finita poteſt exiſtere ſub diverſis limitationibus. Sic Majeſtas poteſt exiſtere ſub diverſis modificationi-



Digitized by Google

cationibus. In Monarchia majeſtas aliter exiſtit, quam in Ariſtocratia, in Dyarchia &c.

§. 936. Licet aliqua res amittat limitationes ſuas & novas nanciſcatur, rei tamen ipſi intereundum non eſt (§. 931.).

§. 937. Licet libertas naturalis patiatur limitationes, ipſa tamen libertas non interit vel tollitur (§. 932.). Ex inferius dicendis patebit libertatem naturalem circumſcribi poſſe noſtro facto, e. g. pactione.

§. 938. Quicquid de limitationibus rerum & rebus limitandis demonſtravimus, ad libertatem naturalem limitandam & ejus limitationes applicanda veniunt. Quicquid enim competit generi, & ſpeciei competere debet. Eandem doctrinam in juribus, obligationibus & negotiis limitatis vel limitandis inſignis uſus eſſe, inferius patebit.

§. 939. Concipiuntur facta hominum individuorum, quæ efficiunt, ut illi ſortiantur limitationes novas, ſtatum adventitium producentes (§. 888.) & omnem omnino independentiam actionum ab imperio, & ex conſequenti libertatem naturalem omnem plane tollentes (§. 910.). Id quod fieri ſolet, ſi redigatur homo in ſtatum ſervitutis plenariæ (§. 897.).

§. 940. Si dentur facta, e. gr. pactiones, quibus quidem pars independentiæ actionum noſtrarum ab imperio humano tollitur, reliqua independentiæ ejusmodi parte manente ſalva; eadem independentia atque ita libertas naturalis (§. 912.), non niſi circumſcribitur & limitatur. Quo caſu libertas naturalis non prorſus tollitur (§. 932.). Hanc propoſitionem ad hominem, in ſyſtemate civili viventem, applicabimus.

§. 941. Vti fieri debet, ita & contingere poteſt, ut homines in ſtatu naturali individuali viventes, ductum rationis ſequantur & ad minimum officiorum externorum menſuram, idque ſaltem ad certum temporis ſpatium, adimpleant. Status itaque naturalis individualis non ſolum debet, ſed & poteſt eſſe ſtatus hominum ſe invicem externe non lædentium (§. 764.), ex conſequenti ſtatus pacis externæ

Digitized by Google

ternæ (§.806.), præcipue cum fieri poſſit & ſæpius fiat, ut homines, in eodem ſtatu læſi vel læſionem metuentes non ſtatim delabantur ad conatum efficacem certandi per vim cum altero, per Conſect. 2. §.806. Si itaque accidat, ut homines in ſtatu naturali viventes conatu efficaci ſibi invicem inſerendi mala ferantur, contingenter ac perperam id fieri cognoſcimus (§. 179.). Status ergo naturalis individualis adeoque & libertatis ſummæ (§.916.) contingenter tantum & ex conſequenti non in ſe, ſed per accidens, & perperam eſt ſtatus belli (§.806.), ſi homines extra limites, a ratione conſtitutos, proſiliant & non niſi affectibus indulgeant. Quod ipſe non negat *Hobbeſius*. Conf. §. 19. c. 3, ſ. N. *Gundlingii*.

§. 942. Licet itaque inficiandum non ſit, ſtatum mere naturalem contingenter tantum eſſe ſtatum belli; attamen ſi ſpectaveris tantam multitudinem hominum, qui diverſa indole præditi ſunt, qui, maximam partem, libidini ambitioni, avaritiæ, aliisque affectibus dominantibus indulgent, & qui vix pœnis civilibus in officio externo contineri poſſunt; ſi, inquam, ſtatum hominum probe penſitaveris, prout is fuit a tot retro ſeculis & adhuc exiſtit, miſeranda profecto & deploranda eſſet noſtra conditio, ſi vivendum nobis omnibus foret in ſtatu mere naturali. Tollas mente civitates, tollas per præciſionem magiſtratum ejus loci ubi vivis, vel ad menſem; ponas nobis relictam eſſe naturalem libertatem ejus, quod cuique facere liberet; incides in ſtatum, ubi ſumma imis miſcerentur, & qui a bello omnium contra omnes non longe diſtaret (§. 872.). Id quod efficit, ut veneranda nobis ſit in rebus publicis, earumque rectoribus, divina providentia.

§. 943. Licet non exiſtat, nec pro conditione hominum optandus ſit (§. 942.) ſtatus mere naturalis univerſalis, in noſtra tamen præcipue diſciplina non negligenda venit illius ſtatus contemplatio, cum respublicæ independentes in ejusmodi ſtatu vivant, nec nobis, in civitate viventibus, non omnis prorſus libertas naturalis ademta ſit (§. 937. ſeqq.), nec

deficiant caſus, ubi media in civitate in ſtatum mere naturalem recidamus, id quod vel ſola defenſio violenta teſtatur. Præterea libertas civilis non niſi libertas naturalis limitata eſt, cujus adeo diſtinctam non formabis notionem, niſi id, quod limitatum in illo deprehendimus, penitius inſpicias (§ 929.). Nec minus in Jure Gentium evicimus, quod imperantes ſummi non ſolum intuitu aliorum principum independentium, ſed & reſpectu populi in libertate naturali vivant. Quæ omnia tantum jam tetigiſſe ſuffecerit, ne quis contemplationem ſtatus naturalis pro ſupervacanea habeat.

§. 944. Æqualitas, ratione imperii, ad id, quod naturaliter eorum eſt, qui vivunt in ſtatu naturali, pertinet (§.906.), & ex hac æqualitate independentia omnimoda ab imperio humano (§.915.), & conſequenter libertas naturalis concipitur (§. 912.); libertas ergo naturalis ad illud, quod naturaliter eorum eſt, qui in ſtatu naturali individuali vivunt ſpectare jure exiſtimatur (§.749.). Jam cum ſuum cuique ſit tribuendum (§. 750.); eorum, qui in ſtatu naturali individuali vivunt, *libertas naturalis nec deſtruenda nec conſtringenda eſt, ſi præſcideris ab eorum facto interveniente, quo alter jus nanciſcitur vel extinguendi vel coarctandi alterius libertatem naturalem*, de quo tamen loco convenienti.

SCHOLION. Demonſtratio theſios præviæ etiam ſic efformari poteſt. Libertas naturalis eſt independentia actionum ab imperio humano (§.912.). Sed hæc independentia concipitur ex æqualitate omnimoda ratione imperii, in qua vivunt homines in ſtatu naturali (§ 915; ergo libertas naturalis concipitur ex æqualitate illa omnimoda ratione imperii, tanquam ex cauſa. Enimvero cum æqualitas illa pertineat ad SUUM (§. 906.), etiam libertas naturalis hominum, in ſtatu naturali viventium, ad idem ſuum pertinere debet. Violatio ergo libertatis eorundem naturalis eſt læſio perfecta (§. 767.). Libertas itaque eorundem naturalis non eſt violanda (§. 768.), neque adeo vel conſtringenda, vel prorſus tollenda.

§. 945. Præmiſſa doctrina de ſtatu mere naturali conſerimus nos ad contemplanda officia de non lædendis aliis in eodem ſtatu, idque ante pacta. Characterem determinatum læſionis & damni §. 764. 769. jamjam tetigimus, cui nobis inhærendum erit. Strictiſſimam acceptionem horum duorum terminorum poſtulat noſtra diſciplina, licet ignotum non ſit, damnum etiam ſumi generalius pro quovis detrimento, vel absque accedente læſione. Hinc nos loqui de *damno injuria dato*, per ſe patet.

§. 946. Qui violat τὸ ſuum cuique, alterum lædit (§. 767.), & mala ex læſione orta, damna dicuntur (§. 769.). Hinc ſpecies variæ læſionum & damnorum ex ſpeciebus eorum, quæ ad id, quod noſtrum eſt, pertinent, determinandæ veniunt.

§. 947. Si dentur officia erga alios ſtricta, quorum cuſtodia uſum virium noſtrarum aliarumque rerum requirit, ejusmodi uſus virium dicitur *diligentia debita, in foro externo conſiderata* (§. 546. 738.), quæ adeo nihil aliud eſt, quam uſus virium noſtrarum aliarumque rerum explendis officiis, ſtricte dictis, ſufficientium.

§. 948. Diligentia debita in foro externo ultra officium ſtrictum non eſt extendenda (§. 947.).

§. 949. Non-uſus indeliberatus virium noſtrarum explendo officio ſtricte dicto ſufficientium dicitur *culpa ſtricte dicta*. Non-uſus deliberatus virium noſtrarum, officio ſtricto explendo ſufficientium, *malitia* ſeu *dolus in foro externo* appellatur §. 547.). Vſum deliberatum virium noſtrarum, officio ſtricto explendo contrarium eſſe *dolum, ſtricte ſumtum*, patet ex §. 547.

§. 950. Hæc ſpecies vel culpæ vel doli ultra menſuram officii ſtricti non eſt extendenda (§. 949.). Quæcunque ergo culpa vel malitia ex officio, ſtricte dicto, derivari non poteſt, illa culpa vel malitia in foro externo pro tali non habetur.

§. 951. Quibus caſibus leges ſtrictæ nos obligent ad dili-

gentiam debitam, ad ſugiendam culpam & malitiam ex §§. 947. 949. clarum eſt.

§. 952. Culpa ſtricte dicta eſt non-uſus indeliberatus virium noſtrarum, ſuum cuique tribuendo ſufficientium. Dolus, ſtricte ſumtus, eſt non uſus deliberatus virium noſtrarum, ſunm cuique tribuendo ſufficientium. Species doli ejusmodi eſt uſus deliberatus virium noſtrarum, τὸ ſuum cuique violans (§. 763. 949.).

§. 953. Si fieri poſſit, ut non-uſu vel indeliberato vel deliberato virium noſtrarum, ſunm cuique tribuendo ſufficientium, id quod alterius eſt, violemus, dantur omnino læſiones & conſequenter damna culpoſa & doloſa (§. 952. 767. 769.).

§. 954. Læſio eſt actio officiis erga alios, ſtricte dictis, repugnans (§. 764.). Quinam itaque actus culpoſi vel doloſi ſint læſiones, patet ex §. 951. Nec minus intelligimus, quænam *læſiones & damna doloſa*, quænam *culpoſa* dici mereantur.

§. 955. *Oriri dicitur aliquid ex alio*, qnod ſe refert ad aliud, ut effectus ad cauſam efficientem.

§. 956. Damnum eſt malum nobis ortum ex violatione ejus, quod noſtrum eſt (§. 769.), damnum ergo malum eſt, quod ſe refert ad violationem τῦ noſtrum, ut effectus ad cauſam efficientem (§. 955.). eamque vel phyſicam vel moralem, vel principalem, vel minus principalem, vel ſolitariam vel ſociam vel quamvis aliam cauſæ finitæ ſpeciem.

§. 957. Damnum eſt malum, cujus exiſtentiæ ratio quærenda in eo, quod vel qui violat τὸ noſtrum, ſeu, quod vel qui turbat alterum in eo, quod ejus eſt (§. 202. & 956.).

§. 958. Mala, quorum exiſtentiæ ratio deprehenditur in bruto, in mente capto, in furioſo & hominibus intellectu & ratione deſtitutis, id quod noſtrum eſt, violantibus vel violaturis, damna ſunt, qnocunque nomine ea venire ſueverint (§. 957.). Huc referas Romanorum pauperiem.

§. 959. Dantur læſiones & damna, quæ in ſubjecto lædente vel læſuro intellectum & rationis uſum non præponunt

nunt(§.958.). Hinc concipiuntur damna, quæ neque culpoſa neque doloſa ſunt(§.953.). Conf. *Grot.* J. B. P. L. II. c. 1. §. 3.

§. 960. Vnde patet, quod juris ſcriptores cum ratione ſufficiente *actiones injuſtas* diſtinguant ἀπὸ τῦ *agere injuſte*, quod ultimum non niſi in homines, uſu rationis pollentes, cadere admittitur. Hinc injuſte nemo agit, niſi qui ſcit ſe agere. *Ariſtoteles* factum injuſtum ab injuſtitia perſonæ jamjam diſtinxit. Factum injuſtum etiam in furioſum cadit.

§. 961. Malum, cujus exiſtentiæ ratio non deprehenditur in alterius violatione τῦ noſtrum, pro damno, vel nobis ab altero illato, vel inferendo, reputari non poteſt (§.957.).

§. 962. Malum, quod noſtra culpa ſentimus, ſeu cujus exiſtentiæ ratio in nobismet ipſis occurrit, damnum hactenus deſcriptum non eſt (§.961.).

§. 963. Dantur *læſiones* & *damna immediata* & *mediata*. Priora a nobis tanquam cauſis phyſicis, poſteriora vero a nobis tanquam cauſis moralibus orta ſunt (§.767.769.574.).

§. 964. Fieri poteſt, ut plures ad damnum alteri illatum totale concurrerint. Quo caſu vel innoteſcit, quinam ex illis cauſa ſit damni partialis vel minus. Vnde ejusmodi *damnum a pluribus illatum vel per actus dividuos vel per actus individuos* ſeu *communes* nobis afferri poteſt.

§. 965. *Juſtus uſus ejus, quod noſtrum eſt, in foro externo* is dicendus eſt, quo non violatur τὸ ſuum cuique (§.797.). *Vſus injuſtus eorum, quæ ad noſtrum pertinent, in foro externo* is nuncupatur, quo id, quod alterius eſt, violatur (§. cit.).

§. 966. Quis ſit *uſus juſtus vel injuſtus ejus, quod noſtrum eſt, in foro interno*, patet ex §. 798.

§ 967. Ejus, quod noſtrum eſt, verus uſus, virtuti naturali latius ſumtæ conveniens, juſtitiæ externæ non ſolum, ſed & officiis erga Deum, erga nos & erga alios quibuscunque minus repugnare debet (§.851.). Sed alter ad ejusmodi uſum verum eorum, quæ ejus ſunt, in ſtatu naturali ab aliis cogi non poteſt (§.736.847.). Referas huc, quod non omne, quod licet, deceat (§.867.).

CON-

Digitized by Google

Consectarium. Si quis alterum cogere velit ad uſum ejusmodi verum eorum, quæ ejus ſunt, is alterum lædere connititur. Demonſtratio eadem eſt cum illa, quæ in Schol, II, §. 794. deprehenditur.

§. 968. Ejus, quod noſtrum eſt, verus uſus, rationi conveniens, eſt is. qui legibus naturalibns, generaliter ſumtis, non repugnat (§ 351. 967.). Ejusmodi uſum verum eſſe coactionis impatientem ex §. 967. repetendum eſt.

§. 969. Si quis eo, quod ejus eſt, ita uti velit, ut violetur, quod noſtrnm eſt; ejusmodi uſus læſio eſt (§. 764.), & injuſtus in foro externo (§. 801.) & quem adeo vi repellere poſſumus (§. 804.).

§. 970. Si quis eo, quod ejus eſt, vel ita utatur, vel uti velit, ut non violetur, quod noſtrum eſt; ejusmodi uſus læſio non eſt (§. 767.), neque adeo injuſtus in foro externo (§. 801.) & quem ex conſequenti vi refrænare non poſſumus (§. 804.). Juxta hanc explicationem & determinationem vera eſt propoſitio: *qui utitur re ſua, nemini facit injuriam.* Nec minus huc referas: *qui utitur jure ſuo, nemini facit injuriam.* Conf. §. 784.

§. 971. Actio, qua violatur τὸ ſuum cuique, eſt injuſta (§. 797.). Læſio eſt actio, qua violatur τὸ ſuum cuique (§. 767.); læſio ergo eſt actio injuſta. Propoſitio poteſt converti.

Corollarium I. Quæ actio injuſta non eſt, ea non violat τὸ ſuum cuique (§. 797.), & conſequenter læſio non eſt (§. 767.).

Corollarium II. Malum, ortum alteri ex actione noſtra haud injuſta, non eſt malum, ortum ex læſione per Coroll. I., & conſequenter damnum non eſt (§. 769.).

§. 972. Malum, ortum ex læſione, eſt damnum (§. 769.). Læſio eſt actio injuſta (§. 971.), malum ergo, ortum ex actione injuſta, damnum eſt.

§. 973. Facta juſta haud injuſta ſunt (§. 797.); malum ergo, alteri ex noſtro facto juſto natum, damnum non eſt per Coroll. II. §. 971. Hinc nos conſervando ordine, nemini damna inferimus.



Digitized by Google

§. 974. Vires vel corporis vel animæ vel a ſtatu externo noſtro pendentes ad id, quod noſtrum eſt, pertinent. Quibus caſibus uſum virium noſtrarum alter impedire poſſit, vel minus, patet ex §§. 969. 970.

§. 975. Jura naturalia ultra cuſtodiam τȣ̃ ſuum cuique non ſunt extendenda (§. 778.). Si quid ergo detur, quod non eſt e numero eorum, quæ noſtra ſunt, ad id nobis non competit jus naturale, ſtricto ſenſu dictum.

Scholion. Si a juſtitia (non quidem grammatice, ſed moraliter,) jus dicatur per §. 24. Inſtit. *Heineccii*; jus ultra cuſtodiam τȣ̃ ſuum cuique non eſt extendendnm (§. 797.).

§. 976. Ad quodcunque nobis non competit jus naturale, illud non eſt e numero eorum, quæ naturaliter noſtra ſunt (§. 778.).

§. 977. Si quis alteri intercipiat aliquid, ad quod ei non competit jus naturale, is ei aliquid intercipit, quod non eſt e numero eorum, quæ ejus ſunt in ſtatu naturali (§. 976.), & ex conſequenti τὸ ſuum cuique non violat, nec alterum lædit (§. 767.), neque adeo ipſi damna infert in eodem ſtatu (§. 769.). *Interceptio ergo ejus, ad quod alteri in ſtatu naturali nullum jus competit, damnum non eſt in eodem ſtatu.*

§. 978. Vnius incrementum poteſt eſſe alterius decrementum ejusmodi, quod pro læſione haberi non poteſt (§. 977.).

§. 979. Quousque ſe extendit id, quod noſtrum eſt naturaliter, eousque ſe extendunt jura noſtra naturalia (§. 778) *Si quid ergo deprehendatur, quod eſt e numero eorum, quæ noſtra ſunt naturaliter, ad id nobis competit jus naturale.*

§. 980. Ad quodcunque nobis in ſtatu naturali competit jus naturale, illud eſt e numero eorum, quæ naturaliter noſtra ſunt (§. 778.).

§. 981. Interceptio ejus, ad quod alteri in ſtatu naturali jus competit, damnum eſt in eodem ſtatu (§. 980. 769.). Ejusmodi *damnum* dicitur *directe datum* a *Grotio* L. II. c. XXI. §. 10. de J. B. P.

§. 982.

Digitized by Google

§. 982. Si dentur jura, quæ nituntur certis conditionibus, ea pendent, vel ceſſant, pendentibus vel ceſſantibus conditionibus.

§. 983. *Damnum in conſequentiam venire* GROTIO dicitur, quo fit, ut quis non habeat, quod alioqui habiturus fuiſſet ceſſante ſcilicet conditione, ſine qua jus non habebat. Conf. locum Grotianum §. 981. allegatum. Ejusmodi *dvmnum improprie tale* dicitur (§.982.977.). Definitio enim damni huc applicari non poteſt. Quod quis non habet, ſeu, quod noe eſt SVVM, illud alteri auſſerri non poteſt.

SCHOLION. Huc referas caſum, ubi bona paterna vivo adhuc parente fiſco addicuntur, & ubi liberi de injuria ſibi illata conqueri non poſſunt. Viventibus adhuc parentibus nulla concipitur hereditas, & conſequenter nulla translatio bonorum & jurium paternorum, neque adeo ulla mutatio ejus, quod parentum eſt, in id, quod liberorum eſt. Hoc itaque caſu nulla datur violatio SVI liberorum & ex conſequenti nulla læſio ſ. injuria (§.767. 769.).

§. 984. Commiſſio vel omiſſio actus indifferentis læſio non eſt (§.863.767.), neque adeo inde damnum alteri ſubnaſci poteſt (§.769.), licet malum vel incommodum ei in utrolibet caſu ſuboriri poſſit. Fieri ſæpius ſolet, ut unius incrementum ex ejus facto indifferenti & licito (§. 865.) prognatum, ſit alterius decrementum, quod damnum in foro ſaltem externo dici non meretur, licet ob neglectum officiorum amoris erga alios in foro interno frequentius peccetur. Ob cultum pacis externæ perferre debemus, ſi alii actiones attemperent proverbio: *quilibet pro ſe.*

§. 985. Multo magis caveas, ne mala ex cuſtodia officii noſtri vel ex actionibus, juſtitiæ internæ(§.789.)attemperatis, alteri ſuboriunda pro damnis noſtro ſenſu dictis habeas.

§. 986. In læſione æſtimanda non ſolum damnum, immediate illatum, ſed & conſectaria mala, inde prognata vel progeneranda, nobis tanquam damna ſpectanda veniunt. Cauſa enim cauſæ eſt etiam cauſa cauſati, læſiones ergo, quæ

ſunt

Digitized by Google

ſunt cauſæ damnorum imediate illatorum, ſunt etiam cauſæ conſectariorum malorum, ex illis damnis provenientium. Hinc ejusmodi conſectaria mala merito pro damnis habentur (§.769.). Huc ſpectat diviſio *damni* in *poſitivum ſ. emergens* & *privativum* ſeu *lucrum ceſſans*.

§. 987. Dantur damna præſentia, quæ, in ſe ſpectata, levioris momenti eſſe ſolent, ſed quæ ratione malorum novorum inde ſecuturorum, graviora fieri poſſunt (§. 986.).

§. 988. Malum ex mero caſu nobis ſubortum, pro damno noſtro venditari non poteſt (§. 375. 961.). Hinc *damnum caſuale* eſt plane aliud & damnum ſpurium. De caſu mero loquimur. Si caſum culpa vel dolus præceſſerit, aliter pronunciandum, de quo ſuo loco.

§. 989. *Læſiones ad menſuram datæ* dicuntur, quæ ad quantum determinatum ex propoſito lædentis inferri poſſunt. Et cum gradus ſit quanta (§. 425.); læſiones ad certum gradum iisdem læſionibus accenſentur. Quænam ſint *læſiones, quæ* ad *menſuram non dentur*, facile intelligitur. Læſiones poſterioris generis ſunt vulnera.

§. 990. *Reparatur læſo damnum*, ſi is a lædente vel ab alio ejus nomine recipit tantum, quantum ſibi ab eo, quod ejus eſt, ſubtractum eſſe intelligitur. Hinc & *reparare damnum* nihil aliud eſt, quam efficere, ut malum ortum ex læſione, h. e., ex violatione τῦ ſuum cuique, ceſſet (§. 769.).

§. 991. Quæ *damna* ſint *reparabilia*, quæ *irreparabilia*, ex §. 990. perſpicitur. Reparari poteſt damnum vel redditione rei ablatæ vel dando æquipollens. Prior modus *reſtitutio*, alter *ſatisfactio* a nonnullis dicitur.

§. 992. Damna, quæ ad menſuram dantur, ex intentione lædentis reparabilia ſunt; ea vero, quæ ad menſuram non dantur, fieri poſſunt irreparabilia citra intentionem lædentis (§. 989. 990.).

§. 993. Reparatio damni pro diverſis læſionum ſpeciebus variat (§. 769.), & ultra quantitatem damni non eſt extendenda (§. 990.). Hinc *reparatio damni* debet eſſe *proportionata*

tionata

Digitized by Google

*tionata* damno ipſi, h. e. nec plus, nec minus in ſe continere poteſt, quam damnnm ipſum.

§. 994. In damnis concipimus plus & minus, & ex conſequenti quantum (§. 426.).

§. 995. Si minus quoddam damnum poſſit aſſumi tanquam unitas, cujus relatio ad aliud damnum homogeneum poſſit exprimi; datur commenſuratio damnorum (§. 427.), & ejus valoris æſtimatio (§. 428.).

§. 996. *Damna illata reparare obligamur.* Ponamus enim, aliquem non teneri damna aliis data reparare, non obligaretur efficere, ut malum ortum ex læſione ceſſet (§. 990.), & ex conſequenti jure gauderet aliis inferendi mala, ex læſione oriunda, h. e. damna (§. 769.), quod contradicit §. 770. Ergo damna illata ſunt reparanda.

CONSECTARIUM. Læſus jure gaudet adigendi lædentem ad reſarcitionem damni illati (§. 780.).

SCHOL. Ab hac obligatione ad reparandum damnum homines, intellectu & ratione deſtitutos, liberare non poſſumus (§. 958. 959. 960.). Offendimus itaque ſpeciem obligationis, quæ & tribuitur homini, intellectu & ratione deſtituto (qualis eſt furioſus,) & quæ moralis dici non meretur (§. 312.). Conf. Schol. §. 300. Et ſi conceptum reparationis damni contemplemur (§. 990.), ad illam nihil requiritur, niſi ut læſus ex bonis lædentis, e. gr. furioſi, recipiat tantum, quantum is ſibi ab eo, quod ſuum eſt, ſubtraxerit. Hæc vero reparatio in lædente nullum rationis uſum requirit, & conſequenter jure in furioſum cadere poteſt. Factum itaque furioſi injuſtum (§. 960.) & imputabile ad reparationem damni non involvit contradictionem (§. 37.), quod longe ſecus eſt in facto furioſi imputabili ad pœnam, quæ ſupponit demeritum civile, cujus ejusmodi homines capaces non ſunt. De quo egi in Spec. dc imperio civili.

§. 997. Præmiſſis hiſce doctrinis generalibus de læſionibus & inde oriundis damnis, contemplemur peculiarem ſpeciem læſionis, quæ intuitu famæ & contem-

tus

Digitized by Google

tus hominibus, in ſtatu naturali viventibus, ante pacta ſubnaſci poteſt.

§. 998. Valor nobis ortus ex judicio aliorum de gradu moralitatis actionum noſtrarum, dicitur *exiſtimatio in genere*, quæ vel *bona*, vel *mala* audit, prout judicium de honeſtate vel inhoneſtate actionum noſtrarum fertur.

§. 999. Exiſtimatio utriusque generis oritur ex imputatione (§. 998. 414.).

§. 1000. Valor, nobis ortus ex judicio aliorum de gradu infimo honeſtatis noſtræ, appellatur *exiſtimatio ſimplex* ſ. *fama*. Dicitur etiam *exiſtimatio communis* & *popularis*. Valor, nobis ortus ex judicio aliorum de honeſtatis noſtræ gradu, qui infimo major eſt, *exiſtimationis intenſivæ, intentæ ſeu auctæ* nomine venit.

A defectu gradus infimi ad defectum gradus majoris valet conſequentia, ſed non vice verſa.

Hinc a defectu exiſtimationis ſimplicis ad defectum exiſtimationis intentæ valet conſequentia, ſed non vice verſa.

§. 1001. Infimus honeſtatis gradus homini tribuitur, qui aliis intacta relinquit, quibus illi vel a natura dotati vel quæ ſibi ope virium ſuarum ſeu artis beneficio compararunt. Hinc infimus honeſtatis gradus cuſtodia τȣ̃ ſuum cuique abſolvitur (§. 750.).

§. 1002. Exiſtimatio ſimplex eſt valor, nobis ortus ex judicio aliorum de cuſtodia noſtra τȣ̃ ſuum cuique (§. 1000. 1001.), ſeu de abſtinentia noſtra alieni (§. 751.).

§. 1003. Exiſtimatio ſimplex eſt valor, nobis ortus ex judicio, quod ab aliis fertur, de juſtitia ſ. honeſtate ſ. virtute externa ſ. de juſtitia expletrice noſtra (§. 797. 799. 1002.).

§. 1004. Hinc in exiſtimatione ſimplici non niſi ad ejusmodi modum vivendi reſpicimus, ubi quis neminem lædit (§. 1002. 767.), & nemini damnum vel injuriam affert (§. 769.).

§. 1005. Nec minus concipimus, cur per *ſimplicem exiſtimationem* intelligatur ea, quæ ad hominum communem vi-



Digitized by Google

vendi modum comparatur. An hanc notionem cum aliis *Gundlingius* reflexit.

Scholion. Hominum vivendi modum communem nec in inſigni honeſtatis ſtudio, nec in improbitate enormi collocare poſſumus. Vti paucos reperias, qui virtutis verioris cultores ſint, ita pauci dantur, qui ob inſignem turpitudinis gradum ad pudenda civitatum & generis humani referri mereantur, ſi utriusque generis homines cum numero longe majori reliquorum, qui quidem ab honeſti cultu vacui, nec tamen inſigniter improbi ſunt, comparaveris. In hac multitudine reliquorum communis hominum vivendi modus mihi videtur latitare, & quem adeo in improbitate haud inſigni non ſine ratione poſueris. Hanc improbitatem haud inſignem explicui per violationem honeſtatis infimi gradus haud inſignem. In tanta corruptione hominum rationes aliter ſubducere non poſſumus. Admiror ſapientiam JCtorum, qui in doctrina de fama & infamia ad communem hominum vivendi modum reſpiciunt. Qui hoc in argumento laxiores amplectuntur terminos, eorum ſententia infinitis tricis obnoxia, & conſervando bono publico parum proficua videtur.

§. 1006. Homines, in ſtatu naturali viventes, æquales ſunt ratione dignitatis (§. 900.), & ex conſequenti eodem valore fruuntur. Hinc iidem ejusdem ſeu æqualis exiſtimationis ſunt (§. 998.). Exiſtimatio eſt vel intenſiva vel ſimplex (§. 1000.). Prior præponit intenſiorem gradum honeſtatis (§. cit.) & conſequenter quantum majus (§. 424.), quod æqualitati naturali repugnat (§. 894. 892.). Homines igitur in ſtatu naturali non poſſunt eſſe æquales reſpectu exiſtimationis intenſivæ. Remanet ergo nulla alia exiſtimatio, quam ſimplex, quæ in omnibus in eodem ſtatu exiſtentibus, æqualis eſſe recte ponitur.

Scholion I. Vnde patet, quod populo ob majorem honeſtatis & juris humanioris cultum præ aliis populis, qui infimum ſaltem gradum honeſtatis cuſtodiunt, major exiſti-

exiſtimatio in commercio mundi externo tribui non poſſit. Hinc ſi populus hoc caſu minorem exiſtimationem aliis gentibus, quam ſibi, tribuere velit in eodem commercio, hoc ſine jure fieri cenſetur, & aliis cauſam conquerendi juſtificam ſubminiſtrat.

SCHOLION II. Mentionem feci *juris humanioris*, de quo, Codici Juſtinianeo tribuendo, *Henr. Ern. Keſtnerus* diſputationem conſcripſit, cujus potiora capita in additione ad §. XXI. c. I. Jur, Nat. & Gent. recenſuit.

§. 1007. Cum exiſtimatio ſimplex oriatur ex judicio de gradu infimo honeſtatis noſtræ ab aliis lato (§. 1000.) exiſtimatio ſimplex ſeu fama eſt infimus exiſtimationis gradus, quo amiſſo, omnis omnino exiſtimatio & fama amittitur. Jactura ſeu amiſſio exiſtimationis ſimplicis in commercio mundi efficit *infamiam*, quæ privationem famæ denotat.

SCHOLION. Valor, qui alicui tribuitur ob infimum honeſtatis gradum, eſt ſine dubio valor infimus, quem quis in ſphæra morali nanciſci poſſit. Hinc exiſtimatio ſimplex pro exiſtimatione infimi generis recte habetur.

§. 1008. Cum infamis amittat exiſtimationem ſimplicem (§. 1007.), omni valore, omni numero in commercio humano privatur (§. 100.).

§. 1009. Qui amittit exiſtimationem ſimplicem, infimum exiſtimationis gradum (§. 1007.) & ex conſequenti omne quantum in commercio humano perdit (§. 425.). Eadem propoſitio patet ex §. 1008.

§. 1010. Qui amittit exiſtimationem ſimplicem in commercio humano, is omne quantum in eodem commercio (§. 1009. & ex conſequenti omnem identitatem quantitatis perdit (§. 50.). Jam cum identitas quantitatis æqualitatem efficiat (§. 892.), is, qui amittit exiſtimationem ſimplicem in commercio humano, ſtatum æqualitatis amittit.

§. 1011. Infamis factus æqualitatem (§. 1007. 1010.) & ex conſequenti æqualia jura connata, æquales obligationes connatas perdit.



Digitized by Google

§. 1012. Qui inæqualis non eſt aliis, pro infami reputari non poteſt (§. 1011.). Homines, ſi ſolam eorum naturam ſpectaveris, inæquales non ſunt aliis (§. 893.), homines ergo, ſi ſolam eorum naturam ſpectaveris, infames eſſe non poſſunt. *Natura proinde ſola nemo infamis efficitur.*

§. 1013. Idea, de alterius perfectionibus concepta & ſignis externis declarata dicitur *Laus*, quæ adeo nihil aliud eſt, quam judicium ſymbolicum de alterius perfectionibus latum. Judicium eſt vel verum vel falſum. Hinc *laus* in *veram* & *imaginariam* diſpeſcitur. Dantur etiam judicia opinativa. Ex quo fit, ut detur *laus, ab opinione aliorum dependens.* Huc referas opinionem de alterius excellentia, quam alii *laudis* vel *honoris* nomine inſigniunt.

CONSECTARIUM. Cum judicia coactionem non patiantur, laus & honor extorqueri non poſſunt. De cultu interno hic loquor.

SCHOLION. Per *judicium ſymbolicum* intelligo illud, quod alteri ſignis externis indicamus.

§. 1014. Judicium ſymbolicum de alterius imperfectione latum dicitur *contemptus*. Et perfectiones & imperfectiones duplicis generis ſunt. Aliæ conſiderantur in foro externo, ad alias in eadem ſphæra non attenditur. Illas *perfectiones* vel *imperfectiones externas*, haſce vero *internas* appellare poſſumus.

Judicium ſymbolicum de alterius imperfectionibus externis latum, nobis dicitur *contemptus externus.* Si itaque forum externum ſpectaveris, in contemnendo altero, ei tribuimus *imperfectiones externas*, in foro quippe externo conſiderari ſolitas.

§. 1015. Dantur gradus imperfectionum & perfectionum moralium (§. 148.), unde enaſcuntur gradus laudis & contemptus (§. 1014. 1013.).

Qui non niſi infimum honeſtatis & virtutis gradum, ſeu officia neceſſitatis adimplet, *infimum perfectionis moralis gradum*; qui, præter officia neceſſitatis, officiis etiam ſublimioribus

ribus, ſibi & aliis debitis, ſatisfacit, *medium perfectionis moralis gradum*; qui præter officia neceſſitatis aliaque ſibi & aliis ex dictamine rationis debita, menſuram pii naturalis adimplet, *ſummum perfectionis moralis gradum* in foro morali, generatim ſumto, nanciſcitur. Vnde patet, quod ei, qui ne infimo quidem honeſtatis gradui ſatisfacit, vel qui infimum illum gradum inſigniter violat, *ſummus perfectionis moralis gradus* tribuatur in eodem foro.

§. 1016. Inſignis violatio infimi gradus honeſtatis eſt gradus ſummus imperfectionis in ſphæra morali generatim ſpectata, unde ſummus contemptus alterius in eadem oritur (§. 1015.).

§. 1017. Vi paragraphi præcedentis ex inſigni violatione τȣ̃ ſuum cuique, ex conculcatione juſtitiæ expletricis §. 799.), ex pruritu alios lædendi (§. 767.) & conſequenter ex inſigni violatione pacis externæ (§. 806.) oritur contemptus ſummus, quo alter dignus cenſetur in ſphæra morali generatim ſpectata.

§. 1018. In foro externo plerumque non niſi ad infimum honeſtatis gradum, pacis externæ conſervandæ gratia, reflectitur (§. 738.). Ob ſolam proinde inſignem violationem illius infimi honeſtatis gradus ſeu ob ſolam inſignem turpitudinem externam (§. 797.) in eodem foro jure aliquis contemnitur, ſeu contemtu, qui ſummus eſt in tota ſphæra morali (§. 1016.), premitur.

Loquimur de contemptu, quem quis in foro externo mereri dicitur. Et cum in eadem ſphæra jura ita concipienda ſint, ne litigia multiplicentur in infinitum, qua multiplicatione pax externa nimium quantum turbaretur; omnino perſpicimus nova vice, cur non ob quamvis violationem infimi honeſtatis gradus aliquis contemptu externo dignus cenſeatur, & cur non niſi inſignis improbitas pro cauſa contemtus externi juſtifica haberi debeat. Ponas, homines contemptum in foro externo mereri ob quamvis vel & ob mediocrem violationem τȣ̃ ſuum cuique h. e. infimi gradus hone-



Digitized by Google

honeſtatis, quantus contemtorum numerus in foro externo exiſteret?

Scholion. Cum *contemtus juſtus in foro externo* per §. præſ. ſit judicium ſymbolicum de alterius inſigni violatione infimi gradus honeſtatis, is merito externe contemnitur, qui τὸ ſuum cuique (§ 1001.) inſigniter violat, & conſequenter pruritum alios lædendi (§. 767.), & conculcandi juſtitiam externam ſeu expletricem (§. 799.) oſtenderit.

§. 1019. Licet itaque aliquis non niſi infimo honeſtatis gradui ſatisfacere ſueverit, reliquis officiis ſublimioribus neglectis, contemtu tamen dignus in foro externo naturali plerumque non habetur (§. 1018.), cum neglectio officiorum ſublimiorum culpam in foro tantum interno mereatur (§. 738.).

§. 1020. *Contemtus juſtus in foro externo* eſt judicium ſymbolicum de alterius inſigni violatione infimi gradus honeſtatis (§. 1018.). Sed cum ejusmodi violatio ſit ſumma imperfectio in ſphæra morali (§. 1015.), contemtus juſtus in foro externo eſt judicium ſymbolicum latum de alterius imperfectione morali ſumma, & conſequenter de ejus vacuitate ab omni perfectione morali, atque adeo de ejus valore & quanto morali, ex perfectione morali oriundo, nullo. Hac ratione amittit ejusmodi homo, qui juſte contemnitur externe, identitatem quanti, quod in aliis datur. Quem itaque juſte contemnimus in foro externo, eum pro inæquali ex merito habemus (§. 892.).

§. 1021. Qui non niſi infimo honeſtatis gradui ſatisfacit, is non ex virtutis internæ ſtudio, ſed ex ſolo metu incommodorum & pœnarum peccare odit (§. 870.). Qui cum in foro interno habeatur pro malo (§. cit.), nihil perfectionis moralis, atque adeo laudis nihil (§. 1013.), & decus nullum (§. 855.) in eodem foro ei tribuitur.

§. 1022. Nec in foro externo is, qui non niſi infimo honeſtatis gradui ſatisfacit, laudem meretur. Notum eſt illud: Si omnia feceritis, quæ debiti veſtri ſunt, inutiles ſervi eſtis.

§. 1023.

Digitized by Google

§. 1023. Qui non niſi infimo honeſtatis gradui ſatisfacit, nec laudem in utroque foro (§. 1021. 1022.), nec contemtum in foro externo meretur (§. 1019.). Eidem itaque nec meritum, nec demeritum, ſtrictius ſumtum, in eodem foro, tribui facile patet. Conf. §§. 418. 419. 420.

§. 1024. In ſola quippe cuſtodia infimi honeſtatis gradus nihil perfectionis moralis ſeu meriti deprehenditur, ſi rem ad rigorem moralem expendamus, cum primus honeſtatis gradus non niſi primas, easque rudiores, honeſtatis lineas complectatur, & cum adeo illi, qui non niſi huic infimo gradui actiones attemperant, *abecedarii* in ſphæra perfectionis moralis, ſeu in praxi morali, dici mereantur. Actionibus, ultra infimum honeſtatis gradum aſcendentibus *meritum*, actionibus infra eundem gradum deſcendentibus *demeritum* tribuitur. Vnde clarum eſt, demerita eſſe quantitates nihilo morali minores. Nec difficile eſt ad intelligendum, cuſtodiam ſolam infimi honeſtatis gradus meritis & demeritis interjacere.

SCHOLIVM. Demerita eſſe quantitates, nihilo perfectionis morali minores, ſic evinco: Qui non niſi infimum honeſtatis gradum obſervat, in eo nihil perfectionis moralis deprehenditur, Qui itaque eundum gradum violat, is minus nihilo perfectionis moralis habet.

§. 1025. In foro externo plerumque non niſi ad infimum honeſtatis gradum reflectitur (§. 738.). Homines itaque infimum honeſtatis gradum non inſigniter violantes, ſeu qui communiter boni ſunt, in foro externo eundem gradum, & conſequenter idem quantum externum habent (§. 425.), atque adeo ſibi invicem externe æquales ſunt (§. 892.). Ejusmodi ergo homines in foro externo jus æqualitatis externæ habent.

§. 1026. Qui alios, infimum honeſtatis gradum non violantes, contemnit externe, is eis imperfectiones externas adſcribit (§. 1014.), eosque adeo ſe externe imperfectiores tractat & conſequenter eis minus quantum, atque ita inæ-



Digitized by Google

qualitatem externam tribuit (§. 892. 894.). Jam cum is, qui infimum honeſtatis gradum non violat, ſeu, qui communiter bonus eſt, ſit externe æqualis aliis (§. 1025.); qui alios, infimum honeſtatis gradum non violantes, contemnit, is externe æqualibus inæqualitatem externam tribuit, ſeu æqualitatem externam eripit. Qui proinde alios, infimum honeſtatis gradum non violantes, contemnit, eorum æqualitatis externæ jus infringit, eosque ex conſequenti lædit perfecte. (§. 907.). *Contemtus* itaque *ejusmodi eſt læſio, & conſequenter injuſtus in foro externo.* (§. 801.). Nemo ergo, qui infimum honeſtatis gradum non violat, eſt contemnendus (§. 768.).

§. 1027. Hinc mala, ex ejusmodi contemtu noſtri nobis orta, damna ſunt (§. 1026.). Contingere poteſt, ut alii ob ejusmodi contemtum nos fugiant tanquam homines pejoris notæ, & quæ alia ſunt conſectaria ſæpius funeſta, quæ nos conjicere poſſunt in vitam miſeram & calamitoſam.

§. 1028. Cave, ne habeas in foro externo pro contemtu tui, ſi alter tibi nec verbis, nec factis tribuat perfectiones, in te conſpicuas (§. 1014.), ſi nec laudet te (§. 1012.), neque exiſtimationem tuam intendat (§. 1000.), neque ita tuæ virtuti eximiæ decus impertiat (§. 855.), qua in re eum exiſtimes peccare contra officia humanitatis, quæ in foro externo ſtricte non poſtulantur (§. 738.).

§. 1029. In ſtatu naturali nemo ob ſolam paupertatem, ob ſtupiditatem, ob religionis diverſitatem, ob morum inelegantiam & ruditatem, ob ſexum, quem ſequiorem vocant ob virtutis internæ defectum, ob formam reipublicæ imperfectiorem, ob deficientem antiquitatem & celebritatem gentis, ob minorem potentiam contemtu dignus cenſendus eſt (§. 1026.).

§. 1030. Qui ſibi in commercio mundi majus quantum tribuit, qnam par eſt. *ſuperbus* dicitur. Quis *modeſtus* ſit, qui ſuperbo opponitur, per ſe patet. Hinc qui ſeſe præ cæteris æqualibus effert vel etiam ſuperiores temere procudit, ſuperbum ſe gerit.

§. 1031.

Digitized by Google

§. 1031. Superbia, quæ violat æqualitatem externam (§. 894.) e numero læſionum eſt (§. 907.), & conſequenter in foro externo vitanda venit (§. 768.). Datur *ſuperbia*, quæ τὸ ſuum cuique non violat, & quæ pro læſione reputanda non venit (§. 907.). Hnc referas alterius ſuperbiam, quæ cum convicio non eſt copulata, & qui riſu ſæpius magis digna eſt, quam indignatione.

§. 1032. Superbia & contemptus ſeſe manifeſtant vel verbis vel factis. In hac diſciplina de opere externo, non de affectu ſolo alios contemnendi ſermo eſt. Conf. §. 12. c. 5. J. N. *Gundlingii*. Verba & facta omnia, contemtum indicantia lege naturali prohibita eſſe, facile patet.

§. 1033. Qui alios coutemnit, in ipſis excitat tædia (§. 1014. 135.), quæ facile degenerare poſſunt in odium (§. 689.). Quod cum evitandum nobis ſit maximopere (§. 706) cauſam ſat movendam cognoſcimns, cur a contemnendis aliis abſtinere debeamus. Vnde obligationem internam de non comtemnendis aliis perſpicimus (§. 300.).

§. 1034. Infamia eſt amiſſio exiſtimationis ſimplicis (§. 1007.). Sed exiſtimatio ſimplex oritur ex judicio aliorum de gradu infimo honeſtatis noſtræ (§. 1000.), de cuſtodia noſtra τῦ ſuum cuique (§. 1002.), de abſtinentia noſtra alieni (§. 751.), de juſtitia noſtra expletrice (§. 1003.), de abſtinentia noſtra a læſionibus (§. 1004.) damnisque inferendis (§. cit.), & de noſtro pacis externæ cultu (§. 806.). Hanc exiſtimationem ſimplicem amittimus, ſi evaneſcat hoc judicium de gradn infamiæ honeſtatis noſtræ, & de reliquis annexis, jam enumeratis. Hinc infamia alicujus naſcitur ex judicio aliorum de ejus contemtu vel infimi honeſtatis gradus, de ejus niſu violandi τὸ ſuum cuique, de ejus conculcatione juſtitiæ expletricis, de pruritu alios lædendi, damnisque afficiendi, & ex conſequenti de conatu ejus efficaci pacem externam turbandi. Vnde patet, quod inſignis improbitas ſeu inſignis injuſtitia, ſtricte ſumta (§. 797.) ſit cauſa infamiæ alteri inurendæ juſtifica. Conf. *Gundlingii* J. N. G. §. XIX. c. V.



Digitized by Google

§. 1035. Ponas homines ob quasvis, vel haud mediocres læſiones & injurias infamia dignos cenſeri, pars admodum exigua remaneret, quæ infamiam non meritura eſſet, & quæ ab infamium grege brevi tempore deglutiretur.

§. 1036. Injuſtitia inſignis dijudicanda eſt ex factis, inſigniter improbis, in quibus adeo ratio infamiæ juſtifica quærenda eſt (§. 1034.). Neque igitur quodvis vitium *populari & communi exiſtimationi*, quam ſimplicem ſuperius diximus, obeſſe creditur. Quæ verba ultima *Gundlingii* ſunt.

CONSECTARIUM. Cum facta inſigniter improba infamiam mereantur; tortura & pœnæ, quibus innocens ſubjicitur, infamiam eidem inurere non poſſunt.

§. 1037. Ponas facta, quæ proponunt voluntatem efficacem (§. 508.), hoc caſu ratio infamiæ juſtifica latitare debet in voluntate alterius efficaci inſigniter improba (§. 1036.), & conſequenter in dolo ejus ſeu malitia (§. 547.).

§. 1038. Qui infamia dignus cenſetur, contemtum externum jure meretur (§. 1034. 1018.).

§. 1039. Vnde patet, an contemtus externus & infamia in ſtatu libertatis naturalis oriri poſſint. Nec, judice Gundlingio dubitandum, Turcas, Mauros, gentesque latrociniis vacantes, ac piraticas civitates merito cum ceteris contemni ac nihil fieri. Sunt verba viri inſignis §. 24. c. 5. de J. N. G.

SCHOLIUM. Hoc caſu infamia non poteſt reputari pro pœna (§. 919.).

§. 1040. Infamia oritur ex imputatione (§. 1007. 999.) & ex conſequenti factum imputabile præponit. Sed facta aliena, qua talia, nobis in præjudicium noſtri non imputantur (§. 569.); *facta ergo aliena infamiam efficere non poſſunt.*

§. 1041. Solus animus ingratus, ſeu ingratitudo, quæ ſimplex dicitur, læſio externa non eſt (§. 766.), quæ adeo infamia in foro externo naturali non notatur (§. 1034.) licet vitium animi ingrati in foro interno ſit turpiſſimum. De ingratitudine qualificata, quæ cum læſione conjuncta eſt, aliter pronunciandum.

§. 1042.

§. 1042. Ceſſante inſigni improbitate morum, ceſſat infamia facti (§. 1034.). Jam cum ceſſet illa improbitas, emendato vitæ genere, ipſa *infamia*, quæ *facti* dicitur, exſpirat. In tota hac materia notemus, quod, uti nemo fiat repente turpiſſimus, ita & nemo facile fiat repente honeſtiſſimus. Huc referas: qui ſemel (inſigniter) malus, ſemper præſumitur talis, donec probetur contrarium. Reflectendum hic nobis eſt ad rationem, qua habitus & conſuetudines contrahantur (§. 208. ſeqq.). Ex qua doctrina non minus patet, quo modo deſueſcamus habitibus contractis.

§. 1043. In amplificanda felicitate noſtra evitanda nobis ſunt odia aliorum (§. 706.). Obligamur proinde natura, eo contendere, ne alii aliorum odia in nos concitent, & ne alii alios nobis inimicos reddant (§. 693.). Conſiderari heic loci meretur, quod homines plurimum hominibus & proſint & obſint. *Cic.* Offic. c. V. L. I.

§. 1044. Qui nos odit, tædium capit ex noſtra felicitate (§. 689.). Hinc in eo defigendæ ſunt curæ noſtræ, ne alii efficiant, ut alii tædia ex noſtra felicitate capiant (§. 1043.).

§. 1045. Ponas, quod alii, cum quibus tibi vivendum eſt judicent, actionibus tuis ineſſe turpitudinem externam, illi judicabunt, te violaſſe τὸ ſuum cuique (§. 797.), & ex conſequenti te alios læſiſſe (§. 767.), malisque affeciſſe (§. 769.). Sub iisdem conditionibus iidem exiſtimabunt, ferri te voluntate efficace alios lædendi (§. 805.) eosque tractandi malis & incommodis, niſi impediatur conatus tuus, quo minus is erumpat (§. 507.). Sub hac hypotheſi ponas, te eſſe vel futurum felicem, illi ex tua felicitate vel præſenti vel futura capient tædium & triſtitiam (§. 135. 367.), & ſic fiet, ut te odio proſequantur (§. 689.). Si qui itaque judicent, turpitudinem externam ineſſe actionibus tuis, illi te proſequentur odio. Jam cum aliorum odia effugienda ſint (§. 699.), efficiendum tibi eſt, ne actiones turpitudine externa commaculentur. Noſtra itaque maximopere intereſt impedire, quo minus

infamia

Digitized by Google

infamia notemur (§. 1034.). Hinc omnia ſi perdas, famam ſervare memento.

§. 1046. Si qui judicent, turpitudinem externam ineſſe actionibus tuis, ii te proſequentur odio (§. 1045.) & ex conſequenti tædium & triſtitiam capient ex tua felicitate (§. 689.), atque adeo curſum felicitatis tuæ interturbabunt (§. 506. 507.). Infamia itaque eſt impedimentum noſtræ felicitatis (§. 515.).

§. 1047. Qui ſe ipſum infamia dignum efficit, is munimenta felicitatis ſuæ ipſe deſtruit (§. 1046.).

§. 1048. Crudelis eſt in ſe ipſum, qui famam negligit (§. 1046.).

§. 1049. Famam & exiſtimationem bonam eſſe inſtrumentum noſtræ felicitatis externæ, ad modum §. 1046. demonſtrari poteſt.

§. 1050. Fama ſeu exiſtimatio bona ad illud, quod noſtrum naturale & connatum dicitur, reſpicit (§. 1049. 747. 749.). Hinc violatio famæ eſt læſio (§. 767.).

§. 1051. Obligamur in foro externo alterius famam intactam & illæſam relinquere (§. 1050. 738.).

§. 1052. Juſtus, vel externe talis, alterius famam non violat (§. 797. 1050.).

§. 1053. Qui famam noſtram minuit, is nos lædit (§. 1050.) nec minus damnum nobis infert (§. 769.), atque adeo injuſte agit in foro externo (§. 797.).

§. 1054. Infamia præponit factum inſigniter improbum (§. 1036.). Quæ facti ſunt, probanda veniunt. Quamdiu itaque non conſtet, aliquem commiſiſſe actus turpes, cauſa nulla ſubeſt, cur non ſalva maneat alterius fama. Huc referas illud: Quilibet præſumitur bonus (communiter talis), donec probetur contrarium. Id, quo nititur meritum vel demeritum, probatione indigere, patet ex §. 1024. & aliis huc ſpectantibus doctrinis.

§. 1055. Qui alterius famam minuit dolo malo, is propriam famam violat (§. 1053. 547. 1034.). Dantur, qui ſunt ſcorpii, quorum caudæ ſemper in ictu ſunt.

§. 1056.

Digitized by Google

§. 1056. Efficere, ut alter exiſtimationem intenſivam, quam meretur, nanciſcatur, vel ut illa conſervetur, augeatur & amplificetnr, officii noſtri ſtricti non eſt (§. 763. 1000.).

§. 1057. Obligamur ad aliorum felicitatem promovendam (§. 721.). Jam cum exiſtimatio bona ſit inſtrumentum noſtræ felicitatis (§. 1049.); obligamur etiam ad alterius famam, jamjam ſibi acquiſitam, conſervandam, eamque contra obtrectatores defendendam, augendamque pro ratione meritorum alterius. Sed ejusmodi conſervatio, auctio & amplificatio alterius famæ amori & humanitati noſtræ relinquenda veniunt (§. 740.).

§. 1058. Si quis alterum in conſervanda ipſius fama minus juverit, multove minus de illius amplificatione & defenſione fuerit ſollicitus, ejusmodi actiones omiſſivæ læſionibus minimum ſtricte dictis, añumerandæ non ſunt (§. 766. 1057)

§. 1059. Fieri poteſt, ut, qui alterum communiter probum contemnit externe, ejus famam minuat & conterat (§. 1020. 1000.). Vnde nova vice concipimus, quo caſu contemtus externus ſit læſio perfecta (§. 1050.).

§. 1060. *Falſiloquium* eſt ſermo diverſus a cogitatis noſtris. Falſiloquium conjunctum cum damno alterius dicitur *mendacium*. Hoc etiam in ſphæra Juris Naturalis externi fugiendum eſſe, patet ex §. 770.

§. 1061. Falſiloquium conjunctum cum damno alterius eſt mendacium (§. 1060.). Damnum eſt malum, ortum ex læſione (§. 769.), mendacium ergo ejusmodi falſiloquium eſt, quod cum læſione conjunctum eſt.

§. 1062. Mendacium eſt falſiloquium cum læſione (§. 1061.), & ex conſequenti cum violatione τȣ̃ ſuum cuique (§. 767.) copulatum.

§. 1063. Violatio jurium noſtrorum eſt læſio (§. 787.), falſiloquium ergo, conjunctum cum violatione juris noſtri, eſt mendacium (§. 1061.).

§. 1064. Dantur falſiloquia, quæ cum damno alterius

non

Digitized by Google

non conjuncta ſunt (§. 1060.), & quæ adeo mendaciorum nomine non veniunt (§. cit.).

§. 1065. *Simulatio* vel *diſſimulatio* eſt actus motivis noſtris conſuetis ſingularibus contradicens. Alias earum diſcrimen exprimitur hoc verſiculo: *quæ non ſunt, ſimulo; quæ ſunt, ea diſſimulantur*. Dantur propoſitiones, bona vel mala repræſentantes, eæque generales, & ex conſequenti motiva generalia, quibus homo, e. gr. avarus, omnes actiones attemperare ſolet. Dantur caſus ſingulares, in quos incidit ejusmodi avarus, & ubi adeſt motivum ipſi conſuetum ſingulare, quod eum ſtimulare poſſit ad ſordidum & turpe lucrum faciendum. Sed fieri poteſt, ut a pœna uſurariæ pravitatis vel a jactura lucri majoris futuri vel a cauſa alia movente determinetur ad actum, motivo illi conſueto ſingulari repugnantem, qui ſimulatus eſt.

§. 1066. Falſiloquia, ſine quibus pro circumſtantiarum ratione nos aliosve conſervare non poſſumus, ita comparata ſunt. ut conſervationem noſtram aliorumque promoveant. Jam cum obligemur ad conſervationem noſtri aliorumque (§. 695. 699.); ejusmodi falſiloquia præcepta non minus quam licita eſſe debent in foro interno. Id quod etiam affirmandum de ſimulationibus (§. 1065.) æquivocationibus, reſervationibus, quas dicunt, mentalibus. Sic falſiloquiis, ſimulationibus, æquivocationibus, reſervationibus mentalibus uti poſſumus, ſi nobis res ſit cum iratis, infantibus, garrulis, doloſis, ægrotis, inimicis, & ſi aliis remediis deſtituti ſimus. In ejusmodi caſibus malum minus præferendum majori (§. 332. 334).

§. 1067. Falſiloquia, quibus alteri tribuimus ejusmodi dictum factumve commentitium, quo id, quod ejus eſt, violatur, læſiones ſunt (§. 767.).

§. 1068. Dantur falſiloquia, quibus alteri ejusmodi dictum factumve commentitium dolo malo tribuitur, quod ejus famam violat. Quæ falſiloquia læſiones ſunt (§. 1067. 1050.), & *injuriarum ſtrictius dictarum*, nomine veniunt. Referas huc *libellos famoſos*.

CON-

Consectarium. Ad ejusmodi injuriam & individuum, cui illa illata eſt, & animus injurandi requiritur (§. 547.).

§. 1069. Simulationes, diſſimulationes, reſervationes mentales, quibus τὸ ſuum cuique non violatur, læſiones externæ non ſunt (§. 767.).

§. 1070. *Libelli ſatyrici* ſunt, ubi vitia hominum, generatim ſpectata, ingenioſe (§. 89.) ad abſurdum reducuntur. Ejusmodi ſcripta læſionibus & conſequenter libellis famoſis haud accenſentur (§. 767. 1068.).

§. 1071. Veritas (manifeſta) non eſt læſio vel injuria, h. e., ſi cui facta tribuantur, quorum veritas eſt manifeſta, ei non infertur injuria (§. 1068.).

§. 1072. Datur bonum jucundum, quod ad id, quod noſtrum eſt, pertinet (§. 747.). Qui itaque alterum in fruitione illius boni turbat vel ei illud eripit, eum lædit (§. 767.).

§. 1073. Bonum jucundum ad id, quod noſtrum eſt, pertinet (§. 747.). Sed, ſi quid occurrat, quod eſt e numero eorum, quæ noſtra ſunt naturaliter, ad id nobis competit jus naturale (§. 979.). Datur itaque *jus jucundi naturale*.

§. 1074. Si quis bonum jucundum ita ſectetur, vel eodem ita frui velit, ut non turbetur id, quod noſtrum eſt, ejusmodi conſectatio vel fruitio illius jucundi læſio non eſt (§. 767.).

§. 1075. Nec hic quæritur, utrum jucundum alterius ſit verum, an imaginarium, an ſibi ipſi detrimentoſum. In ſtatu naturali tibi non competit jus de moralitate jucundi aliorum ita judicandi, ut alter in tuo judicio, utut veriſſimo, acquieſcere, illudque jucundum, quantumvis ſpurium, mittere obligatus ſit (§. 918.). Conferas §. 917. De jucundi moralitate, ad forum internum ſpectante, §. 685. ſeqq. pro ratione ſcopi noſtri egimus. Nobis abſtinendum eſſe a turbandis aliis in fruitione jucundi vel imaginarii, de hoc nos monet proverbium patrium: *Man muß die Bauren nicht in ihrer Kirmeß ſtöhren.* In civitate limitatio jucundi a ſum-

Digitized by Google

a ſummo imperio civili pro circumſtantiarum ratione dependet,

§, 1076, Conferas ea, quæ de uſu rerum noſtrarum & juſto & injuſto §. 965. ſeqq. diximus, & quæ etiam huc applicanda veniunt. Nec minus legi cumprimis meretur B. *Ephraimi Gerhardi*, Profeſſoris Aldorfini J. N. L. 2. c, 8. de læſione boni jucundi.

§, 1077. Virginitas ad id, quod virginis eſt, pertinet (§. 747.). Defloratio itaque virginitatis (violenta) eſt læſio (§. 767.),

§, 1078. Si quid occurrat, quod eſt e numero eorum, quæ noſtra ſunt naturaliter, ad id nobis competit jus naturale (§. 979.). Datur itaque virgini *jus virginitatis connatum* (§. 1077.),

§, 1079. Datur in lædente obligatio damnum reparandi (§. 696.), cui reſpondet jus læſi ac adigendum lædentem, ut reparet damnum (§. 780.). Hoc jus læſo competere dicunt *in infinitum*, hoc eſt, donec ipſi ratione damni illati ſatisfactum fuerit.

§. 1080, *In ſtatum plenariæ ſecuritatis nos contra alium redegiſſe* dicimur, ſi illum eo reduxerimus, ut nocere nobis non poſſit, licet quam maxime velit.

§. 1081. Datur nobis jus connatum eo deſpiciendi, ne nobis damna inferantur (§. 782,). Hinc ſecundum multos jure gaudemus connato redigendi nos contra alterum nos læſurum in ſtatum plenariæ ſecuritatis (§, 1080,),

§. 1082, Adigere alterum ad reparationem damni eſt finis quidam (§, 510.), ad quem obtinendum læſo jus datur (§, 1079.), Jam cum exiſtentia finis absque exiſtentia remediorum concipi non poſſit (§, 512,), læſo competit jus utendi remediis, quibus lædentem ad reparationem damni adigere valeat. Notus eſt canon: qui habet jus ad finem, ad remedia arripienda jus habere debet (§. cit,). Qui enim habet jus ad unum connexorum, inſeparabiliter talium, habebit & jus ad alterum.

§, 1083.

§. 1083. Ex §§. 1081. 510. 512. eodem modo demonſtrari poteſt, nobis competere jus utendi remediis, quibus nos in ſtatum plenariæ ſecuritatis redigere poſſimus.

§. 1084. Remedia debent eſſe proportionata ſeu æqualia fini obtinendo (§. 510. 511.). Læſo itaque competit jus utendi remediis proportionatis ſeu æqualibus exiſtentiæ reparationis damni (§. 1082.). Id quod etiam de remediis intelligendum, quibus lædendus uti poteſt ad ſe in ſtatum plenariæ libertatis reſtituendum (§ 1083.). Remedia, quæ exiſtentiæ finis proportionata ſeu æqualia non ſunt, remediis annumerari non merentur (§. 511.).

§. 1085. Niſi removeantur impedimenta, neque remedia, neque fines propoſiti ad actum transferri poſſunt (§. 517.). Qui proinde habet jus transferendi finem aliquem ad actum & arripiendi remedia fini conſequendo proportionata, habeat neceſſe eſt & jus, removendi impedimenta.

Scholion. Cum impedimenti remotio ſit remedium conſequendi fines (§. 517.); nova vice patet, eum, qui jus ad finem habet, etiam ad remotionem impedimentorum jus habere.

§. 1086. Læſo competit jus removendi impedimenta, quæ ſibi in obtinenda reparatione damni & in uſu remediorum objiciuntur (§. 1085. 1079. 1084.). Id quod etiam valebit de lædendo, qui ſollicitus eſt de ſe in ſtatum plenariæ ſecuritatis reſtituendo (§. 1084. 1081.).

§. 1087. Occaſio agendi remediis annumeranda eſt (§. 527.). Læſo itaque competit jus arripiendi vel ſuſcitandi occaſionem, qua damni reparationem nanciſci poſſit (§. 1082. 526.). Idem intelligendum de eo, qui cogitat de ſe in ſtatum plenariæ ſecuritatis reſtituendo (§. 1083.).

§. 1088. Remedia proportionata, ad quæ arripienda læſo vel lædendo jus competit (§. 1084.), ſunt vel mitiora, vel duriora. Si remedium mitius non ſufficiat reparationi damnorum nobis illatorum, vel ſecuritati plenariæ conſequendæ, læſus vel lædendus ad durius remedium recurrere poteſt.



Digitized by Google

Hoc enim caſu remedium mitius proportionatum non eſt fini obtinendo.

§. 1089. Remediis ejusmodi durioribus annumerandum eſt bellum, cujus ſuſcipiendi jus competit læſo, vel lædendo, ſi remedium mitius non ſufficiat reparationi damni facti conſequendæ vel declinationi malorum imminentium (§. 1088.), & cujus cauſam juſtificam ſolam eſſe læſionem jam demonſtrabimus.

§. 1090. Jus naturale bellum aliis inferendi eſt facultas legibus naturalibus convenienter arripiendi ſtatum, quo conatu efficaci ferimur, aliis mala inferendi (§ 809.). Ergo jus belli naturale eſt facultas legibus naturalibus convenienter arripiendi ſtatum, quo quis alterum cogit (§. 579.). Jus proinde belli naturale eſt jus alios cogendi naturale. Quod cum non detur nobis a legibus naturalibus niſi contra eum, qui nos turbat in ejus fruitione, quod noſtrum eſt (§. 778.), jus belli naturale nobis non datur a LL. naturalibus, niſi contra violatorem eius, quod noſtrum eſt.

§. 1091. Suſceptio belli ob ſolam violationem ejus, quod noſtrum eſt majoriſque momenti, eſt actio legibus naturalibus conformis (§. 1090.), & ex conſequenti juſta (§. 797.).

§. 1092. Cauſa itaque juſta belli ſuſcipiendi nulla eſſe alia poteſt, niſi violatio τῦ ſuum cuique (§. 1091.). Jam cum violatio ejusmodi dicatur læſio ſeu injuria (§. 764.), *cauſa belli juſtifica*, quæ efficit, ut bellum habeatur pro juſto, ſola læſio ſtricte dicta eſt. Conf. *Grotii* J. B. P. §. 4. c. 2. L. III. Huc quadrant verba Phædrina. *illis revertor hoſtis, qui me læſerant.* Nec minus patet, cur in hoc argumento & *vis* & *metus* a juſtitia armorum denominentur. Metus quippe juſtus vel injuſtus dicitur intuitu vel ejus, qui eum alteri incutit, vel ejus, cui is incutitur. Prior caſus huc ſpectat, alter vero §. 1630. occurrit.

SCHOLION. A cauſis belli juſtificis probe diſtinguendæ ſunt *cauſæ belli ſuaſoriæ*, quæ non niſi repræſentatione commodorum nituntur.

§. 1093.

Digitized by Google

§. 1093. Bellum, quod abſque intuitu læſionis ſuſcipitur, juſtum non eſt (§. 1092.). Et *cauſa belli*, quæ læſione non nititur, *minus juſtifica* appellatur. Bella, quæ abſque intuitu læſionis ſuſcipiuntur *latrocinia* dicuntur.

§. 1094. Cum quibus (publice) bellum gerimus, *hoſtes* (*äuſſerliche Feinde*), & qui nobiſcum in pace externa, hoc eſt, in ſtatu, qui a bello vacuus eſt per Schol. I. §. 806. vivunt, *non-hoſtes* ſeu *amici in foro externo ſpectati* (*äuſſerliche Freunde*) dicuntur. Qui fictis belli cauſis innocentes opprimunt, *latrones* audiunt (§. 1093.), & titulo hoſtis indigni exiſtimantur.

§. 1095. Vnde patet, cur gentes infamia dignæ, non pro hoſtibus, ſed pro latronibus habeantur. (§. 1094. 1007. 1034. 1036.).

§. 1096. Cum quibus ita vivimus, ut alter alterum non lædat externe, illi reputandi pro non-hoſtibus ſeu pro amicis externis (§. 1094. 806.).

§. 1097. Cum quo ita vivimus, ut is tribuat nobis, quod noſtrum eſt, is non-hoſtis ſeu amicus externus cenſetur. (§. 1096. 767.).

§. 1098. Ex cujus actionibus juſtitia externa & expletrix elucet, eum pro amico externo habere fas eſt (§. 1097. 797. 799.).

§. 1099. Licet quis juſtitiæ internæ, & ex conſequenti benignitatis (§. 798.), & amoris erga nos (§. 794.), adeoque & amicitiæ internæ (§. 693.) expers ſit, ſi juſtitiam colat externam (§. 1098.); is pro amico tamen in foro externo ſeu pro non-hoſte habendus eſt.

§. 1100. Hinc aliquis nobis minus amicus vel inimicus eſſe poteſt, qui tamen eſt amicus externus ſeu non-hoſtis (§. 1099. 693.). Fieri enim poteſt, ut aliquis corde premat odium, & ex conſequenti inimicitiam (§. 693.), eamque in actus externos ob varias cauſas erumpere non patiatur. Diſtinguendus eſt, qui nobis minus amicus eſt, ab eo, qui inimicus nobis cenſetur, cum dentur, qui nos neque amant,

 neque

neque oderunt. Qui cum ad nos lædendos proclivis non ſit, pro hoſte non habetur. (§. 1094.).

§. 1101. Hoſtis alterius eſt is, qui conatu efficaci ei inferendi mala commovetur (§. 1094. 806.).

§. 1102. Odium eſt affectus & ex conſequenti averſatio vehementior (§. 158.), quæ, niſi impediatur, erumpit in actus externos (§. 508.). Hinc odium, adeoque & inimicitia alterius (§. 693.), ad actus externos, noſtræ felicitati infeſtos (§. 689.) prolabitur, niſi ea impediatur. Hinc inimicus ſemper fit hoſtis, niſi is quidem impedimento quodam retrænetur (§. 1101.).

§. 1103. Hinc in ſtatu inprimis naturali homini eo diſpiciendum, ut media in pace ſemper cogitet de armis, quibus inſtructus metum incutere poſſit inimicis, & ut ſollicitus ſit de parando ſibi auxilio aliorum, quo fultus par ſit periculo, a ſe propellendo.

§. 1104. In conatu certandi lædendus vel læſus non minus quam aggreſſor hoſtis dicitur (§. 1094.). Et ſi lædendus cum aggreſſore, vel læſus cum lædente certare nolit, hoſtis non eſt, (§. cit.), quia hoc caſu nullum datur certamen & bellum (§. 806.). Neque eodem caſu concipitur victoria, quæ bellum præponit.

§. 1105. Si fiat, ut invaſus in defenſione ſui non ex odio lædentis vel læſuri agat; invaſus quidem hoſtis eſt aggreſſoris (§. 1094.), minus tamen ei inimicus (§. 693.). *Huc referas brocardicum: Der Sache Feind, der Perſohn Freund.* Diſcrimen hoc Curtius l. 7. c. 10. §. 8. adnotavit, ubi Sogdiani captivi Alexandro victori ſic reſpondiſſe commemorantur: nunquam ſe *inimicos* ei, ſed bello laceſſitos, *hoſtes* fuiſſe.

§. 1106. Cum odium & conſequenter inimicitia (§. 693.) ab hoſte, ejusque actibus ſuſcipiendis ſeparatu vel impoſſibilis, vel minimum apprime difficilis videatur; odium, ejusque conſectaria, in nobis non minus quam in adverſariis aliisque oriri ſolita, paulo propius conſideremus. Si corollaria, quibus ſtipatur odium adverſus inimicos & hoſtes

inimica

Digitized by Google

inimica nobismet ipſis & funeſta deprehendantur, & ſi e contrario nobis non minus quam aliis magis proſpicere valeamus ab odio adverſus alios vacui, conſequentia utriusque generis vehementius nos commovebunt ad mittenda, vel ſaltem ad temperanda odia, quæ in animo noſtro ſuboriri poſſint.

§. 1107. Dominium odii conjicit nos in ſervitutem moralem (§. 165.), quæ ſtatus eſt ſummæ confuſionis, & in qua deſævimus in noſmet ipſos, quamque nos rationis uſu privare experimur. Judicia, ex odio profecta, perverſa ſunt & nos determinant ad arripienda remedia juſto duriora & nobis ſæpius ipſis oppido nociva. Niſi compeſcere ſcias odium, aliosque affectus ſocios, adverſarii, cum quo tibi res eſt, petulantiæ liberiori te tanquam mancipium committis & frequentius ad actus pudendos & pœnitendos delapſus vires ipſius adauges minuisque robur tuum. Hinc & ipſi adverſarii ſagaciores & maligni omnibus viribus eo contendunt, ut nos ad iram concitent, probe gnari, nos affectu turbulento jactatos præcipiti impetu ruere in perniciem noſtram. In ſtatu mentis perturbato, in quem nos affectus conjiciunt, vel nulla vel admodum infirma datur defenſio ſui. In conſiliis & actionibus hominis, qui affectibus occæcari ſe patitur, deprehendimus ſyſtema, in quo ſequuntur plura abſurda dato uno, & in cujus conditorem quadrant verba:

Deſtruit, ædificat, mutat quadrata rotundis.

§. 1108. Ex quibus ſat patebit, odium erga inimicos & hoſtes nobismet ipſis oppido detrimentoſum atque adeo ita comparatum eſſe, ut amplificatio ipſius utilitatis noſtræ externæ, *regulis politicis* attemperanda, nos determinare poſſit & debeat, ad odium erga inimicos omni, quo fieri poteſt, modo in nobis ſupprimendum. Plures cauſas easque prægnantes, ob quas animus ab odio liberandus eſt, doctrinæ ſubſequentes nobis ſuppeditabunt.

§ 1109. Cum *læſio* vel *præſens* vel *futura* ſeu *imminens* ſit, duplicem concipiemus cauſam belli juſtificam (§. 1092.),

nimirum læſionem vel illatam vel adhuc nobis perferendam ſeu imminentem.

§. 1110. Si alteri nos læſuro malum violentum eo animo inferre connitamur, ut læſionem imminentem a nobis avertere poſſimus, *nos defendere* dicimur, quatenus hic terminus arctius ſumatur.

§. 1111. Ex jure connato cogendi alterum nos læſurum, ne ab illo lædamur (§. 783.), concipimus jus connatum, alteri nos læſuro malum violentum inferendi eo animo, ut læſionem imminentem a nobis avertamus (§. 579.). Concipimus itaque jus *connatum belli lædendo competens contra invaſorem* (§. 809.), & quod alias dicitur jus *connatum defenſionis violentæ, ſtrictius ſumtæ* (§. 1110.).

§. 1112. Defenſio ſui violenta cum ſit bellum (§. 1111.), ejusmodi defenſionis cauſa juſtifica nulla alia niſi læſio eſſe poteſt (§. 1092.). Eandem cauſam eſſe læſionem imminentem, patet ex §. 1111.

§. 1113. Læſio imminens eſt vel certo certa vel probabiliter talis. Ad læſionem probabiliter imminentem requiruntur indicia, a quorum exiſtentia ad alterius conatum nos lædendi efficacem haud temere argumentamur (§. 109.).

§. 1114. Jus defenſionis locum habet contra nos læſurum (§. 1111.) & ex conſequenti contra eum, qui conatu fertur efficaci nos lædendi (§. 508.). Ad ejusmodi conatum ab indagatione & uſu remediorum, a cura removendi obſtacula, ab expectatione occaſionis, ab ejusque excitandæ ſollicitudine ſecure concludimus (§ 529.). Jus itaque defenſionis locum habet contra alterum, in quo animadvertimus indagationem & uſum remediorum, quibus malignum propoſitum in actum mittere connititur, curam removendi obſtacula, expectationem occaſionis nos lædendi, & ejus excitandæ ſollicitudinem.

§. 1115. Ad læſionem imminentem primus læſionis ſeu aggreſſionis actus referendus eſt. Jam cum jus defenſionis nobis detur ad læſionem imminentem a nobis avertendam

Digitized by Google

dam (§. 1111.), defenſor ſui non obligatur primum aggreſſionis actum expectare. Ex jure itaque defenſionis concipimus *jus præventionis*.

§. 1116. Defenſor eſt lædendus (§. 1110.). Hinc defenſori competit jus arripiendi remedia violenta, quæ proportionata ſunt læſioni imminenti a ſe avertendæ (§. 1084.). Remedia proinde defenſionis proportionata ſeu æqualia eſſe debent modo ex pendi ſe ex ſtatu, ubi ſibi mala haud levia metuenda ſunt, & conſequenter ex *periculo*, cui defenſor obnoxium ſe ſentit. Remedia proinde violenta & mala, quibus defenſor uti velit ad propulſanda mala, ſibi ab aggreſſore præparata, proportionata eſſe debent propulſationi periculi, in quod lædendus conjectum ſe deprehendit.

§. 1117. Ponas remedium, quod eſt æquale ſeu proportionatum propulſationi periculi, ſed inæquale remedio, quo aggreſſor utitur ad te lædendum; ponas aliud remedium, quod quidem eſt æquale remedio, quo invaſor in re violando uti velit, ſed minus proportionatum propulſando periculo; jure gaudes arripiendi prius remedium, quod eſt proportionatum ſeu æquale propulſationi periculorum, licet illud ſit inæquale remedio invaſoris (§. 1116.).

§. 1118. Ponas porro malum, quod eſt æquale ſeu proportionatum propulſationi malorum, quæ tibi aggreſſor vult infligere, ſed inæquale iisdem malis; ponas aliud malum, quod quidem eſt æquale malis, tibi ab invaſore expectandis, ſed minus proportionatum malis iisdem propulſandis; jure gaudet arripiendi prius malum, quod eſt proportionatum propulſationi malorum, licet illud iisdem malis, tibi aliis ſubeundis, ſit minus proportionatum (§. 1116.).

§. 1119. Dantur caſus quamplures in civitate & exercitu obvenientes, ubi pœnæ ſeu mala, quæ infliguntur delinquentibus, non cum malis, a delinquentibus profectis & in ſe ſpectatis, ſed cum periculo ſalutis & ſecuritatis publicæ comparanda veniunt. Quæ proportio inter pœnam ſuſpendii & rapam, a milite ablatam & in ſe ſpectatam? ſed juſti-

tiam legum militarium concipies, ſi factum militis cum periculo, in quod a violatione mandati conjicitur exercitus, comparaveris. Veritas hujus §. tanquam corollarium ex paragrapho præcedenti derivatur.

§. 1120. Malum, ex defenſione noſtri aliis non læſuris ſubnatum, damnum non eſt (§. 962.). Eadem propoſitio poteſt concipi ex §. 985. Hinc nos defendendo nemini injuriam facimus, neminem lædimus (§. 769.). Hinc defenſio non eſt aggreſſio (offenſio.).

§.1121. Ratio defenſionis violentæ deprehenditur in neceſſitate propulſandi læſionem imminentem (§.42.1110.). In quam neceſſitatem cum nos conjiciat invaſor ob læſionem imminentem, ab eo dependentem; ratio defenſionis violentæ ſuſceptæ deprehenditur in invaſore (§.42.). Invaſor itaque eſt cauſa ſuſceptionis defenſionis violentæ (§.202.). Ponas ipſa noſtri defenſione violari id, quod noſtrum eſt, ex defenſione oritur violatio ejus, quod noſtrum eſt (§ 955.). Jam cum cauſa cauſæ ſit etiam cauſa cauſati, invaſor eſt, cauſa ejusdem violationis ejus quod noſtrum eſt. Hoc proinde caſu ipſe invaſor violat id, quod noſtrum eſt (§ 202). Mala ex ejusmodi violatione orta ſunt damna (§. 769.), quæ ab invaſore reparanda veniunt (§.996.). *Mala* ergo *ex defenſione noſtri violenta nobis ſubnata, damna ſunt, ab invaſore reparanda.* Hinc facile eſt ad intelligendum, defenſionem noſtri violentam a reparatione damni & a ſatisfactione eſſe diſtinguendam (§.990. 991.).

§. 1122. Ex ſpecimine de imperio civili patebit, cur defenſio violenta, in rebus publicis contra aggreſſorem ſuſcepta, ſeparanda ſit a ſatisfactione ad pœnam.

§. 1123. Malum, tertio ex defenſione noſtri violenta ſubnatum, eſſe damnum, non a nobis, ſed ab invaſore reparandum, eodem modo demonſtrari poteſt, quo theſis §. 1121. evicta eſt.

§. 1124. Cum defenſio ſtricte dicta ſit ſpecies belli (§.1110.806.); dantur *bella*, quæ ſunt *defenſiva*, & quæ opponuntur

Digitized by Google

nuntur *bellis offenſivis*, quæ geruntur a ſtricte dictis lædentibus, vel a læſuris alios.

§. 1125. Bellum, quod geritur ab ejus generis lædente vel læſuro, juſtum non eſt (§. 1093.). Bellum ergo offenſivum juſtum non eſt (§. 1124.). Conf. *Gundlingii* J. N. G. c. IX. §. VI.

§. 1126. Si ad juſtitiam armorum reſpicias, de qua nos loquimur, facile nobis largieris, nullum bellum offenſivum poſſe eſſe juſtum per demonſtrata. Sed ſi velimus *bellum offenſivum* ſumere pro eo, quo quis prius altero gladium e vagina educit, illud pronunciandum eſt juſtum ratione læſi vel lædendi, cum §. 1115. demonſtraverimus præventionis juſtitiam, quo caſu præveniens, cum læſus vel lædendus ſit, nunquam evaſurus eſt aggreſſor, nec is, quem prævenimus, dici impetitus meretur. Defenſorem enim ſui, qua talem, non oportere expectare primum ictum, evicimus (§. 1115.).

§. 1127. Bellum ſuſcipi poteſt vel ad reparationem damni conſequendam, vel ad læſionem imminentem a nobis avertendam (§. 1092. 1109. 1089.). Bellum itaque eo tendit, vel ut damni illati exiſtentia ceſſet (§. 990.), hoc eſt, ut læſio evaneſcat, vel ne læſio imminens exiſtentiam nanciſcatur. In utroque igitur caſu ſuſceptio belli eo tendere debet, ut belligerantes perveniant in ejusmodi ſtatum, ubi læſiones ceſſant. Ceſſante læſione, ceſſat cauſa belli juſtifica (§. 1092.), & conſequenter juſta belli continuatio. Bellum itaque eo tendit, ut belligerantes perveniant in ſtatum a bello vacuum. Qui cum dicatur pax per Schol. I. §. 806.; bellum non alium in finem arripiendum, quam ut pax vel firmetur, vel reconcilietur.

§. 1128. Vnde perſpicimus, bellum eſſe remedium pacis firmandæ vel reconciliandæ, tanquam finis obtinendi (§. 510. 511.). Hinc licet quis media in pace de armis cogitare poſſit & debeat (§. 1103.), ejusmodi tamen ſtudium armorum ad pacem externam conſervandam & amplificandam comparatum eſſe debet.



Digitized by Google

§. 1129. Sic medio in bello de pace tanquam illius fine, & media in pace de bello, tanquam de remedio extremo illius conſervandæ cogitandum eſt.

§. 1130. Ceſſante cauſa, ceſſat effectus. Ceſſante cauſa belli juſtifica, ceſſat belli juſtitia. Jam cum læſio ſit cauſa belli juſtifica (§. 1092.), ceſſante læſione ceſſat juſtitia belli. Hinc ceſſante læſione imminente, ceſſat defenſionis juſtitia (§. 1112.), & ceſſante læſione illata, ceſſat juſtitia belli, ob damnum factum ſuſcipiendi vel ſuſcepti. Jam cum læſio imminens ceſſet, ſi lædendo cautio damni infecti præſtita fuerit, vel ſi lædendus alio modo in ſtatum plenariæ libertatis ſe redegerit (§. 1080.); hoc caſu ceſſabit defenſionis ſuſcipiendæ juſtitia. Et cum porro damnum factum ceſſet, ſi illud reparatum fuerit, vel ſi cautionem ſufficientem de eo reparando lædens læſo præſtiterit (§. 990.), ceſſabit & læſio (§. 769.) & ex conſequenti cauſa belli vel ſuſcepti vel ſuſcipiendi juſtifica (§. 1092.). Ponas ſub hiſce conditionibus bellum ſuſcipi vel protrahi, bellum ejusmodi ſuſcipiendum vel protractum erit injuſtum (§. 1093.).

§. 1131. Sic intelligimus, quo pacto ex lædendo vel ex læſo fiat læſurus vel lædens, ex invaſo aggreſſor, ex defenſione aggreſſio & quæ reliqua.

§. 1132. Jure gaudemus, eo deſpiciendi ne lædamur (§. 782.). Læſio eſt finis adverſarii (§. 510.). Jure itaque gaudemus, eo deſpiciendi, ne adverſarius fine ſuo potiatur. Qui habet jus impediendi finem, habebit & jus infringendi remedia (§. 511.). Ponas alterum autoritate, qua apud alios pollet, tibi nocere velle, tibi competit jus, infringendi ejus autoritatem, hujusque abuſum demonſtrandi.

§. 1133. Jure gaudemus præſcindendi occaſionem, quam adverſarius in conatu nos lædendi vel expectat, vel ſuſcitare connititur (§. 1132. 527.).

§. 1134. Qui adjuvat hoſtem noſtrum, qua hoſtem, is eum participem reddit virium ſuarum in læſione nobis inferenda (§. 720.), & ex conſequenti viribus ſuis utitur ad nos

læden-

lædendos. Qui viribus ſuis utitur ad nos lædendos, is fertur conatu efficaci nos lædendi (§. 545.), nobisque damna, & conſequenter mala inferendi (§. 769.). Qui itaque hoſtem noſtrum, qua talem, adjuvat, is fertur conatu efficaci nobis inferendi mala, & ex conſequenti hoſtis eſt (§. 1101.).

§. 1135. Qui adjuvat hoſtem noſtrum, commovetur conatu efficaci nos lædendi (§. 1134.), qui tendit ad finem exiſtentiæ reddendum (§. 513.), hoc eſt, ad læſionem effectui dandam (§. 510.). Ejusmodi læſio, quæ eſt cauſa belli juſtifica (§. 1092.), eſt vel imminens vel in actum miſſa. Priori caſu contra eum, qui adjuvat hoſtem noſtrum, datur jus defenſionis (§. 111.), poſteriori vero jus læſi in lædendem ad reparationem damni (§. 1079.).

§. 1136. Qui adjuvat hoſtem noſtrum, nos læſnrum, is eum participem facit virium ſuarum in læſione nobis inferenda (§. 720.). Auxilio ejusmodi viribus adverſarii noſtri novæ vires accedunt. Quæ acceſſio efficit, ut vis adverſarii auctior & periculum læſionis imminentis majus fiat. Jam cum defenſori competat jus arripiendi remedia proportionata propulſationi periculorum, ſibi imminentium, licet ea ſint inæqualia remediis invaſoris (§ 1117.), eidem & tribuendum jus arripiendi remedia proportionata viribus auxiliatricibus frangendis & conterendis, licet ea ſint inæqualia remedio auxiliatoris.

§. 1137. Loquimur hic de auxilio, quod fertur hoſti, qua tali, hoc eſt, quo periculum noſtrum augetur. Si quis hoſtem noſtrum, non in læſione nobis inferenda, ſed in aliis rebus, periculum noſtrum non augentibus, participem efficiat virium ſuarum; is non pro adjutore ſeu ſocio hoſtis, qua talis, habendus eſt. Hoc caſu nulla adeſt læſio, neque adeo cauſa belli juſtifica (§. 1092.).

§. 1138. Hoſtis, cui auxilium fertur & adjutor repræſentant unicam perſonam in nobis lædendis (§. 725.). Ergo uterque tanquam unicus hoſtis, & eorum vires tanquam vis communis & unica conſiderantur (§. 726.).



Digitized by Google

§. 1139. Qui nos impedit, quo minus jure defenſionis vel jure læſi in lædentem uti poſſimus, is nos lædit (§. 787.) & nobis dat cauſam belli juſtificam (§. 1092.).

§. 1140. *Remedium*, quod *proportionatum ſeu æquale* eſt *propulſationi periculorum ſeu malorum imminentium*, nec minus nec majus eſſe poteſt propulſatione periculorum vel malorum (§. 892.). Si vero poſueris, lædendo ſuppetere duo remedia, quorum alterum mitius, alterum vero durius videatur, remedium poſterius erit majus propulſatione periculi vel mali, & ex conſequenti minus proportionatum propulſationi periculorum vel malorum. Lædendus itaque nullo gaudet jure præferendi remedium durius mitiori (§. 1117. 1118.).

§. 1141. Qui intuitu læſionis metuendæ remedium durius mitiori præfert, is ſine jure agit (§. 1140.), & conſequenter alterum lædit, per Schol. II. §. 794. Enimvero cum ad evitandas læſiones obligemur (§. 768.); Lædendus obligatur ad remedium mitius duriori & acerbiori præferendum, ſi remedio violento uti velit.

§. 1142. Læſo competit jus utendi remediis proportionatis reparationi damni conſequendæ (§. 1184.). Læſum proinde nullo jure gaudere præferendi remedium durius mitiori, atque adeo ad remedium mitius duriori anteponendum obligari, eodem modo demonſtrari poteſt, quo id factum eſt de lædendo §. 1140. 1141.

§. 1143. Qui non niſi remedio proportionato propulſationi periculorum vel malorum utitur, *defenſionis terminos obſervare* dicitur. Obligatio ad cuſtodiendos defenſionis limites patet ex §. 1116.

§. 1144. Qui in ſe defendendo remedium durius mitiori conſulto præfert, defenſionis terminos violat (§. 1143. 1140.).

§. 1145. Odium noſtro ſenſu eſt conatus efficax, isque vehemens, promovendi alterius infelicitatem (§. 707.). Qui proinde ex odio adverſus alterum agit, ipſo opere promovebit alterius infelicitatem, niſi impedimentum obſtet

(§. 507.

Digitized by Google

(§. 507. 508.),& ex conſequenti turbabit alterum in uſu bonorum, quibus eum inſtructum jamjam deprehendit, & in quibus is felicitatem ſuam verti exiſtimat. Qui itaque ex odio adverſus alios agit, is data occaſione violabit τὸ ſuum cuique (§. 750.),& abſtinentiam alieni (§.751.),nec minus lædet alios (§. 767.),eis damna inferet (§. 769.), exercebit injuſtitiam externam (§.801.) & ad colendam pacem externam ineptus erit (§. 806. 807.).

§. 1146. Vnde patet, eum, qui odio fertur adverſus hoſtem, medio in bello non de pace tanquam illius fine, ſed potius de bello, in infinitum protrahendo, maxime ſollicitum eſſe (§. 1129.).

§. 1147. Qui remedium durius & acerbius præfert mitiori in ſui defenſione, is violat obligationem, ſeu officium naturale externum erga alterum (§. 1141. 477.), & ex conſequenti eum lædit (§.764.). Jam cum is, qui in ſe defendendo remedium acerbius mitiori præfert, ex terminis defenſionis egrediatur (§. 1144.), qui violat ejusmodi limites, alterum lædit. Notemus hunc novum caſum, quo defenſio in aggreſſionem & læſionem abeat. Conf. §. 1131.

§. 1148. Qui in defenſione ſui ex odio adverſus hoſtem agit, remedium durius, quin, pro gradu odii, acerbiſſimum præferet leniori malo ſatis proportionato periculo imminenti (§. 707.), adeoque & terminos defenſionis violabit (§. 1144.),& hoſtem lædet, & ad actus crudeles prolabetur, ſi occaſio ſibi præſentata fuerit (§. 1147.).

§. 1149, Ex §§. 1145. 1146. 1148. patebunt nova, eaque funeſta conſectaria odii, quo hoſtes proſequimur. Conf. §, 1106. 1107. 1108.

§. 1150. IRA eſt triſtitia ex alterius injuria in nobis coorta, conjuncta cum odio. TERROR eſt ſubitanea, eaque intenſior triſtitia, quam ex malo inopinato concipimus. Ex terroris gradu adeo vehementi, ut in perceptionibus noſtris diſtinguere nihil valeamus, oritur CONSTERNATIO.

§. 1151. Si quis ab aliquo ex improviſo exponatur periculo

culo graviori, e.gr. vitæ, facillime fieri poteſt, ut ira, terrore, conſternatione (§. 1150.), aliisque affectibus ſociis corripiatur, atque adeo extraordinariæ ſanguinis & fluidi nervei commotioni, præter omnem opinionem ſubjiciatur (§. 162.). Quo caſu is conjicitur ab aggreſſore in ſummam mentis confuſionem, quæ impedit, quo minus attentus (§. 49.) eſſe poſſit ad terminos defenſionis dijudicandos & cuſtodiendos (§. 1143.). Ponas itaque defenſorem ſub hiſce conditionibus egreſſum eſſe limitibus defenſionis, illud non defenſori, ſed aggreſſori ad eſſe imputandum patet ex §. 597. Eodem caſu defenſor ad infirmitatem humanam jure provocare poteſt (§. 591. 592.). Et cum impetitus ſub hac hypotheſi intellectus & rationis uſu, ſaltim ad tempus, privetur, & conſequenter in ſtatum animalitatis conjiciatur; aggreſſor ſibi imputet conſectaria funeſta, ex actionibus ferocioribus impetiti, qua animalis, ſibi ſubnata (§. 597.).

§. 1152. Præterea transgreſſio defenſionis terminorum imputabilis ita comparata eſſe debet, ut ea referenda ſit ad voluntatem defenſoris efficacem, vel directam, vel indirectam, ſeu ad ejus propoſitum aggreſſori plus damni, quam par eſt inferendi (§. 572. 509. 1144.). Transgreſſio itaque ejusmodi limitum, ex propoſito lædendi directo vel indirecto non profecta, defenſori imputari neſcit.

§. 1153. Quo majus periculum nobis imminet & quo obtentu difficilius auxilium aliorum eſt, eo laxiores ſunt termini defenſionis, & eo levior eorum transgreſſionis imputatio. Vnde concipimus cur in ſtatu civili, ubi auxilium magiſtratus implorare & poſſumus, & obligamur, termini defenſionis anguſtiores ſint, & cur major eorundem transgreſſionis imputatio exiſtat, quam in ſtatu naturali.

§. 1154. Si quis ſub fictitiis & ſpecioſis bonorum vel malorum repræſentationibus alterum ad agendum determinet, *dolo* latiori ſenſu dicto is uti dicitur. Actiones ſunt vel commiſſivæ vel omiſſivæ. Dupliciter itaque dolus iſte adhiberi poteſt.

§. 1155.

Digitized by Google

§. 1155. Fictitiæ & ſpecioſæ bonorum vel malorum repræſentationes alteri factæ, ſunt actus ſimulati (§. 1065.). Dolus proinde noſter eſt actus ſimulatus (§. 1154.).

§. 1156. Dolus ille eſt actus ſimulatus (§. 1155.). Dolus itaque licitus, immo præceptus eſt, ſine quo conſervationem noſtri aliorumve promovere non poſſumus (§. 1066.). Ejusmodi DOLVS BONVS dicitur.

§. 1157. *Dolus malus* vocatur, qui copulatus eſt cum violatione τȣ̃ ſuum cuique.

§. 1158. Si dolus ſit remedium proportionatum propulſationi periculorum vel reparationi damnorum conſequendæ, defenſori vel læſo jus competit, eodem utendi (§. 1084.), præcipue ſi nullum remedium mitius ſuppetat (§. 1141.). Ejusmodi dolum eſſe bonum, patet ex § 1156.

§. 1159. Si dolus fuerit remedium proportionatum propellendo periculo vel reparationi damnorum conſequendæ, non erit, cur defenſor vel læſus ad vim apertam ſeu bellum (§. 806.) confugiat (§. 1141. 1142.).

§. 1160. Nec ullum dubium eſt, quin medio in bello ſtrategematibus belligerantes uti poſſint.

§. 1161. In ardua hac materia ea, quæ nobis obſervanda veniunt vel in ipſa defenſione vel in violenta coactione lædentis ad reparandum damnum, diſtinguenda ſunt ab iis, quibus uti poſſumus ante defenſionis ſuſceptionem, vel ante violentam coactionem lædentis ad damni reparationem.

§. 1162. Hinc remedia proportionata, quibus defenſor, qua talis, in actu defenſionis, vel læſus in reparatione damni extorquenda uti poteſt, ſunt diſcriminanda a remediis agendique modis, quorum uſum nobis ſuadent prudentia & juſtitia interna ante exiſtentiam articuli defenſionis, vel poſt damni alicujus perpeſſionem.

De remediis prioris generis §. 1116. 1117. 1118. diximus; ſed opus eſt, ut & pauca de iis, quæ ad alterum eorum genus ſpectant, proferamus.

§. 1163. Dantur læſiones, quæ graviores ſunt, ſi vel damnum

damnum emergens inde oriundum vel lucrum ceſſans ſeu conſectaria futura, eaque funeſta, quæ inde deſcendunt (§. 986, 987.), vel damni inſignis reparandi impoſſibilitatem (§. 991.) ſpectaveris. Ad ferendas ejusmodi læſiones quæ vel interitum vel calamitoſam vitæ transactionem nobis minitantur, nulla datur obligatio, ſi vel forum externum, vel cæteroquin tribunal rationis conſideraveris (§. 665. 687. 738)

§. 1164. Si quis itaque in eo jam ſit, ut nobis ejusmodi læſionem inferat, nec ullum aliud remedium eam avertendi nobis ſuperſit, quam defenſio violenta; hoc caſu extra omnem controverſiam in foro interno non minus quam externo nobis competit jus defenſionis (§. 1111.), & jus arripiendi remedia quævis, propulſando periculo proportionata (§. 1116. ſqq.). Præterea etiam vera hic deprehenditur contradictio regularum, quibus aliorum non minus quam noſtri converſationem attemperare obligamur (§. 609.). Hinc exceptio ita eſt facienda, ut officia erga nos præferantur officiis erga alios (§. 719.).

§. 1165. Crudelis eſſet in ſe ipſum, ſi ejusmodi ſibi læſiones infligi pateretur.

§. 1166. *Læſio levis* eſt actio, qua id, quod alterius eſt, parum violatur (§. 767.). Ejusmodi læſiones dantur ratione læſi vel lædendi, ſi eæ vel ſpectentur in ſe, vel nullis conſectariis moleſtis ſtipentur (§. 987.). Vtrum læſio ſit levis, ex conditione læſi vel lædendi dijudicandum.

§. 1167. Obligamur vel in rebus exiguis ſuum cuique tribuere (§. 750.), & ex conſequenti omittere actiones, quibus id, quod alterius eſt, vel in re minima violatur. Datur itaque obligatio naturalis abſtinendi a læſionibus & damnis vel levioris momenti (§. 1166.), eademque illata reparandi (§. 996.). Cui obligationi reſpondet jus, quod læſo vel lædendo competit, adigendi lædentem, ut damnum ejusmodi reparet (§. 1079.), vel refrænandi nos læſurum ab illatione damni.

§. 1168.

Digitized by Google

§. 1168. Ex eadem obligatione abſtinendi a læſionibus levioribus, alteri, cui imminet læſio, oritur jus eo diſpiciendi, ne lædatur in minimis (§. 782.).

§. 1169. Declarare, ſe nolle uti jure ſuo dicitur *remittere jus ſuum.* Virtus, quæ prona eſt ad remittendum jus, ſibi competens, pacis aut humanitatis cauſa, appellatur FACILITAS: quæ notio Grotiana eſt. Ad facilitatem nemo cogi poteſt (§. 736.).

§. 1170. *Prudentia* eſt habitus remedia, ſapienter electa cum ſucceſſu expediendi.

*Prudentia* dicitur *politica,* quæ tendit ad remedia, effectui danda, quibus utilitas noſtra externa in commercio humano amplificari poſſit. Qui de amplificanda utilitate externa ſollicitus eſt, ei omnis cura in evitandis detrimentis ponenda eſt. Hæc itaque virtus *ſolertia & cautione* abſolvitur, & ſpecies eſt virtutis naturalis generaliter ſumtæ (§. 851.), ad quam colendam a natura & ratione obligamur (§. 340.).

§. 1171. Prudentia præponit ſapientiam (§. 1170.) & conſequenter finem formatum (§. 789.), ad quem obtinendum remedia tendunt.

§. 1172. Sapiens nihil fruſtra facit, viam compendiariam & faciliorem præfert viæ prolixiori & difficiliori, abſtinetque a ſuperfluo (§. 789.). Quæ etiam in prudentem cadunt (§. 1171.).

§. 1173. Sapientia eſt ſcientia felicitatis (§. 792.). Prudentia ergo ejusmodi remedia effectui dare connititur, quibus felicitas noſtra promoveri poſſit (§. 1171.).

§. 1174. Vtile eſt bonum (§. 141.). Datur utile verum, datur & apparens (§. 143. 144.).

§. 1175. Felicitas eſt ſtatus gaudii durabilis (§. 368.). Gaudium durabile eſt voluptatis durabilis gradus inſignior (§. 367.). Voluptas durabilis eſt vera voluptas (§. 134.). quæ perfectione vera nititur (§. 132.). Felicitas itaque eſt ſtatus ubi perfectionibus & ex conſequenti bonis veris (§. 144.) fruimur.



Digitized by Google

fruimur. Jam cum prudentia ejusmodi remedia effectui dare connitatur, quibus felicitas noſtra promoveri poſſit (§. 1173.); eadem virtus non niſi bonum verum & ex conſequenti utile verum & durabile ſectatur (§. 1174.). Tanta vis eſt honeſti, ut ſpeciem utilitatis obſcuret. *Cicero* Off. c. IX. L. III.

§. 1176. Prudens incommoda & detrimenta vera evitare connititur (§. 1170. 1175.).

§. 1177. Homines prudentes anteponunt malum minus malo majori (§. 150.), & perpetiuntur incommodum, quod majus ſequitur commodum (§. 151.) & cujus perpeſſio efficit, ut incommoda longe duriora effugiant (§. 1175.). Reflectas ad fabulam Phædrinam de calvo & muſca. Huc referas illud: *Etwas für die Diebe und Spitzbuben.*

§. 1178. Si itaque fiat, ut ex uſu & perſecutione juris noſtri naturalis vel jactura commodorum major vel duriora incommoda alia enaſcantur, quam ex non-uſu ejusmodi jurium, prudentiæ politicæ leges exigunt, ut jus noſtrum remittamus (§. 1177. 1169.).

§. 1179. Dantur læſiones ſat graves, quæ e. gr. a populo longe potentiore alteri vel parantur, vel jamjam illatæ ſunt, quarum tamen perpeſſionem, diſſimulationem & remiſſionem prudentia politica ſuadet ob longe majores injurias, quæ provocarentur, ſi is vel eas a ſe avertere, vel earum reparationem vi aperta exigere conniteretur (§. 1177.). Qui in ejusmodi caſu ad arma confugit, quorum omnino jure gaudet, is non ſtatim quidem in foro externo, contra rationis tamen dictamen peccaſſe exiſtimandus eſt. Defenſio enim ejusmodi ipſi defenſori detrimentoſa eſſet, quæ defenſionis nomen non meretur, ſi rem ad rationis normam æſtimemus (§. 1110.), licet in foro externo pro tali habeatur, ubi quippe ad prudentiæ politicæ regulas obſervandas nemo cogitur.

§. 1180. Juſtus interne talis non ſuam ſolum, ſed & aliorum felicitatem conſervare & amplificare connititur (§. 802. 689.).

Digitized by Google

689.). Prudentia itaque politica, qua utitur juſtus, ejusmodi remedia effectui dare connititur, quibus & ipſius & aliorum felicitas promoveri poſſit (§. 1173.). Hinc juſtus interne talis, de aliorum non minus quam de ſui conſervatione in ſe defendendo ſollicitus eſt.

§. 1181. Licet non obligemur aggreſſori ad perferendas injurias leviores (§. 1167.), nec ullus in ſtatu libertatis detur, qui nos cogere poſſit ad earum perpeſſionem (§. 917. 918.); tamen juſtitia interna (§. 1180.), prudentia (1177.), quin & cultus pacis externæ nos commovere poſſunt, ut hoc caſu remittamus jus noſtrum (§. 1169.) & ejusmodi damna toleremus.

§. 1182. Hinc ejusmodi læſiones modicæ cauſis belli juſtificis accenſeri in ſphæra rationis non merentur.

§. 1183. Dantur caſus, ubi nobis innoteſcit alterius propoſitum nobis nocendi & ubi remedium nobis ſuppetit, quo absque detrimento, ipſi inferendo, impedire poſſumus, quo minus læſionem in actum mittere valeat, juſtitia interna nos obligat ad arripiendum illud remedium, quo & nos & alterum conſervare poſſimus (§. 1180.).

§. 1184. Ejusmodi remedia efficiunt, ut nobis plane non opus ſit defenſione. Conf. §. 1161. 1162. Si dentur, quibus magis proficuum videatur expectare aggreſſorem, ut occaſionem nanciſcantur eum, quo ſe valentiores ſentiunt, malis durioribus mactandi vel conjiciendi in extremam perniciem, peccant hi contra juſtitiam internam (§. 1180.).

§. 1185. Nec deſunt inimici, qui ne injuſti videantur, occaſionem ſeu prætextum quærunt, quo dato liberius nos lædere poſſint. Hoc caſu omnis navanda nobis erit opera, ut ne culpa noſtra nanciſcantur ejusmodi occaſionem, quam impatienter expectant, quam tecte ſuſcitare ſtudent inimici. Ad hanc cautionem adhibendam nos ſtimulabit prudentia politica, qua juſtus interne talis utitur (§. 1180.).



Digitized by Google

§. 1186. Sunt, qui vel ex odio erga inimicum, vel ex haud levioribus, quæ ſibi fingunt, commodis permittunt libentius, ut inimicus nanciſcatur ejusmodi, quem quæſivit, obtentum, non alium in finem, quam ut ipſis eo melior offeratur occaſio, alterius vel interitum vel miſerrimam vitæ transactionem promovendi.

§. 1187. Ejusmodi agendi rationem tribuunt *prudentiæ politicæ*, quæ tamen, cum juſtitiæ internæ repugnet (§. 1180.) pro *bracteata* & *ſpuria* merito habetur, idque ob conſectaria funeſta, quæ perpeſſi ſunt ii, qui illius legibus actiones ſuas attemperarunt.

§. 1188. Ad id, quod noſtrum connatum eſt, pertinent anima, corpus, utriusque unio, membrorumque corporis integritas (§. 747. 749.).

§. 1189. Aggreſſio, quæ ſeparationem corporis ab anima, hoc eſt, *mortem*, ſeu *jacturam vitæ*, vulnerationem & mutilationem membrorum corporis, illiusve morbos nobis minitatur, eſt violatio imminens eorum, quæ ad noſtrum connatum pertinent (§. 1188.), & ex conſequenti læſio imminens (§. 767.), ad quam a nobis avertendam in quocunque foro nobis competit jus defenſionis violentæ, & jus arripiendi quævis remedia, propulſandis ejusmodi periculis proportionata (§. 1164.).

§. 1190. Hoc itaque caſu, ſi nullum aliud remedium proportionatum in vaſo ſuppetat, niſi vel vulneratio, vel mutilatio corporis, vel interfectio aggreſſoris, jure is gaudet aggreſſoris corpus vel vulnerandi vel mutilandi vel eum interficiendi (§. 1189.).

§. 1191. Defenſio corporis & vitæ dicitur *moderamen inculpatæ tutelæ (die Noth-Wehre)*. Quæcunque §. 1111. ſeq. de defenſione, ejusque jure, remediis & limitibus demonſtravimus, ad moderamen inculpatæ tutelæ, tanquam defenſionis ſpeciem, transferenda ſunt.

§. 1192. Si quis expectat aggreſſorem, & propoſitiones

§. 1183.

Digitized by Google

§. 1183. 1185. demonſtratas negligat, in foro omnino rationis peccare exiſtimandus eſt (§. 1191.).

§. 1193. Fuga & regreſſus vel invaſum nihil juvat, vel eum ex periculo eripit, vel periculum ejus adauget. Priori caſu nulla ſubeſt cauſa, cur invaſus fuga vel regreſſu velit ſibi conſulere, alter caſus ex §. 1183. & ultimus ex §. 1084. decidendus eſt.

§. 1194. Si qui ſunt, qui in actu defenſionis armorum paritatem exigant, §. 1117. conſiderent.

§. 1195. Si vulneretur vel mutiletur membrum corporis, oritur in parte illius mutatio mala, quæ reliquas corporis partes & animam non minus quam ipſam corporis machinam afficit (§. 682.), unde dolores aliaque moleſtiſſima conſectaria, progreſſu ſaltem temporis, ſæpius metuenda ſunt (§ 683.), ad quæ evitanda obligamur (§. 684.). Vnde non video, cur non membra corporis noſtri vel cum internecione aggreſſoris, defendi poſſint (§. 1163. 1164.), præcipue cum vulnera corporis in conflictu hoſtili ad menſuram non dentur (§. 989.), nec damnum inde ortum reparari poſſit (§. 991.).

§. 1196. Sunt qui in cruenta membrorum corporis defenſione vulnus vel jacturam unius membri defenſoris & cædem invaſoris inter ſe comparant; ſed jure gaudemus arripiendi malum, quod eſt proportionatum propulſationi malorum, licet illud iisdem malis, nobis alias ſubeundis, ſit minus proportionatum, præſertim cum hæc nobis non ſemper nota ſunt (§. 1118.). Conf. §. XIV. & XV. J. Nat. GVNDLINGII.

§. 1197. Compreſſio virginis eſt læſio (§. 1077.) eademque graviſſima, ſi reſpexeris vel faſtidium virginis, cum ejusmodi congreſſu venereo violento copulatum, vel ad imprægnationem, geſtationem & excluſionem partus, ejusque educandi onus, vel ad jacturam ejus, cujus rationem mares in contrahendo matrimonio communiter habere ſolent, vel ad inde labefactatam ſpem nanciſcendi maritum, vel ad alia

conſectaria, quæ pro ratione circumſtantiarum triſtia eſſe poſſunt, quorſum referes maxime mortem ob vehementiores adfectus, hac in re excitatos, facile metuendam. Nec deerunt alia argumenta, quæ ex indole matrimonii, ad rationis dictamen conformandi, derivari poſſint, cum ejusmodi congreſſus ad procreationem & educationem ſobolis, & ex conſequenti ad ſocietatem conjugalem ineundam tendere debeat, ſi rationem & ei attemperatam naturam ſequi velimus.

§. 1198. Si fœmina fuerit maritata vel vidua, congreſſus venereus violentus iisdem fere conſectariis, ſi pauca excipias, quin novis ſat gravibus incommodis ſtipatur.

§. 1199. Virgini, fœminæ maritatæ & viduæ jus defendendi pudicitiam ob adlatas cauſſas, vel cum internecione aggreſſoris, concedenda eſt (§. 1197. 1198. 1164.).

§. 1200. Falluntur, qui in fœminis conceſſo jure defendendi pudicitiam cædem aggreſſoris cum damno minoris momenti, quod perpetiuntur fœminæ, comparant (§. 1118.).

§. 1201. Ob §. 1112. cauſæ defenſionis, licet non ſtatim violentæ, juſtificæ ſunt, ſi quis connitatur in ſtatu naturali infringere æqualitatem externam & ratione imperii & ordinis (§. 907.), & libertatem naturalem (§. 944.); ſi quis jura naturalia, nobis competentia, violet, vel nos impediat, quo minus iisdem uti poſſimus (§. 787.); ſi quis re ſua ita uti velit, ut inde violetur id, quod noſtrum eſt (§. 969.); ſi quis damnum nobis directe infligere ſatagat (§. 981.); ſi quis damnum nobis inferre velit, quod in ſe ſpectatum levius, ſed conſectariis gravioribus ſtipatum eſt (§. 987.); ſi quis famam noſtram violare connitatur (§. 1053.); ſi quis alterum cogere connitatur ad officia amoris & benignitatis (per Schol. II. §. 794.); ſi quis alterum impedit, quo minus is jure defenſionis uti poſſit (§. 1139.); ſi quis alterum in fruitione boni jucundi turbet, vel ei illud eripere contendat (§. 1072.); ſi quis hoſtem, qua talem, adjuvare tenetur (§. 1135.);

Digitized by Google

(§. 1135.); ſi animadvertatur in aliquo indagatio & uſus remediorum, quibus malignum propoſitum ſuum in actum mittere poſſit, & cura removendi obſtacula & ſuſcitationem occaſionis (§. 1114.); ſi quis alterum in exercitio religionis turbare connitatur (§ 1202.).

SCHOLION I. Hæ ſunt cauſæ defenſionis juſtificæ, quæ oriuntur ex violatione metuenda SVI CONNATI. Inferius & aliæ obvenient, ex violatione SVI ACQVISITI ſubnaſci ſolitæ.

SCHOLION II. Eædem cauſæ ſunt etiam cauſæ diſceptationis, conquerendi de altero, & conſequenter ad formandum gravamen juſtificæ.

§. 1202. Religio ad id, quod noſtrum eſt, pertinet (§. 836. 747.). Qui itaque alterum turbat in exercitio religionis, is eum lædit (§. 767.), Turbatio itaque imminens in exercitio religionis noſtræ eſt cauſa defenſionis juſtifica (§. 1112.).

§. 1203. Si quis profitetur religionem, a noſtra diverſam, is nos non turbat in eo, quod noſtrum eſt (§. 836. 747.), & ex conſequenti nos non lædit (§. 767.). Diverſitas itaque religionis non eſt læſio.

SCHOLION. Idem eſt in genere ſtatuendum de ſolo non-conſenſu, item de diſſenſu absque convicio.

§ 1204. Si convertas læſiones imminentes graviores, §. 1201. enumeratas, in læſiones jamjam illatas, habebis cauſas belli juſtificas (§. 1092. 1109.), ad reparationem damni vel ad ſatisfactionem conſequendam tendentes (§. 1079. 991.). Huc referas violationem famæ & exiſtimationis noſtræ ſimplicis (§. 1050.), contemtum noſtri externum (§. 1059.), calumnias & contumelias (§ 1068.), & aliorum actus, quibus nos impediunt, quo minus jure læſi in lædentem uti poſſimus (§. 1139.).

§. 1205. Vi §. 1093. *cauſæ belli minus juſtificæ* ſunt actiones legibus ſtrictis non repugnantes (§. 765.), actus τὸ ſuum cui-

que non violantes (§. 767.), denegatio officiorum amoris, humanitatis, auxilii aliis ferendi (§. 766.), animus ingratus simplex (§. cit.), mala ex neglectu officiorum amoris & ex recuſatione auxilii alteri orta (§. 771.), uſus & non-uſus juris noſtri (§. 784. 785.), neglectio benignitatis erga alium (§. 795.) & juſtitiæ internæ (§. 804.), defectus pietatis (§. 847. 1090.), malum, cujus exiſtentiæ ratio in alterius violatione τοῦ noſtrum non deprehenditur (§. 961.), malum, quod quis ſua culpa ſentit (§. 962.), uſus rerum noſtrarum τὸ ſuum cuique non violans (§ 970.), malum alteri ex noſtro facto legitimo vel non injuſto natum (§. 973.), interceptio ejus, ad quod alteri in ſtatu naturali nullum jus competit (§. 977.), conſervatio noſtri & incrementum legitimum (§. 973. 978.), damnum, quod in conſequentiam venit (§ 983.), commiſſio vel omiſſio actus indifferentis (§. 984.), mala alteri orta ex cuſtodia officii noſtri vel ex actionibus, juſtitiæ internæ attemperatis (§. 985.), damna caſualia (§. 988.), ſimulationes, diſſimulationes, reſervationes mentales, quibus τὸ ſuum cuique non violatur (§. 1069.), libelli ſatyrici (§. 1070.), ſolus non-conſenſus, vel diſſenſus abſque convicio, per Schol §. 1203. veritas manifeſta (§. 1071.), conſectatio vel fruitio jucundi τὸ ſuum cuique non violans (§. 1074.), defenſio noſtri & mala, ex illa alteri ſubnata (§. 1120.), auxilium, quod fertur hoſti, non qua tali (§. 1137.), transgreſſio limitum defenſionis, orta ex periculo, cui ex improviſo expoſiti ſumus (§. 1151.), diverſitas religionis & ſola infidelitas (§. 1203.). Huc referas ſolam converſationem alterius cum inimicis vel adverſariis noſtris. In Jure Gentium plures ejusmodi cauſæ ſpuriæ obvenient.

SCHOLION I. Notemus, quod eædem cauſæ ſint etiam cauſæ diſceptationis, conquerendi de altero, & conſequenter ad formandum gravamen minus juſtificæ.

SCHOLION II. Hæ cauſæ minus juſtificæ ex non-violatione SVI CONNATI concipiuntur.

§. 1206. Quousque modus ultionis pateat, judicandum eſt ex §. 1079. 1081.

§. 1207.

§. 1207. In ſtatu naturali nullus datur judex homo (§. 918.). Modum itaque ultionis nec tertius, nec ipſe lædens vel nociturus impetito præſcribere poteſt. Idem proinde modus ultionis proprio læſi judicio, rationis dictamini & conſcientiæ accommodando, videtur relinquendus.

§. 1208. Idem affirmandum eſt de determinatione cautionis ſufficientis, parti læſæ vel lædendæ ſæpius offerri ſolitæ

§. 1209. Species mediorum cogendi & nocendi hoſtibus judicari poſſunt ex §§. 1117. 1118. 1132.

§. 1210. Modus reparandi damnum judicandus eſt ex ipſa indole damni, Hinc pro diverſitate damnorum & læſionum, diverſa eſt reparatio, vid. §. 993.

§. 1211. Si quis occiderit hominem ſingularem, reparanda eſt ſpes alimentorum conjugi, liberis, propinquis pro ætate defuncti. Vtor verbis *Gundlingii*. Conf. ejus I. N. §. 52. c. 9. Sed hoc caſu defenſor ad nihil tenetur, cum mala, ex defenſione noſtri violenta aliis ſubnata, damna non ſint (§. 1120.).

§. 1212. Si quis interfecerit plures, vel per ſe, vel per alios, per averſionem & transactionem damnum civitati rependendum eſt. Conf. §. 53. c. 9. autoris antea laudati.

§. 1213. Damna ex mutilatione vel ablatione membrorum læſo orta veniunt reparanda (§. 996.). Hinc juſtum eſt, ut impenſæ in curationem vulneris factæ & alimenta mutilato aut propinquis ejus præſtanda attendantur. Conf. §. 54. I. N. *Gundlingii*. Hoc caſu defenſor ad nihil tenetur.

§. 1214. Virgo, quæ vim paſſa eſt, vel ducenda, ſi velit, vel dotanda. Nec minus ſtuprator partui alimenta præſtare tenetur.

§. 1215. In contemtu externo (§. 1014.) verba aliave ſigna ſunt vel obſcura & æquivoca, vel perſpicua. Priori caſu ejusmodi explicationem læſus poſtulare poteſt, qua ſymbola a contemtu libera pronunciantur & quæ *declaratio honorifica* audit; poſteriori vero opus eſt *deprecatione*, qua fatetur contemnens injuriam alteri illatam & qua precatur contemtum, ut læſionem oblivione ſepeliat.



Digitized by Google

§. 1216. Nec in ejusmodi caſibus ignoti ſunt actus, quibus contemtus idem factum turpe, quod ei imputat contemnens, eidem tribuit, idque eum in finem, ut ſe ab injuria ſibi illata liberet. Hujuscemodi actus dicuntur *retorſiones*, quæ videntur eſſe defenſionis ſpecies, adſtipulante *Gundlingio* (§. 1110.).

§. 1217. Fieri poteſt, ut neceſſaria vitæ noſtræ conſervatio cuſtodiæ legum naturalium ſtricte dictarum repugnet ſeu, ut cuſtodia legum naturalium, ſtricte ſic dictarum, efficiat, ut pereamus. Hoc ſcriptoribus juris naturæ occaſionem præbuit indagandi jus neceſſitatis.

§. 1218. Ceſſante principio, ceſſat principiatum (§. 42.). Conſervatio noſtri ſeu fuga interitus noſtri eſt principium cuſtodiæ officiorum erga alios ſtricte dictorum, & abſtinentiæ ab extorquendis officiis amoris ſeu humanitatis, tanquam principiatorum (§. 42. 733. 734. 735. 736.). Ceſſante ergo neceſſaria noſtri conſervatione, ceſſabit & cuſtodia officiorum erga alios, ſtricte dictorum & abſtinentia ab extorquendis officiis erga alios, amori & humanitati noſtræ relictis. Ponas dari caſus, ubi ceſſat neceſſaria noſtræ vitæ conſervatio, ſi officia erga alios ſtricta cuſtodire & ab extorquendis officiis amoris abſtinere voluerimus, tunc ceſſare debet & cuſtodia officiorum ſtricte dictorum, & abſtinentia ab extorquendis officiis, amori noſtro relictis. Hoc proinde caſu facultatem naturalem violandi officia ſtricta minimum hypothetica, & extorquendi humanitatis officia nanciſcimur. Jam cum lex naturalis ſtricte dicta ſeu jus naturale externum cuſtodiam officiorum ſtricte dictorum & abſtinentiam ab extorquendis humanitatis officiis nobis inculcet (§. 753. 754.); eodem caſu oritur nobis facultas violandi jus naturale externum minimum hypotheticum, ob ejus colliſionem ſeu pugnam cum neceſſaria vitæ noſtræ conſervatione. Hæc facultas dicitur IVS, ſeu potius, FAVOR NECESSITATIS (*das Noth-Recht*), cujus veritatem ex prævia demonſtratione concipimus.

SCHOLION. Libertas hæc repugnat Juri Naturali ſtricte dicto, quod ex demonſtratione, qua illa nititur, patet.

Digitized by Google

pa et. Eadem itaque libertas dici non meretur jus neceſſitatis, *das Noth-Recht*, per conſectar. §. 774. Quæ cauſa videtur eſſe, cur alii eandem libertatem maluerint appellare favorem neceſſitatis. *Henricus Coccejus* eandem ſententiam fovit in coroll. 3. diſp. LXII. Vol. I., cujus verba hæc ſunt: *extrema neceſſitas nunquam jus in alienas res indulget.*

§. 1219. In caſibus, ubi jus neceſſitatis obtinet, deprehenditur neglectio juris externi, ſaltem hypothetici, pugnantis cum conſervatione vitæ noſtræ (§. 1218.), & ex conſequenti exceptio ab eodem jure externo (§. 611.).

§. 1220. Nec difficulter perſpicimus rationem denominationis juris illius neceſſitatis (§. 1219.).

§. 1221. Quousque in poteſtate noſtra poſitum eſt, obſervare regulas, quibus actiones noſtras liberas attemperare obligamur, eousque verſamur *in ſtatu morali regulari* ſeu *ordinario*; ſed quousque cogimur negligere ejusmodi regulas, aliis regulis potioribus contradicentes & quousque adeo ad ſuſcipiendam exceptionem a regulis obligamur (§. 612.), eousque *in ſtatu irregulari* ſeu *extraordinario* verſamur (§. 605.).

§. 1222. Status extraordinarius eſt ſtatus neceſſitatis (§. 616. 1221.).

§. 1223. Gradus neceſſitatis in ſtatu extraordinario & ex conſequenti in ſtatu neceſſitatis (§. 1222.), a minori vel majori numero regularum, quæ nobis negligendæ veniunt, oriuntur (§. 1221.).

§. 1224. Quo pauciores regulæ reſtant, quas obſervare poſſumus, eo major eſt neceſſitas. Et ſi eo redacti fuerimus, ut ferme omnes regulas negligere cogamur, in ſumma & exrrema neceſſitate verſamur (§. 1223.).

§. 1225. Unde patet, cur caſus extremæ & graviſſimæ neceſſitatis requirantur, ſi ad uſum favoris neceſſitatis recurrere volueris (§. 1224. 1219.).

§. 1226. Dantur caſus neceſſitatis, qui oriuntur ex colliſione officiorum erga nos, ex conflictu officiorum erga



Digitized by Google

ga alios, ex pugna officiorum erga nos cum officiis erga alios, noſtræ humanitati relictis. Qui caſus neceſſitatis diſtinguendi ſunt a caſibus extremæ & ineluctabilis neceſſitatis, ubi nobis neceſſitatis (graviſſimæ) conceditur (§. 1224, 1225.).

§. 1227. Lex ſeu jus natnrale externum nobis dat jus contra lædentem (§.1079. 1081.).Ergo jus,quo utimur contra lædentem,non violat jus naturale externum. Quodcunque igitur jus violat legem ſeu jus naturale externum, illud non eſt jus, quod datur contra lædentem. Jus proinde ſeu potius favor neceſſitatis non datur contra lædentes (§.1218.), & ex conſequenti nobis dicto modo conceditur contra eos, qui nos nec læſere nec læſuri ſunt.

§. 1228. Jus neceſſitatis non præponit læſionem (§.1227) & ex conſequenti non eſt jus belli (§. 1092.). Quæ propoſitio converti poteſt.

§. 1229. Hinc jus defenſionis (§. 1111.) & moderamen inculpatæ tutelæ (§. 1191.) non eſt jus ſeu favor neceſſitatis (§. 1228.). *Noth-Wehre iſt kein Noth-Recht, & v. v.*

§. 1230. Eo tempore, quo quis confugit ad ita dictum jus neceſſitatis, nulla culpa, nullus dolus in eo concipitur (§.1225.492.552.),licet fieri poſſit,ut is culpa ſua ad ſummas ejusmodi anguſtias redactus fuerit. Si itaque ipſum temporis articulum, quo quis ad jus hoc funeſtum arripiendum cogitur, ſpectaveris, is jus naturale externum, minimum hypotheticum, nec culpoſe, nec doloſe violat. Ipſi proinde læſio, nec culpoſa nec doloſa, tribui poteſt (§. 767.).

§. 1231. Licet itaque is, qui utitur hoc ita dicto jure neceſſitatis adverſus nos, neque culpoſe neque doloſe τὸ ſuum cuique violet, extorqueatque officia humanitatis, ſaltem hypothetica; violat tamen vel violare connititur id, quod noſtrum eſt (§. 1218.744.), & conſequenter nos lædit (§.767.). Ejus itaque, qui utitur favore neceſſitatis, actiones ſunt læſiones.

§. 1232. Unde concipimus, eum, qui utitur jure neceſſitatis,

ſitatis, non quidem injuſte agere, ejus tamen actiones injuſtas pronunciari poſſe (§. 960.). Injuſtitia quippe actionis ab injuſtitia hominis diſcriminanda eſt.

§. 1233. Contra nos læſuros nobis datur jus defenſionis (§. 1111.), quod adeo & contra eum, qui jure neceſſitatis adverſus nos utitur, nobis conceditur (§. 1231.).

§. 1234. Ea, quæ de jure defenſionis antea demonſtravimus, etiam huc transferenda ſunt (§. 1233.). Hinc ob damnum levius vel etiam mediocre defenſione uti non poſſumus contra eum, qui ad neceſſitatis jus confugere adſtringitur (§. 1181. 1182.), ſi rationis dictamen audiamus, præcipue cum alter in eiusmodi caſu cum extrema neceſſitate conflictetur. Sed ſi quis uſu hujus iuris in periculum vitæ, calamitoſæve eius transactionis nos coniiciat, eo caſu ad ius defenſionis nobis recurrendum eſſe, patet ex §. 1189.

§. 1235. Sunt, qui exiſtimant, dari ius in ſtatu extremæ neceſſitatis, quod alicui, ad ſummas anguſtias redacto, competeret, ſed cui non reſponderet obligatio in altero, quippe qui alio jure frueretur in contrarium.

Scholion. Cur abeam ab hac ſententia, ex Schol. 1218. patebit. Et ſi homini eiusmodi nullum ius tribuendum ſit, hic caſus tanquam inſtantia contra correlationem iuris & obligationis perpetuam allegari non poteſt. Conf. Schol. 2. §. 780. Exerc. & §. 229. Specim. Juris Gent.

§. 1236. In caſu extremæ neceſſitatis locum non habet, ſi ſtatum naturalem ſpectaveris, idque ob defectum iuris perfecti (§. 1218.): Quod tibi non nocet, & mihi prodeſt, ad id poteris compelli. Sed in civitate aliter ſe res habet.

§. 1237. Nec deſunt, qui putant, quod officia humanitatis in articulo extremæ neceſſitatis abeant in officia neceſſitatis, quatenus ad illorum præſtationem alterum cogere poſſimus in ſtatu maxime irregulari.

Scholion. Neque hanc ſententiam retinere poſſumus. Alter enim ea, quæ ab altero ex favore neceſſitatis contra ſe ſuſcipiuntur, perferre iure perfecto non obligatur. Præterea ex iure pactitio patebit, nullum dari alium modum

dum mutandi officia humanitatis in officia perfecta, quam pactum. Conf. §. 810. Spec. de Imper. Civil., ubi modum civilem mutandi officia imperfecta in officia perfecta ad modum pactitium reduxi.

§. 1238. Ratio, cur fieri debeat exceptio a legibus, nobis alias obſervandis, dicitur *Ratio ſtatus, ſtrictius ſumta.*

§. 1239. Exceptio præponit colliſionem legum (§. 611) Ratio itaque ſtatus præponit contradictionem legum quarundam (§. 1238.). Sed cum contradictio ſit vel vera vel apparens; *ratio ſtatus* in *veram* & *ſpuriam* diſpeſcitur.

§. 1240. Ratio, cur fieri debeat exceptio a Legibus, ſtricte dictis ſeu a juſtitia expletrice (§. 799.), dicitur *ratio ſtatus, ſtrictiſſime ſumta.*

§. 1241. Ratio, cur fieri debeat exceptio a legibus ſtricte dictis, oritur ex pugna conſervationis noſtræ neceſſariæ cum cuſtodia Legum naturalium ſtricte dictarum (§. 1218) Ergo ratio ſtatus, ſtrictiſſime ſumta, oritur ex pugna conſervationis noſtræ neceſſariæ cum cuſtodia legum naturalium, ſtricte dictarnm (§. 1240.).

§. 1242. Quæ reſpublica ad pugnam conſervationis ſuæ neceſſariæ cum cuſtodia legum naturalium, ſtricte dictarum provocare non poteſt, illa ad rationem ſtatus, ſtrictiſſime ſumtam, perperam provocat (§. 1241.).

§. 1243. Ratio ſtatus, ſtrictiſſime ſumta, & favor neceſſitatis habent principium commune (§. 1241. 1218. 955. 42) Id quod etiam de ratione belli, ſtrictiſſime ſumta, intelligi debet, & quæ non ex Jure Gentium, quippe quod eſt jus Naturale externum applicatum ad integras gentes, inter ſe conſideratas, ſed ex favore neceſſitatis concipitur. Reflectas ad decimationem vel centeſimationem militum, idque in extrema neceſſitate & citra reſpectum ad pœnam militarem, quam integræ centuriæ vel legiones militum meruerunt, de qua re tamen in Jure Gentium explicatius.

Consectarium. Ea, quæ de favore neceſſitatis demonſtrata ſunt, applicari poſſunt ad rationem ſtatus, ſtrictiſſime ſumtam.

EXER-

Digitized by Google

# EXERCITATIO VI.
## DE
# JURE PACTITIO.

§. 1244.

SErmo, quo quis affirmat, velle ſe vel alteri aliquid præſtare, vel intuitu ejus aliquid omittere, dicitur *promiſſio*. Sermo, quo quis affirmat, velle ſe vel promittenti aliquid viciſſim præſtare, vel intuitu ejus aliquid omittere, *repromiſſio* audit, & quæ adeo eſt promiſſio promittendi mutuo data.

§. 1245. Si quid vel alteri præſtare, vel intuitu ejus omittere velimus, hoc fieri debet uſu virium noſtrarum.

§. 1246. Si quid vel alteri præſtare, vel intuitu ejus omittere velimus, eum participem reddere volumus virium noſtrarum (§. 1245.).

§. 1247. Si quid vel alteri præſtare, vel intuitu ejus omittere velimus, ei adjumento eſſe volumus (§. 1246. 720.).

§ 1248. Promiſſiones eo tendunt, ut alter alteri auxilio ſit (§. 1244. 1247.).

§. 1249. Auxilia aliis ferenda ſunt finis promiſſionum (§. 1248. 509.), & ex conſequenti ipſarum promiſſionum adimpletio conſideranda eſt ceu remedium, quo quis alteri opem ferre poſſit (§. 511.).

§. 1250. Nec minus inde perſpicuum eſt, auxilia, quibus alter alterum ſuffulcire poſſit, dediſſe occaſionem promiſſionibus. Et neceſſaria & commoda vitæ transactio homines natura determinavit, ut alios commoverent ad auxilii lationem.

§. 1251. Vires vel corporis, vel mentis ſunt, vel a ſtatu externo pendent. Unde patet, quotuplici ratione alterum juvare poſſimus (§. 720.), & quam varia poſſint eſſe promiſſa (§. 1248.).

§. 1252.

Digitized by Google

§. 1252. In auxilio, quod nobis ab altero fertur, ejus virium participes reddimur (§. 720.). Quouſque itaque alter nobis adjumento eſt, eouſque ejus virium participes efficimur, & conſequenter partem virium alterius nanciſcimur, atque adeo eouſque vires, quæ alterius ſunt, fiunt noſtræ (§. 747.). Hinc in auxilio, quod nobis ab aliis fertur, ex alieno fit noſtrum.

§. 1253. Declaratio voluntatis noſtræ, alteri facta, de aliqua re, effectui danda, denotat *conſenſum noſtrum*, (*die Bewilligung*.)

§. 1254. Promittens ſignificat alteri, cui aliquid promittitur, conſenſum ſuum (§. 1244. 1253.).

§. 1255. Qui conſenſum ſuum alteri ſignificare non poteſt, is non poteſt alteri promittere aliquid (§. 1254.).

§. 1256. Voluntas præponit intellectus repræſentationes (§. 168.). Conſenſus ergo, qui declaratio voluntatis eſt (§. 1253.), intellectus repræſentationes non minus, quam voluntatem præponat neceſſe eſt.

§. 1257. Quatenus aliquis intellectu & voluntate præditus eſt, eatenus *facultas conſentiendi phyſica* (§. 1256.); quatenus vero conſenſus alicujus approbatione legis ſtipatur, *facultas conſentiendi moralis* ipſi tribuitur. Conferas ea, quæ §. 483. ſeqq. diximus de eo, quod moraliter vel poſſibile vel impoſſibile ſit.

§. 1258. Promittens intellectus uſu & voluntate præditus eſſe debet (§. 1254. 1256.). Unde & in eo requiritur facultas conſentiendi phyſica. (§. 1257.).

§. 1259. Qui intellectus uſu & voluntate deſtitutus eſt, is ad aliquid alteri promittendum inhabilis eſt (§. 1258.). Vnde infantes, furioſi, mente capti, ſumme ebrii, qua tales, nihil promittere poſſunt.

§. 1260. Identitas binarum voluntatum in aliquo negotio, effectui dando, ſignis manifeſtata dicitur *conſenſus reciprocus* ſeu *mutuus*. Si etymologiam vocabuli ſpectemus, *conſentire* eſt ſimul ſentire ſeu idem ſentire ac alter. Id quod nihil

Digitized by Google

nihil aliud eſt ac idem velle vel idem nolle. Indoles tamen argumenti noſtri requirit, ut *conſenſus* paulo laxius ſumatur, atque ita & promittenti & alteri, cui fit promiſſio, ſigillatim tribui, inque unilateralem & bilateralem ſen reciprocum diſtingui poſſit. Neque ab uſu loquendi amplior hujus vocis acceptio abhorret, cum in celebrando pacto alter, cui fit promiſſum, peculiariter in illud conſentire debeat, atque adeo eidem conſenſus ſingulariter tribui ſoleat. Præterea in pacto requiritur conſenſus reciprocus ſeu mutuus, qui binos conſenſus ſingulares præponit.

§. 1261. Idem objectum repræſentatum, ad quod exiſtentiæ reddendum vel impediendum duorum voluntas tendit, dicitur *idem placitum*. Quod requiritur in conſenſu reciproco (§. 1260.). Notum eſt, quod voluntas, ad aliquam rem effectui dandam contendens, dicatur *decretum ſeu placitum*.

§. 1262. Si is, cui fit promiſſum, idem vult ac promittens, *in promiſſum conſentit* (§. 1253.).

§. 1263. Conſenſus reciprocus ſeu mutuus exigit easdem repræſentationes negotii celebrandi in utroque (§. 1260. 1256.). Unde perſpicuum eſt, utrique easdem ideas cum terminis ſeu ſignis, quibus utuntur, eſſe copulandas (§. 15.). Nec minus patet, quod non detur conſenſus reciprocus, ubi repræſentationes rei in duobus ſubjectis diverſæ fuerint.

§. 1264. Si quis affirmaverit, ſe conſentire in alterius promiſſum, ille *acceptare promiſſum* dicitur.

§. 1265. Ubi nullum datur promiſſum, ibi nulla concipitur acceptatio (§. 1264.).

§. 1266. Acceptatio promiſſi requirit intellectus uſum & voluntatem acceptantis (§. 1263. 1256.).

§. 1267. Qui intellectus uſu & facultate declarandi voluntatem deſtitutus eſt, is inhabilis eſt ad acceptandum promiſſum (§. 1266.). Hinc infantes, furioſi, mente capti &c. acceptare promiſſum non poſſunt.



Digitized by Google

§. 1268. Qui inhabilis eſt ad aliquid alteri promittendum, is etiam ad acceptanda promiſſa inhabilis cenſetur (§. 1259. 1267.).

§. 1269. Promiſſum effectui dare, ſeu, id, quod alteri a nobis promiſſum eſt, exiſtentiæ reddere, ſignificat *ſervare promiſſum*. *Validum* dicitur *promiſſum*, quod ſervandum eſt.

§. 1270. Jam disquiramus ſucceſſive, quænam ad validitatem promiſſi concurrere debeant.

§. 1271. Auxilia aliis ferenda dederunt occaſionem promiſſionibus (§. 1248.). Jam cum auxilia nemini invito obtrudenda ſint (§. 745.), idem valeat neceſſe eſt de promiſſionibus.

§. 1272. Aut promiſſum alteri poteſt obtrudi, aut hujus voluntas eidem accedere debet. Prius locum non habet (§. 1271.), ad promittentis ergo voluntatem accedere debet voluntas ejus, cui fieri debet valida promiſſio (§. 1269.). Ergo is, cui valide promittitur aliquid, debet declarare, velle ſe, ut ſibi illud vel præſtetur vel intuitu ſui omittatur a promittente.

§. 1273. Ad validitatem promiſſi requiritur, ut in promittente, & in eo, cui promittitur, detur identitas voluntatum (§. 1244, 1272.), & ex conſequenti conſenſus reciprocus (§. 1260.).

§. 1274. Ad validitatem promiſſi requiritur, ut is, cui promittitur, in promiſſum conſentiat (§. 1272. 1253.).

§. 1275. Validitas promiſſi dati exigit, ut is, cui promittitur, promiſſum acceptet (§. 1274. 1264.).

§. 1276. Acceptatio promiſſi ab ejus validitate (§. 1257.) & ex conſequenti a promiſſo ſervando (§. 1269.), eodemque effectui dando (§. cit.) ſeparari neſcit.

§. 1277. Promiſſiones acceptatæ ab altero dicuntur *pactiones* ſeu *pacta*, ſeu *conventiones*.

§. 1278. Ubi nulla datur promiſſi acceptatio, ibi nullum concipitur pactum (§. 1277.).

§. 1279. Promiſſum eſt factum unius paciſcentis, & acceptа-

ceptatio eſt factum alterius (§. 1244. 1264.). Ad pactum ergo requiritur factum bilaterale (§. 1277.). Factum ergo unilaterale vel promittentis vel acceptantis ad producendum pactum non ſufficit. Quod ad §. 903. applicari poteſt.

§. 1280. In paciſcente requiritur uſus intellectus & voluntatis (§. 1277. 1258. 1266.).

§. 1281. In quo itaque uſus intellectus & facultas declarandi voluntatem non deprehenditur, is ad paciſcendum inhabilis eſt (§. 1280.).

§. 1282. Qui promiſſum ſibi ab altero dato acceptare non poteſt, ad paciſcendum cum eo inhabilis eſt (§. 1277.).

§. 1283. Qui non poteſt conſentire in promiſſum alterius, nec poterit paciſci (§. 1282. 1264.).

§. 1284. Pacta ſunt promiſſa (§. 1277.). Quicquid ergo demonſtratur de promiſſo, tanquam genere pacti, illud competit pactionibus.

§. 1285. Varietatem objectorum, de quibus paciſci poſſumus ex §§. 1251. 1277. perſpicimus.

§. 1286. Validitas promiſſi dati exigit, ut is, cui promittitur, promiſſum acceptet (§. 1275.). Promiſſum acceptatum ab altero dicitur pactum (§. 1277.); validitas ergo promiſſi exigit pactum.

§. 1287. Ad validitatem promiſſi requiritur, ut in promittente & in eo, cui promittitur, detur conſenſus reciprocus (§. 1273.). Enimvero is, cui datur promiſſum, dicitur acceptans (§. 1264.); ad validitatem promiſſi requiritur, ut in promiſſore & in acceptante promiſſum & ex conſequenti in paciſcentibus (§. 1277.) detur conſenſus reciprocus.

§. 1288. In paciſcentibus adeſſe debere conſenſum reciprocum, etiam ſic demonſtramus: promittens declarat voluntatem ſuam de aliqua re effectui danda (§. 1244.). Acceptans conſentit in promiſſum (§. 1264.), & conſequenter etiam voluntatem ſuam declarat de promiſſo, effectui dando (1253.) Adeſſe itaque debet in promittente & in acceptante, conjunctim ſumtis, atque adeo in paciſcentibus (§ 1277.) identitas



Digitized by Google

voluntatum in aliqua re, effectui danda & ex conſequenti conſenſus reciprocus (§. 1260.), in idem placitum (§. 1261.).

§. 1289. Auxilia, quibus homo ab homine indiget, effecerunt, ut homines inciderent in promiſſiones (§ 1248.). Leges ergo naturales internæ, in juvandis aliis obſervandæ, & quæ ſuperius §. 720. ſeqq. demonſtratæ ſunt, etiam cuſtodiendæ ſunt in promiſſis, aliis dandis. In quibus itaque negotiis concipitur auxilium, juxta eaſdem leges aliis ferendum, in illis etiam concipitur promiſſum, & conſequenter pactum (§. 1277.), legibus naturalibus conveniens. E diverſo in quibus negotiis nullum concipitur auxilium, juxta illas leges aliis ferendum, in illis etiam nullum concipitur promiſſum, & conſequenter nullum pactum, legibus naturalibus conveniens.

§. 1290. Hinc pacta iisdem legibus conveniunt, quibus juvamus alios, de felicitate ſua conſervanda & amplificanda ſtudioſos 721. Nec minus inde patet, quod pacta non debeant repugnare expletioni officiorum erga nosmet ipſos (§. 728.).

§. 1291. Ad promiſſiones vel repromiſſiones, alteri dandas, & conſequenter ad paciſcendum (§. 1277.) ante læſiones nemo cogi poteſt (§. 766. 1248.). Aſſertum etiam ex eo patet, quod ſola læſio ſit cauſa coactionis juſtifica, vi ſuperius dictorum.

§. 1292. In promiſſionibus requiritur uſus virium promittentis (§. 1244. 1245.). Jam cum vires noſtræ ad id, quod noſtrum eſt, ſpectent (§. 747.); in promiſſionibus requiritur uſus ejus, quod promittentis eſt.

§. 1293. Quousque in foro vel externo vel interno juſtus eſt uſus ejus, quod noſtrum eſt, eousque in utrolibet foro juſta ſunt promiſſa & conſequenter pacta (§. 1292. 1284.).

§. 1294. Quousque in foro vel interno vel externo injuſtus eſt uſus ejus, quod noſtrum eſt, eousque in utrolibet foro injuſta ſunt promiſſa & conſequenter pacta (§. 1292. 1284.).

§ 1295. Eodem modo concipitur, quousque promiſſa & conſequenter pacta in utrolibet foro licita vel illicita ſint.

§. 1296. In foro externo juſtus uſus ejus, quod noſtrum eſt,

Digitized by Google

eſt, dicitur is, quo non violatur τὸ ſuum cuique (§. 965.). Promiſſa ergo & pacta juſta in foro externo ſunt ea, quibus non violatur τὸ ſuum cuique (§. 1293.).

§. 1297. In foro externo injuſtus uſus ejus, quod noſtrum eſt, dicitur is, quo violatur τὸ ſuum cuique (§. 965.). Promiſſa itaque & pacta injuſta ſunt in eodem foro, quibus violatur τὸ ſuum cuique (§ 1294.).

§. 1298. Pacta injuſta ſunt in foro externo, quæ cum læſione (§. 1297. 767.) & conſequenter cum damno alterius (§. 769.) conjuncta ſunt. Hinc doctrina, quam ſuperius §. 945. ſeq. de læſionibus externis & damnis veris dedimus, ad juſtitiã & injuſtitiam pactorum externam dijudicandã neceſſaria eſt.

§. 1299. Pacta injuſta nec celebranda, multo minus ſervanda ſunt (§. 1297. 751.).

§. 1300. Pacta ſunt promiſſa (§. 1277.). Promiſſa eo tendunt, ut alter alteri auxilio ſit (§. 1247.). Hinc pacta etiam eo tendunt, ut alter alteri auxilio ſit. Sed cum juxta juſtitiam internam ad auxilia aliis ferenda obligati ſimus (§. 802. 740.), ad adimplenda pacta in foro interno adſtringimur. Huc referas argumenta ethica & politica, quorum poſteriora eo redeunt, ut quis animos a ſe, ſuæque utilitatis externæ amplificatione alienos efficiat, ſi ſciant, eum vel ob leviores cauſas migrare pactiones.

§. 1301. Sed jam quæritur, utrum pacta ſint etiam obligatoria iu foro externo naturali, adeo ut violatio eorum ſit læſio perfecta & cauſſa diſceptationis & belli juſtifica.

§. 1302. Promittens vult alteri eſſe auxilio (§. 1248.), & ex conſequenti vult, ut ex ſuo fiat alienum (§. 1252.). Et cum voluntas tendat ad finem exiſtentiæ reddendum §. 513. promittens etiam vult, ut τὸ ſuum actu fiat alienum.

§. 1303. Qui acceptat promiſſum alterius, is conſentit in alterius promiſſum (§. 1264.), & ex conſequenti idem vult ac promittens (§. 1262.). Sed promittens vult, ut τὸ ſuum actu fiat alienum (§. 1302.); qui proinde acceptat promiſſum alterius, is vult, ut alienum actu fiat ſuum.

§. 1304. Promittentes (§. 1302.) & acceptantes promiſ-



Digitized by Google

ſum § 1303.), & conſequenter paciſcentes (§. 1277.) volunt, ut ex alieno fiat actu noſtrum, ſeu, ut illud, quod partis unius paciſcentis eſt, actu fiat alterius.

§. 1305. Promiſſum eſt finis promittentis (§. 520. 1244.). Ergo ſi promiſſum effectui detur, promittentium finis exiſtentiam ſuam nanciſcitur. Sed & promittentium finis eo tendit, ut τὸ ſuum actu fiat alienum (§. 1302. 520.); promiſſio igitur effectui datur, ſi τὸ ſuum actu fiat alienum.

§. 1306. Acceptatio promiſſi a promiſſione, effectui danda, actu ſeparari non poteſt (§. 1276.). Sed promiſſio effectui datur, ſi τὸ ſuum actu fiat alienum (§. 1305.); ergo acceptatio promiſſi a mutatione τȣ̃ noſtrum in alienum promiſſoria ſeparari non poteſt. Hinc ſola promiſſione τὸ noſtrum non mutatur in alienum.

§. 1307. Pacta injuſta non ſunt ſervanda (§. 1299.), neque adeo effectui danda (§ 1269.). In pactis itaque injuſtis nulla continetur ratio ſufficiens mutationis τȣ̃ noſtrum in alienum promiſſoriæ (§. 43. 1305.).

§. 1308. Actio, qua non violatur τὸ ſuum cuique, eſt licita in foro externo naturali (§. 866. 754.). Ergo jure naturali externo licitum eſt paciſci cum altero de aliqua re, ſi paciſcendo τὸ ſuum cuique non violemus. Hoc caſu intentio paciſcentium Iure N. externo actum nanciſci poteſt, & conſequenter pactione alienum mutatur in noſtrum (§. 1304.). Ejusmodi pactiones, quibus non violatur τὸ ſuum cuique, dicuntur juſtæ in foro externo (§. 797.). Ergo pactione juſta alienum mutatur in noſtrum. Conf. §. 75. ſeqq. diſſertationis proluſoriæ.

§. 1309. In pactis juſtis continetur ratio ſufficiens mutationis τȣ̃ noſtrum in alienum (. 1308. 43.). *Gundlingius* §. LI. c. XI. J. N. G. his utitur verbis: *qui paciſcitur, aliquid ſibi ſumit, inque alterum transfert.* Quæ ita interpretor: quod nobis ſumimus, noſtrum eſt; quod in alterum transferimus, illud mutatur in alienum. Ergo ſi paciſcamur, τὸ noſtrum mutatur in alienum. Locus itaque citatus videtur conſpirare cum noſtra theſi.

§. 1310.

§. 1310. Concipimus ergo τὸ NOSTRVM & τὸ SVVM PACTITIVM, quod eſt ſpecies τȣ̃ SVVM ACQVISITVM (§. 749.). In doctrina de dominiis incidemus in novam ſpeciem τȣ̃ noſtrum.

§. 1311. Qui violat pactum juſtum, violat τὸ ſuum cuique §. 1308.), & ex conſequenti alterum lædit externe & perfecte (§. 767.). Jam cum nemo ſit lædendus, ſi vel ad forum externum reſpexeris (§. 768.); pacta juſta non ſunt violanda in eodem foro.

CONSECTARIVM. Qui juſte paciſcitur cum altero, ſimulque propoſitum habet violandi pactum, ejusmodi actus eſt dolus §. 1154.), conjunctus cum læſione (§. præſ.), & conſequenter dolus malus (§. 1157.), qui fraus dicitur. Notes, quod hæc propoſitio jamjam præſupponat, violationem pacti juſti eſſe læſionem, & quod adeo illa non poſſit ſumi pro præmiſſa in demonſtranda læſione, ex violatione pacti oriunda, niſi circulum in demonſtrando committere, adeoque nihil probare velimus.

§. 1312. Suum cuique tribuas (§. 750.). De quo juſte pacti ſumus cum altero, illud ad id, quod ejus eſt, pertinet §. 1308.). De quo igitur juſte pacti ſumus cum altero, illud ei eſt tribuendum, & ex conſequenti effectui dandum. Pacta itaque juſta ſervanda ſunt (§. 1269.).

§. 1313. Pacta ſunt vel juſta, vel injuſta (§. 1277. 797.). Pacta injuſta non debent ſervari (§. 1299.). Ergo ſola pacta juſta ſervanda ſunt (§. 1312.).

§. 1314. In ſolis pactis juſtis continetur ratio ſufficiens mutationis τȣ̃ noſtrum in alienum (§. 1313. 1305.).

COROLLARIVM. Solum pactum juſtum eſt cauſa mutationis τȣ̃ noſtrum in alienum (§. 202.).

§. 1315. Promiſſum validum, hoc eſt ſervandum (§. 1269.). exigit pactum (§. 1286.) Sed ſolum pactum juſtum ſervandum eſt (§. 1313.); validitas ergo promisſi exigit pactum juſtum.

§. 1316. Unde patet, quod validitas promisſi rationem ſufficientem nanciſcatur ex juſtitia pacti (§. 1315. 43.).



Digitized by Google

§. 1317. Qui violat pacta juſta, alterum lædit (§. 1311.) eique dat cauſam belli juſtificam (§. 1092.), & ex conſequenti pacem externam, per Schol. §. 806. nec minus infimum gradum honeſtatis violat (§. 1001.).

§. 1318. Incidimus hic in cauſſam diſceptationis & belli juſtificam, ex violatione SVI acquiſiti (§. 1310.) & officiorum hypotheticorum ortam (§. 889.).

§. 1319. Si quis alteri id vult eripere, vel eum in uſu ejus turbare, quod is ſibi per pacta acquiſivit, is alterum turbat in eo, quod ejus eſt (§. 1308.), & ex conſequenti eum lædit (§. 707.).

§. 1320. Si quis cum aliquo pactum celebret, quo pactum, cum aliis a ſe antea initum, violatur, is priores paciscentes lædit (§. 1319.). Hoc caſu pacta priora poſterioribus præferenda ſunt (§. 768.).

§. 1321. Si vero pacta poſteriora præponant pacta priora, eademque magis roborent; hoc caſu aliter pronunciandum eſt, idque ob læſionem deficientem.

SCHOLIUM. Idem affirmandum de pactis poſterioribus, quæ non contradicunt priori, cum aliis inito. *Contradicunt ſibi pacta*, quorum cuſtodia ſimultanea eſt contradictoria. Si vero utrique pacto ſatisfieri poſſit, *pacta ſibi non contradicunt*.

§. 1322. Cuſtodia pacti juſti eſt officium naturale, ſtricte ſumptum (§. 1308. 763.).

§. 1323. Officia naturalia ſtricta nobis injunguntur a jure naturali externo (§. 761. 753.). Sed cuſtodia pactorum juſtorum eſt officium ſtrictum (§. 1322.); cuſtodia itaque pactorum juſtorum nobis injungitur a jure naturali externo.

§. 1324. Datur in paciſcentium altero *obligatio externa* (§. 1322.) eaque *pactitia*, & obligationis nomine κατ' ἐξοχὴν JCtis alias venire ſveta. Quæ obligatio definitur per vinculum juris, quo quis ad faciendum vel omittendum aliquid adſtringitur.

CONSECTARIUM. Obligatio pactitia requirit actionem

1) in

Digitized by Google

1) in ſe, 2) naturaliter, & 3) moraliter poſſibilem (§.487.). Hinc pacta, de ejusmodi rebus celebrata, nullam producunt obligationem.

§. 1325. Promiſſio eſt actus, quo alteri fertur auxilium (§. 1248.). Auxilia alteri ferenda ſunt alias officia amoris (§. 740.). Promiſſio ergo eſt actus, quo quis vult alteri præſtare id, quod alias ab officiis amoris dependet. Sed ſi promiſſio juſta ſtipetur acceptatione alterius, adeoque in pactum juſtum tranſeat (§. 1277.); oritur officium ſtrictum (§. 1322.). Per juſtum itaque pactum id, qnod alias ab officiis amoris dependet, mutatur in illud, quod eſt officii ſtricti. Unde concipimus, cur officia amoris ſeu humanitatis per pacta mutentnr in officia ſtricta ſeu neceſſitatis (§. 734. 736.). Conf. ea, quæ in Schol. §. 1237. dicta ſunt.

§. 1326. *Officia* humanitatis etiam *indebita* ſ. *imperfecta debita*, & officia neceſſitatis *debita* ſ. *perfecte debita* vocantur (§. 734. 736.). Unde patet, cur per pacta officium indebitum mutetur in officium debitum (§. 1325.). Nec minus inde clarum eſt, cur promiſſum juſtum acceptatum ab altero cadat in debitum, & cur promittens *debitor*, acceptans vero *creditor*, nec minus promiſſum ratione promittentis *debitum*, ratione vero acceptantis *creditum* dicatur, ſi hoſce terminos paulo laxius ſumſeris. Conf. *Gundlingii* J. N. c. XI. §. IX.

§. 1327. Hinc quod ab initio (i. e. ante pactum) fuit voluntatis, ex poſtfacto (i. e. poſt factum) fit neceſſitatis.

§. 1428. Cuſtodia pacti juſti eſt officium naturale ſtricte dictum reſpectu promittentis (§. 1322.). Hinc ex pacto alteri paciſcentium, qui acceptans eſt (§ 1277.), naſcitur *jus* (§.780.), idque *pactitium*, quod eſt ſpecies juris naturali quæſiti (§. 781. 1310.). In modo acquirendi dominium originario deprehendemus novam ſpeciem juris naturalis quæſiti citra reſpectum ad pactiones.

§. 1329. Ejusmodi jus oritur ex pacto, hoc eſt, ex promiſſione unius & acceptatione alterius perſonæ (§.1277.) atque adeo datur perſonæ acceptandi in perſonam promitten-



Digitized by Google

tem obligatam. Hinc illud definitur per facultatem perſonæ competentem in perſonam, ut hæc aliquid facere vel omittere teneatur (§. 1244.).

§. 1330. Jus naturale pactitium eſt copulatum cum jure cogendi promittentem ad cuſtodiam pacti (§. 775. 1322.).

§. 1331. *Revocatur pactum a paciſcente*, ſi is declaret, ſe mutaſſe voluntatem ratione promiſſi, alteri a ſe dati. Sed cum ejusmodi mutatio voluntatis ſit conjuncta cum læſione alterius, ſi pactum juſtum fuerit (§. 1311.), pacta juſta revocari non poſſunt (§. 768.). Unde patet, pactum juſtum eſſe modum transferendi in alterum jus irrevocabile (§. 1328). Id quod etiam tenendum de modo producendi in aliis *obligationem* irrevocabilem (§. 1324.).

§. 1332. Pactum ſervandum præponit rem effectui dandam ſeu exiſtentiæ reddendam (§. 1269.). Quæ exiſtere debent ſunt ſingularia. Pactum ergo ſervandum præponit rem ſingularem.

§. 1333. Sapiens non niſi de fine & de remediis exiſtentiæ reddendis cogitat (§. 789.). Hinc fines ſapientis ſunt poſſibiles, & in ſe & reſpectu virium ejus (§. 305. 39. 307.). Sapiens proinde non ſectatur fines & remedia impoſſibilia. Sapientiæ oppoſitum eſt *ſtultitia*, quæ vel finem impoſſibilem format, vel remedia impoſſibilia in ſe, vel fini contradicentia eligit. Quæ de ſapiente dicta ſunt, ad prudentem applicanda veniunt (§. 1170.).

§. 1334. Qui impoſſibilia promittit, vel acceptat, habetur pro abſente & ſtulto (§. 1332. 1333.). Difficile tamen pro impoſſibili abſolute vel hypothetice tali, nec id, quod ex poſt facto, e. gr. culpa, imprudentia noſtra, fit impoſſibile, pro abſolute tali habendum (§. 38. 39.).

§. 1335. Pacta requirunt conſenſum (§. 1287. 1288.). Conſenſus ergo pactitius ſingularis ſeu ſpecialis & determinatus ad rem ſingularem eſſe debet (§. 1332.). Hinc paciſci non poſſumus de rebus univerſalibus, quas non niſi ideales eſſe aliunde conſtat.

§. 1336.

Digitized by Google

§. 1336. Aſſertio generalis, quando videlicet peto, ut mihi credas, me jam hoc cogitare & velle, nondum pactio eſt. Sunt verba *Gundlingii* (§. 1335.).

§. 1337. Conſenſus præponit voluntatem duorum ad aliquod negotium effectui dandum (§. 1260.). Ejusmodi voluntas efficax eſt (§. 508.); conſenſus itaque præponit voluntatem efficacem. Sed cum ejusmodi *voluntas* etiam *ſeria* dicatur, ipſe conſenſus pactitius ſerius eſſe debet. Hinc conſenſus volatilis ad ineundum pactum non ſufficit.

§. 1338. Voluntas efficax ſeu propoſitum (§. 509.), ſervandi pacta juſta, aliis declaratum, dicitur *fides* (*pactitia*), quæ alias dictorum factorumque conſtantia appellatur. Hanc fidem eſſe officium ſtrictum, patet ex §. 1322. Unde clarum eſt, quod violatio fidei datæ, ſeu *perfidia*, ſit læſio perfecta (§. 764.).

§. 1339. *Jocus* eſt falſiloquium animi recreandi gratia prolatum. Huc referas *æquivocationes*, quæ ſunt locutiones duplicem ſenſum admittentes, & quibus jocantes uti ſolent.

§. 1340. Promiſſio eſt ſermo, quo affirmamus, nos velle alteri aliquid præſtare (§. 1244.). Promiſſio itaque eſt ſermo quo ſignificamus mentem ſeu voluntatem noſtram. Hinc ſermo, qua ſignum mentis, quo utuntur promittentes, qua tales, conveniat neceſſe eſt cum mente ſeu voluntate, tanquam ſignato, & ex conſequenti diverſus a promittentis mente eſſe non poteſt (§. 51.).

§. 1341. *Sinceritas* eſt virtus loquendi & agendi menti convenienter. *Veracitas* eſt virtus loquendi convenienter menti. Sinceritas & veracitas a promittente abeſſe non poſſunt (§. 1340.).

§. 1342. Falſiloquium, & conſequenter jocus (§. 1339.) eſt ſermo diverſus a cogitatis noſtris, ſeu a mente noſtra (§. 1060.). Falſiloquia itaque & joci promiſſionibus repugnant (§. 1340.). Idem valebit de verbis honoris & æquivocationibus (§. 1339.).

§. 1343. *Tractatus* ſunt actus, ubi duo vel plures de ineundo

eundo pacto deliberant. *Deliberatio* ſignificat penſitationem commodorum & incommodorum, quæ ex facto, quod aggredimur, oriuntur.

§. 1344. Qui adhuc deliberat, nondum judicat (§. 59.). Qui nondum judicat, nihil affirmat, & ex conſequenti nihil promittit (§. 1244.). Ergo qui adhuc deliberat de ineundo pacto, nihil promittit.

§. 1345. Qui adhuc deliberat, nondum judicat; qui nondum judicat, nihil affirmat, & conſequenter non affirmat, ſe conſentire in alterius promiſſum, neque adeo illud acceptat (§. 1264.).

Scholion. Propoſitio prævia etiam ſic evincitur: *quo caſu nullum datur promiſſum, eodem & nulla datur acceptatio* (§. 1265.). Hinc in ſolis tractatibus nulla locum habet acceptatio (§. 1334.).

§. 1346. Tractatus non ſunt promiſſa acceptata ab altero (§. 1343. 1344. 1345.), neque adeo pactiones (§. 1277.), nec ex conſequenti ullam obligationem (§. 1324.), nec ullum jus pactitium (§. 1328.) producunt.

§. 1347. Conſenſus requirit declarationem voluntatis (§. 1260.). Declaramus voluntatem noſtram vel verbis, vel factis, quæ ita comparata ſunt, ut alii ex illis voluntatem noſtram ſecure inferre poſſint, ob nexum, qui factis ejusmodi cum voluntate agentis intercedit (§. 508.). Prior *conſenſus expreſſus*, alter vero *tacitus* audit. Poſterior *Gundlingio* is dicitur, qui ex facto notiſſimo, aliisque circumſtantiis colligitur.

Corollarium. A factis, a quibus ad voluntatem alterius ſecure concludere non poſſumus, ad conſenſum alterius tacitum N. V. C.

§. 1348. Conſenſum tacitum colligere ſolemus ex alterius nutu, ex ſciſſione vel redditione chirographi, qua creditor, ceteris tamen paribus, declarare judicatur remiſſionem debiti, ex poſtulatione cibi & potus ab hoſpite diverſorii ratione pretii ſolvendi. Hæc exempla affert B. *Chr. Thomaſius* L. II. c. VII. §. 22. *Jpr. div.* Si quis cum uxore adultera ſciens

denuo

Digitized by Google

denuo concumbat, ei conſenſus tacitus in matrimonium novum contractum tribuitur.

§. 1349. Sola pacta juſta ſervanda ſunt (§. 1313.), & conſequenter effectu danda (§. 1269). Solis ergo pactis juſtis τὸ noſtrum mutatur in alienum, ſeu transfertur in alios (§. 1305.). Sola proinde conſenſu noſtro pactitio, eodemque juſto, τὸ noſtrum in alios transfertur (§. 1287. 1288.).

§. 1350. Solo conſenſu noſtro pactitio, eodemque juſto, τὸ noſtrum in alios transfertur (§. 1349.). Jura noſtra ad id, quod noſtrum eſt, pertinent (§. 786.). Solo ergo conſenſu noſtro pactitio, eodemque juſto, jura noſtra transferuntur in alios.

§. 1351. Quamdiu non conſentimus in translationem ejus quod noſtrum eſt, nec ex conſequenti in derivationem jurium noſtrorum (§. 786.), tamdiu τὸ noſtrum & conſequenter jura noſtra non transferuntur in alios (§. 1350.).

§. 1352. Quamdiu τὸ noſtrum & conſequenter jura noſtra (§. 786.) non transferuntur in alterum, tamdiu ea conſervantur, & noſtra permanent.

§. 1353. Fieri poteſt & ſæpius ſolet, ut voluntas unius contradicat voluntati alterius. Cnntradictio ejusmodi duarum voluntatum reſpectu alicujus negotii ſuſcipiendi vel omittendi, ſignis manifeſtata, ſeu, declaratio voluntatis noſtræ. contradicentis voluntati alterius reſpectu alicujus negotii, ſignificat *diſſenſum externum.* Declaratio diſſenſus externi, ei facta, qui actum aliquem, in præjudicium noſtri tendentem, ſuſcipere connititur, dicitur *proteſtatio*, quæ eſt vel *fundata* vel *minus fundata*, prout præjudicium vel rerum, vel imaginarium eſt.

§. 1354. Si nolim, quod alter vult. voluntas mea contradicit voluntati alterius (§. 37. 166. 167.), & ex conſequenti ab eo diſſentio, idque externe, h. e. ſignis externis (§ 1353) ſi nullum impedimentum obſtet (§ 507. 508.). Hoc applicandum eſt ad proteſtationem (§. cit.).

§. 1355. Qui contradicit actui, quem alius vult ſuſcipere vel omittere, is manifeſtat diſſenſum (§. 1353.). & ex conſequenti

Digitized by Google

quenti proteſtatur contra ſuſceptionem vel omiſſionem actus (§. cit.).

§. 1356. *Vſurpare* denotat non abſtinere ab alieno. Vſurpationes eſſe contra jus naturale externum, patet ex §. 754.

§. 1357. Qui proteſtatur contra uſurpationem ejus, quod ſuum eſt, is declarat diſſenſum contra eandem (§. 1353.). Qui diſſentit, non conſentit (§. cit. & 1260.). Proteſtatio ergo conſervat jus proteſtantis (§. 1351. 1352.), & poſſeſſionem, juris intellectu talem.

§. 1358. Contradictio conſervat jus contradicentis (§. 1353. 1357.).

§. 1359. Homines ita facti ſunt, ut ex aliorum actibus, in præjudicium ſui ſuſcipiendis, in ipſis ſubnaſcatur averſatio & noluntas (§. 175. 167.), eademque efficax, quæ erumpit externe, niſi impedimentum adſit (§. 507. 508.), quæque adeo ad declarandum diſſenſum (§. 1354.), & ex conſequenti ad arripiendam proteſtationem contra ſuſceptionem actus ejusmodi proclivis eſt (§. cit.).

§. 1360. *Homo ad aliquam rem dicitur indifferens*, quam nec vult, nec averſatur. Rem, quam quis non averſatur, ille nec pro malo quodam (§. 155.), nec adeo pro damno (§. 769.) neque conſequenter pro eo, quod in ſui præjudicium tendere poſſit, habere ſolet. Id quod ad hominem, qui ad aliquam rem indifferens eſt, applicandum venit.

§. 1361. Ponas aliquem non proteſtari contra ſuſceptionem actus, qui ei videtur eſſe præjudicio, cum ille tamen non impediatur; is non declarat diſſenſum (§. 1353.), nec adeo noluntatem efficacem demonſtrat (§. 508.).

§. 1362. Cum homo ſub iisdem circumſtantiis actum, quem alterum in ipſius præjudicium ſuſcipere velle animadvertit, aut velit, aut nolit, aut plane indifferens ſit ad ejus ſuſceptionem vel omiſſionem (§. 1360.), noluntatem vero non oſtendat (§. 1361.); ſequitur, ut ille ſub eadem hypotheſi aut velit actionis ejusmodi exiſtentiam, aut indifferens ſit ad eandem. Si poſueris prius, voluntas adeſt; ſin poſterius ſumſe-

ſumſeris, h. e. ejus indifferentiam, ſuſceptio illius actus ei minus adverſatur (§. 1360.). Id quod cum deprehendatur etiam in homine, qui vult; cognoſcimus aliquam ſimilitudinem inter voluntatem & indifferentiam mentis. Ob hanc ſimilitudinem ab indifferentia mentis ad ejus voluntatem argumentari poſſumus per principium reductionis (§. 84. 85.), ſeu ob hanc analogiam ea, quæ de voluntate valent, etiam ad ipſam mentis indifferentiam applicanda veniunt. Homo itaque ſub eadem hypotheſi in utroque & conſequenter in omni caſu velle ſuſceptionem actus, qui cæteroquin ſibi præjudicio eſſe poteſt, jure ſupponitur.

Scholion. Demonſtratio etiam hac ratione formari poteſt. In noſtro caſu ſupponitur, quod aliquid ſuſcipiatur in alicujus præjudicium. Hinc illius ſtatus indifferentiæ, ubi is ſuſceptionem actus pro re, in ipſius præjudicium tendente, non habet (§. 1360.), in nullam conſiderationem cadit. Reſtat itaque, ut ejusmodi homo rem ſuſcipiendam aut velit, aut nolit. Poſterius hic locum habere non poteſt (§. 1361.), prius ergo remanet. Voluntas itaque ejusmodi homini merito tribuitur.

§. 1363. Qui vult, conſentit (§. 1260.). Qui itaque contra ſuſceptionem actus, qui ei videtur eſſe præjudicio, non proteſtatur, cum ille tamen non impediatur, is conſentit in illam (§. 1362.), idque tacite (§. 1347.). Juxta hanc explicationem admittendum eſt illud: *qui tacet, conſentire videtur.*

§. 1364. Cum caſus, §. præcedenti allatus, habeatur communiter pro facto, unde ad conſenſum non proteſtantis tacitum argumentari liceat; demonſtrationem illius tentare volui, præcipue cum eadem theſi in evincenda præſcriptione gentium cum ſucceſſu uti poſſimus.

§. 1365. *Proteſtatio*, qua quis utitur contra illud, in quod jamjam conſenſit, vel conſentire debet, dicitur *facto contraria*. *Conſentire & conſentire debere* in ſphæra morali pari paſſu ambulant. Si quis conſenſiſſet in finem, & tamen contra uſum remediorum & contra remotionem impedimen-

torum

torum proteſtetur, ejus contradictio pro facto contraria habetur.

§. 1366. Proteſtatio facto contraria eſt illa, quam adhibet aliquis contra illud, in quod jamjam conſenſit (§. 1365.) Sed ſi proteſtamur, diſſenſum externum declaramus (§. 1353.); in proteſtatione ergo facto contraria deprehendimus conſenſum & diſſenſum ſimultaneum, quod eſt contradictorium (§. 37.). Proteſtatio itaque facto contraria eſt nulla, & ex conſequenti nihil operatur.

§. 1367. Obligatio ad actum aliquem exequendum exigit poſſibilitatem agendi naturalem (§. 309. 307.). Hinc in nonvalentem agere nulla cadit agendi obligatio. Ergo nonvalenti agere non imputatur omiſſio actus (§. 478.). Vnde patet, quod non-valenti contradicere actui, qui in præjudicium noſtrum tendit, non imputetur omiſſio contradictionis ſeu proteſtationis (§. 1355.).

§. 1368. Dantur *pacta expreſſa*, dantur & *tacita* (§. 1288. 1347.).

§. 1369. *Conſenſus fictus* eſt, qui tribuitur alicui, & quem in eo non deprehendimus (§. 36.). Conſenſus ejusmodi a nonnullis ponitur vel in eis, qui facultate conſentiendi phyſica non gaudent (§. 1257.), vel in eis, qui illa quidem pollent, actu tamen non conſentiunt.

§. 1370. *Conſenſus præſumtus* tribuitur nobis non niſi ob naturam negotii, a cujus ſuſceptione ad noſtram voluntatem directo non concluditur, & ob conditionem viri boni, quæ definitio B. *E. Gerhardi* eſt. Vir bonus non vult locupletior fieri cum alterius damno. Negotium ejusmodi ſuſcipitur ab aliquo vel in alterius gratiam, vel ſui commodi cauſſa, ita tamen ut & aliorum commoda in cenſum veniant. Hinc duplex oritur caſus, ubi conſenſus præſumtus locum habere poſſit. *Præſumtum conſenſum* GVNDLINGIVS definit per eum, qui ex facto quidem non omnibus cognito, per ratiocinationem tamen aſſeritur. Ejusmodi conſenſus præſumtus tribuitur negotiorum geſtori & negotii domino, nec minus parentibus, ſi quis absque eorum præſcitu contraxerit cum libe-

Digitized by Google

liberis, auxilio contrahentis indigentibus. Hinc orta ſunt *pacta præſumta*, ubi conſenſus præſumtus alteri tribuitur.

§. 1371. Conſenſus fictus opponitur *conſenſui vero*, qui actualiter in aliquo adeſſe exiſtimatur, & cujus ſpecies ſunt conſenſus expreſſus & tacitus (§. 1347.).

§. 1372. Conſenſus præſumtus videtur eſſe fictus (§. 1370. 1369.), ſi definitionem fictionis § 36. allatam, ſequi velimus. Eandem ſententiam fovet HEINECCIVS, *conſenſum præſumtum* definiens per eum, qui a legislatore fingitur interceſſiſſe ob æquitatem, quam interceſſerit nunquam.

§. 1373. Si quis in negotium, in gratiam ſui ab altero jamjam ſuſceptum, actu conſentit, *ratum habere negotium ſuſceptum* dicitur. Ejusmodi conſenſus retrotrahitur ad initium negotii ſuſcipiendi per fictionem. Quo caſu conſenſus in rem præteritam fingitur (§. 36.).

§. 1374. Fictiones ejusmodi doctrinæ gratia ab haud paucis juris doctoribus, idque mea quidem ſententia, non ſine ratione ſufficiente admittuntur.

§. 1375. *Pactum*, ubi acceptans nihil repromittit, *unilaterale*; ſed ubi acceptantis repromiſſum, ab altero paciſcente acceptatum, deprehenditur, *bilaterale* dicitur. In bilaterali pacto datur pactum duplex (§. 1277.), ex quo oritur duplex obligatio & duplex jus pactitium (§. 1324. 1328.).

§. 1376. Literæ in pactis quidem melioris probationis cauſa adhiberi poſſunt, neceſſitatis tamen abſolutæ non ſunt (§. 1277. 178.). Id quod etiam de ſolenni verborum conceptione ſeu ſtipulatione Romanorum pronunciandum eſt.

§. 1377. *Modus promittendi* varius eſſe poteſt. Promiſſum enim fieri poteſt vel *pure*, vel *in diem certum*, vel *ſub conditione*, vel *alterne* vel *copulate*, vel *mediate* vel *immediate*.

SCHOLION. Cum dependeat a voluntate paciſcentium, utrum velint paciſci, nec ne (§. 1291.), etiam modus paciſcendi nec minus conſummandi & exequendi pacta ab eorum arbitrio repetendus eſt. Hoc ad ſymbola & actus repræſentativos applicandum eſt.



Digitized by Google

§. 1378. *Promiſſum conditionatum* dicitur illud, quod alteri datum eſt ſub exiſtentia conditionis alicujus. Hinc adimpletio ejusmodi promiſſionis ab exiſtentia conditionis adjectæ dependet. Niſi itaque conditio effectui detur, promittens ad implendum promiſſum non tenetur.

§. 1379. Si fiat, ut aliquis mediate, ſeu per alium, nobiſcum paciſcatur, mandatariis repræſentat perſonam mandantis. Hæc repræſentatio eſt fictio (§ 36.), doctrinæ gratia adhiberi ſolita (§. 88. 1374.). Huc referas actus repræſentativos, in conſummandis pactis adhiberi ſuetos.

§. 1380. Qui in promittendo utitur dolo, is repræſentationibus fictitiis alterum commovet ad pactum ſecum ineundum (§. 1154). Sed fictitiæ promittentis repræſentationes ſunt diverſæ a mente ejus (§. 51.); qui ergo in promittendo utitur dolo, is repræſentationibus, a mente ſua diverſis, commovere vult alterum ad pactum ſecum ineundum. Enimvero repræſentationes, quibus utuntur promittentes, ab eorum mente diverſæ eſſe non debent (§. 1340.); dolus ergo pactionibus celebrandis repugnat. Pactum igitur, ad quod alter dolo inductus eſt, nullum habetur.

§. 1381. Pugnat etiam dolus cum ſinceritate, quæ a promiſſionibus abeſſe non poteſt (§. 1155. 1341.).

§. 1382. Pactum, ad quod alter dolo inductus eſt, nullum habetur (§. 1380.). Vbi nullum pactum, ibi nulla obligatio, nec ullum jus pactitium oritur (§. 1324. 1328.). Ergo in doloſe paciſcentem nullum jus ab altero translatum cenſetur, nec ulla in decepto concipitur obligatio.

§. 1383. Pactum, ad quod alter dolo inductus eſt, nullum eſt (§. 1380.). Pacto itaque ejusmodi τὸ noſtrum non mutatur in alienum (§. 1314.). Hoc proinde caſu alienum permanet alienum.

§. 1384. Doloſe promittens eo tendit, ut alienum uſurpet (§. 1383. 1356.).

§. 1385. Doloſe promittens eo tendit, ut alienum uſurpet (§. 1384.). Vſurpatio alieni eſt læſio perfecta (§. 767.);

(§. 767.); dolus ergo, quo quis uſus eſt in pactis, eſt læſio perfecta.

§. 1386. Ejusmodi dolum eſſe malum, patet ex §. 1157. & 1384.

§. 1387. Qui errat, is judicium falſum pro vero habet (§. 115.). *Judicium verum* eſt judicium objecto conſentiens; *falſum* vero eſt judicium ab objecto diſſentiens. Qui proinde errat, is judicium ab objecto diſſentiens habet pro judicio, quod objecto conſentiens eſt. Paciſcentes ergo, qua tales, errant, qui judicium ab objecto pactitio diſſentiens habent pro judicio, quod objecto eidem conſentiens eſt.

§. 1388. Quicquid impedit conſenſum, illud & promiſſionem & acceptationem (§. 1254. 1264.), & conſequenter pactionem impedit (§. 1277.). Eadem concluſio concipitur ex §§. 1287. 1288.

§. 1389. Quicquid non impedit conſenſum, illud nec promiſſionem, nec acceptationem (§. 1254. 1264), nec adeo pactum impedit (§. 1277.). Eadem concluſio concipitur ex §§. 1287. 1288.

§. 1390. Homini tribuitur *error inefficax*, qui actionem ſuſcepiſſet vel omiſiſſet, licet minus erraſſet. Hinc paciſcentis error inefficax eſt, qui, licet non erraſſet, in negotium tamen conſenſiſſet. Ejusmodi itaque error conſenſum promiſſorium non impedit & conſequenter pactum invalidum reddere non poteſt (§. 1389.).

§. 1391. *Error efficax* tribuitur alicui, qui niſi erraſſet, actionem non ſuſcepiſſet, neve omiſiſſet. Hinc paciſcentis error efficax dicitur, qui non conſenſiſſet in negotium, niſi erraſſet. Ejusmodi itaque error conſenſum promiſſorium impedit, & obſtat, quo minus fiat pactio (§ 1388.) & quo minus ulla oriatur obligatio, & ullum jus pactitium (§. 1324. 1328.). Hoc itaque caſu altera pars contra alteram ob defectum juris ex pacto agere non poteſt.

§. 1392. Licet contra errore efficaci ſeductos alter paciſcentium, qui illius erroris cauſſa non eſt, ex pacto agere



Digitized by Google

non poſſit (§. 1391.); ſi is tamen damnum docere poſſit, quod ſibi enaſcatur ex alterius errore vincibili (§. 996.); ad illius reſarcitionem errans obligatur (§. 996.). Qui cauſſa erroris eſt, is habetur pro cauſſâ damni, inde aliis prognati (§. 593.).

§. 1393. Ad pacta cum aliis celebranda nemo cogi poteſt ante læſiones (§. 1291.). Si quis nos velit cogere ad aliquid expediendum, malum futurum nobis repræſentat (§. 579.), & ex conſequenti metum nobis injicere connititur (§. 314.). Pacta itaque metu, ante læſionem nobis incuſſo, h. e. injuſto (§. 1092.), extorta, ſunt nulla.

§. 1394. Actio metu coacta eſt voluntaria (§. 580. 581. 582.). Licet itaque ad aliquid metu cogamur, tamen adhuc volumus. Qui poteſt velle, is etiam poteſt affirmare, velle ſe alteri aliquid præſtare, & ex conſequenti ad promiſſiones celebrandas aptus eſt (§. 1244.). Et cum metu coactus velle poſſit, & actu velit, ob hanc quoque cauſſam conſenſum ſuum promiſſorium alteri declarare poteſt (§. 1260.). Hinc ob ſolum conſenſum deficientem pactum, metu extortum, pronunciari non poteſt invalidum, cum facultatem conſentiendi phyſicam in eo, qui metu cogitur, adhuc deprehendamus (§. 1257.).

§. 1395. Qui nos nec læſit, nec lædere connititur, ille nec diſceptationis nec belli cauſſam juſtificam (§. 1093.) nobis ſubminiſtrat. Quo caſu nullo gaudemus jure eum cogendi ad aliquid nobis promittendum (§. 1090.), neque adeo nobis competere poteſt jus acceptandi promiſſum, quod ob defectum juris cogendi non adeſt (§. 1264.). Hoc caſu nullo gaudemus jure alteri metum incutiendi (§. 479.), ut ille promittat nobis aliquid, neque adeo nobis competit jus acceptandi promiſſum, quod ob defectum juris metum alteri incutiendi non adeſt; pactum ergo metu, cui nulla præceſſit læſio & qui injuſtus eſt (§. 1092.), extortum, nullum eſt. Sic pactum cum concuſſore & latrone initum invalidum eſt.

§. 1396. Hinc ex ejusmodi pactis nulla obligatio, nec ullum jus pactitium naſcitur (§. 1324. 1328.).

§. 1397.

Digitized by Google

§. 1397. Vnde patet, quod, licet Carolus V. per Galliam tranſiens promiſiſſet Franciſco I. Ducatum Mediolanenſem roganti, tamen ejusmodi pactum nullum fuiſſet.

§. 1398. Ejusdem Imperatoris dolum bonum fuiſſe, quando eodem ſeſe deſiderio teneri reſpondit Legato, quo ipſius Rex teneretur; patet ex §. 1158. Conf. *Gundling.* J. N. c. XII. §. VII.

§. 1399. Suffecerit jam annotaſſe ejusmodi pactiones, metu extortas, a jure naturali externo robur nanciſci nullum.

§. 1400. Qui nos vel læſit, vel lædere connititur, ille dat nobis cauſſam diſceptationis & belli juſtificam (§. 1092.). Quo caſu gaudemus jure eum cogendi ad promiſſa nobiſcum celebranda (§. 1090.), atque adeo nobis competit jus acceptandi promiſſum, quod ob jus cogendi & ob ejus facultatem conſentiendi phyſicam locum habet (§. 1264. 1394.). Et cum eodem caſu jure gaudeamus alteri metum incutiendi (§. 579.), ut ille nobis ratione vel ſatisfactionis, vel ſecuritatis aliquid promittat, atque adeo nobis competat jus acceptandi ob jus ei metum incutiendi; pactum metu, qui læſionem præponit & conſequenter juſtus eſt (§. 1092.) extortum eſt juſtum & ſervandum (§. 1313.). Conf. §. 585.

§. 1401. Ejusmodi pacta, metu quippe juſto extorta, obligationem externam & jus pactitium producunt (§. 1324. 1328.).

§. 1402. In quibus rebus gradus conſpiciuntur, ibi poteſt aſſumi maximum, medium & minimum. Id quod ad diligentiam debitam, ad culpam & dolum applicandum §. 554.

§. 1403. Neglectio diligentiæ debitæ ſummæ, *culpa leviſſima*, mediæ *levis*, infimæ *lata* dicitur.

§. 1404. Qui per pactum in ſe recepit finis alicujus obtentionem, pactus etiam eſt de remediis adhibendis (§. 512.), de impedimentis removendis (§. 518.), de agendi occaſione vel arripienda, vel ſuſcitanda (526. 527.).

§. 1405. Si quis pactus fuerit cum altero de expediendo negotio, tanquam quodam fine obtinendo; promittens



Digitized by Google

etiam obligatur ad uſum remediorum, ad remotionem impedimentorum, ad occaſionem datam arripiendam (§. 1404. 1324.), & ex conſequenti ad diligentiam (§. 544.), vel ſummam, vel mediam, vel infimam præſtandam (§. 1402.), idque pro ratione negotii ſuſcipiendi (§. 555.).

§. 1406. Datur itaque diligentia debita, in foro externo conſiderata, cujus præſtandæ obligatio ex pactione deſcendit (§. 1405. 947.). Quæ obligatio externa eſt (§. 1324.).

§. 1407. Neglectio diligentiæ ejusmodi debitæ eſt actio obligationi externæ ſeu officio ſtricto repugnans (§ 1406.), & conſequenter læſio perfecta (§. 764.) jure exiſtimatur.

§. 1408. Notemus hunc caſum, ubi neglectio diligentiæ debitæ habeatur pro læſione in foro externo.

§. 1409. Neglectio diligentiæ debitæ eſt vel deliberata vel indeliberata. Prior proæreſis ſeu dolus, poſterior culpa audit (§. 553.). Vtriusque imputabilitatem §. 551. in genere demonſtravimus. Datur itaque dolus, datur culpa, qui vel quæ læſio perfecta eſt (§ 1407.).

§. 1410. Dantur læſiones doloſæ, dantur etiam culpoſæ (§. 1409). Id quod etiam de damnis affirmandum (§. 769.).

§. 1411. Dantur doli & culpæ, qui vel quæ læſiones ſunt (§. 1407), & quibus violatur τὸ ſuum cuique (§. 767.). Dantur itaque doli ſtricte ſumti, dantur etiam culpæ ſtricte ſumtæ (§. 952.).

§. 1412. Datur culpa lata, levis & leviſſima, ſtricte dicta (§. 1403. 1405. 1411.), quarum quælibet deſcendit ex pacto (§. 1405.).

§. 1413. Qui culpæ latæ reus eſt, is ne infimum quidem diligentiæ debitæ gradum præſtitit (§. 1403.), atque adeo in illo plane nullus uſus virium, explendo officio ſufficientium (§. 546.), & ex conſequenti voluntas efficax prorſus nulla ſeu propoſitum nullum explendi officium conſpicitur (§. 545.). Enimvero in eo, qui doli reus eſt, etiam voluntas efficax prorſus nulla ſeu propoſitum penitus nullum ſatisfaciendi officio deprehenditur (§. 561.). Datur ergo ſimilitudo inter

culpam

Digitized by Google

culpam latam & dolum (§. 52.). Hæc videtur eſſe ratio, cur *culpa lata dolo æquiparetur.*

§. 1414. Concipimus imputationem culpæ & doli ad reparationem damni (§. 996. 991. 1410.), minus tamen ad pœnam in ſtatu naturali (§. 919.).

§. 1415. Connexa ſunt, quorum unum concipitur ex altero (§. 73. 42.).

§. 1416. Obligatio unius partis concipitur ex pacto juſto immediate (§. 41. 1324.), atque adeo illi cum hoc intercedit nexus (§. 1415.). Id quod etiam de jure quæſito pactitio affirmandum (§. 1328.). Hinc jus & obligatio pactitia cum eodem tertio, nempe cum pacto, connexa ſunt. Quæ connexa ſunt cum eodem tertio, connexa ſunt inter ſe. Ergo jus & obligatio pactitia ſunt connexa inter ſe. Vnde patet, quod inter paciſcentes detur *nexus,* qui *pactitius* dicitur, & contingens eſt (§. 179.).

CONSECTARIVM. In pactis bilateralibus datur duplex nexus pactitius (§. 1375.).

§. 1417. Durante vel ſoluta obligatione, durat vel ſolvitur nexus inter paciſcentes (§ 1416.). Nec minus patet, quod durante vel ſoluto jure duret vel ſolvatur nexus pactitius.

§. 1418. Si effectui data fuerint, quæ ab utraque parte promiſſa ſunt, pactum bilaterale adimpletum cenſetur (§. 1375. 1269.), & obligatio exſpirat (§. 1324.), nec minus nexus paciſcentium ſolutus eſt (§. 1417.).

§. 1419. *Remittit* paciſcens alteri *promiſſum* ſeu *debitum,* quando declarat, ſe nolle, ut alter promiſſum adimpleat ſeu, ſe velle, ut alter promiſſum non adimpleat. Juris permiſſi vel ſibi competentis remiſſio dicitur *renunciatio.* Hæc igitur eſt actus, quo quis declarat, ſe jus amplius habere nolle.

§. 1420. Remiſſione debiti alter ab obligatione liberatur (§. 1419. 1324.). Sed & idem fieri ſolet, ſi alter promiſſum ſuum adimpleat (§. 1418.). Concipimus ergo inter remiſſionem promiſſi ſeu debiti (§. 1326.), & inter adimpletionem promiſſi ſimilitudinem (§. 52.). Hinc per principium



Digitized by Google

reductionis(§.84.85.) a remiſſione promiſſi ad adimpletionem illius concludimus. Si quis itaque alteri remiſerit promiſſum ſeu debitum, idem eſt ac ſi alter promiſſum impleverit. Notemus hanc fictionem heuriſticam (§.88.).

SCHOLIVM. Remiſſio eſt ſpecies promiſſi (§ 1244. 1419.). Ejus itaque validitas requirit acceptationem alterius, cui aliquid remittitur (§. 1275.& conſequenter *pactum* (§. 1277.), *liberatorium* dici ſuetum, quo quippe quis ab obligatione pactitia ſolvitur. Idem eſt affirmandum de renunciatione.

§. 1421. Nec minus perſpicuum eſt, remiſſione promiſſi totum nexum pactitium ſolvi, ſi & remittens promiſſum ſuum impleverit (§. 1417.).

SCHOLIVM. In pactis bilateralibus datur duplex nexus pactitius, per Conſect. §. 1416. Licet itaque alter paciſcentium remiſerit alteri debitum, eam tamen ob cauſam non uterque nexus exſpirat, cum remiſſione debiti tantum unus nexus evaneſcat.

§. 1422. Si idem nolle, ſignis externis manifeſtatum, deprehendamus in duobus reſpectu alicujus rei, eis tribuimus *diſſenſum externum mutuum*, qui adeo eſt identitas binarum noluntatem reſpectu alicujus rei tertiæ, ſignis externis manifeſtata.

§. 1423. Reclinatio mentis contradicit ejus inclinationi (§. 505.). Contradictoria ſe invicem tollunt. Reclinatio ergo mentis tollit inclinationem ejus. Hinc τὸ nolle tollit τὸ velle (§. 166. 167.). Vnde patet, quod idem nolle tollat idem velle. Diſſenſus proinde mutuus externus tollit conſenſum mutuum externum §. 1422. 1260.).

§. 1424. In pacto adeſſe debet conſenſus reciprocus (§. 1288.). Tollas conſenſum reciprocum paciſcentium, evaneſcit pactum. Sed tollitur conſenſus reciprocus per diſſenſum mutuum (§. 1423.); pactum ergo diſſenſu mutuo tollitur ſeu diſſolvitur.

§. 1425. Ex promiſſo acceptato ab altero concipitur exiſten-

Digitized by Google

exiſtentia pacti (§. 1277.41.). Ergo promiſſum acceptatum ab altero eſt cauſſa pacti, tanquam cauſſati (§. 202.).

§. 1426. Quæ demonſtrata ſunt de remiſſione debiti, ea etiam de renunciatione juris pactitii, quod eſt jus nobis competens (§ 1328.), pronuncianda ſunt (§. 1419.).

§. 1427. Promiſſum acceptatum ab altero concipitur ex conſenſu reciproco (§, 1254. 1264. 1260. 41.). Conſenſus ergo reciprocus eſt cauſſa promiſſi acceptati ab altero, tanquam effectus (§ 202.). Pactum eſt cauſſatum promiſſi acceptati ab altero (§. 1425.). Jam cum cauſſa cauſſæ ſit cauſſa cauſſati; conſenſus reciprocus paciſcentium eſt cauſſa pacti. Sublata cauſſa tollitur cauſſatum. Ergo ſublato conſenſu reciproco tollitur pactum. Enimvero conſenſus reciprocus tollitur diſſenſu mutuo paciſcentium (§ 1423.). *Diſſenſu itaque mutuo* etiam *tollitur pactum*, & ex conſequenti obligatio & jus pactitium (§. 1324. 1329.). Hæc eſt altera demonſtratio propoſitionis, §. 1424. allatæ.

§. 1428. Nemo eſt lædendus (§. 768.). Ergo ſi detur pactum, cujus diſſolutione læderetur tertius, pactum diſſolvendum non eſt. Notioni læſionis in expendendis caſibus huc ſpectantibus, ſtricte inhærendum eſt, niſi velis in illis decidendis agere contra principia.

§. 1429. Solo conſenſu noſtro pactitio, eodemque juſto τὸ noſtrum in alios transfertur (§. 1349.). Conſenſus noſter eſt factum noſtrum promiſſorium (§. 1260.). Hinc ſolo facto noſtro promiſſorio, eodemque juſto, τὸ noſtrum in alios transfertur. Unde concipimus regulam juris: *Id quod noſtrum eſt, nonniſi facto noſtro, in alterum transfertur.*

§. 1430. Noſtrum non poteſt fieri alienum, niſi facto noſtro (§. 1429.).

§. 1431. Id, quod alterius eſt, nonniſi facto ejus in alterum transferri poteſt (§. 1429.). Factum ejusmodi eſt ſolus conſenſus ejus promiſſorius (§. 1350.). Ergo id, quod alterius eſt, non poteſt transferri in alios, niſi ejus conſenſu promiſ-

ſorio. Id quod alterius eſt, alienum eſt (§. 747.). Ergo alienum non poteſt transferri in alium, niſi conſenſu ejus, cujus illud eſt.

§. 1432. Alienum, ſeu id quod alterius eſt, non poteſt transferri in alios ſolo conſenſu noſtro (§. 1431.). Cum firmitudine ergo neque res alienas promittere, neque adeo de illis paciſci (§. 1277.) poſſumus. *Res* alienæ poſſunt eſſe *corporales*, quæ in ſenſus incurrunt, nec minus *incorporales*, quæ ope intellectus ſolius cognoſcuntur, quales ſunt jura. Ad res alienas referas facta aliena. Conferas locum Grotianum, §. 747. allegatum, ubi actiones propriæ ad id, quod noſtrum eſt, referuntur. In ejusmodi caſibus promittens vel ad conatum ſummum, vel, ſi abſolute factum alienum fuerit receptum, recipiens ſine exceptione tenetur.

§. 1433. Dantur *jura temporaria*, quæ alicui ad tempus competunt, & quæ contradiſtinguuntur *juribus perpetuis*, quæ citra reſtrictionem ad certum tempus alicui competunt.

§. 1434. Per pacta juſta transferimus τὸ noſtrum in alios (§. 1314.). Ergo quod nondum noſtrum eſt, illud nondum transferre in alios, nec ex conſequenti de eo cum aliis paciſci poſſumus. Jam cum jura alterius temporaria, olim in nos devolvenda, nondum noſtra ſint, de eis etiam cum effectu nondum paciſci poſſumus cum aliis.

§. 1435. Quæſtionem alias paulo difficiliorem, utrum quis pro tertio absque ejus mandato alicujus promiſſum acceptare poſſit? ex ſuperius allatis principiis dijudicare poſſumus. Conf. *Gundlingii* J. N. §. LIII. c. XI.

§. 1436. Suum cuique tribuendum eſt principium juris naturalis externi (§. 754.). Homines infideles, aliique diverſæ religionis ſunt homines; proinde & iis ſuum tribuendum. Ex τῷ ſuum cuique deduximus cuſtodiam pacti juſti (§. 1311. 1312.), tanquam principiatum (§. 42.). Hinc & pacta juſta, cum hominibus infidelibus vel diverſæ religionis inita, ſervanda ſunt (§. 1312.).

§. 1437.

Digitized by Google

§. 1437. Quo jure velimus uti contra homines diverſæ religionis in ſtatu naturali, eodem & illi uti poſſunt contra nos (§. 905.). Ponas nos velle frui jure violandi pacta, cum illis celebrata, habebunt & illi jus nobis faciendi eadem. Conferas reliqua, quæ in §. citato monuimus.

§. 1438. Huc referas verba *Hobbeſii:* Cauſſa, quæ impedire non poterat, quin paciſcereris, non impedit, quin præſtes, niſi novus metus appareat, (ut in piratis). Nec male *Thomæ Aquinatis* dictum urgetur: Jus divinum, quod eſt ex gratia, non tollit jus humanum, quod eſt ex naturali ratione. Conf. *Gundlingii* J. N. G. c. XII. §§. 30. 31. 32. Reflectas tandem ad §. 823.

§. 1439. Non licere per leges, ut ne ſerventur illis promiſſa, qui fidem aliquando tibi vel aliis fefellerunt, facile eſt ad judicandum. Sunt verba *Gundlingii.* Facta aliorum non poſſunt tollere ea, quæ juris naturalis immutabilis ſunt (§. 354.)

CONSECTARIVM. Si quis pactum, tecum ab eo celebratum, adimplere prius nolit, quam tu conventioni priori ſatisfeceris; eum violare pactum affirmare non poſſumus, cum is paratus ſit ad cuſtodiendam pactionem, ſi ſibi abs te ſatisfactum fuerit.

§. 1440. Cum alma fides (§. 1338.) inter paucos mortales inveniatur, & mendacia (§. 1060.), malitia (§. 547.), fraudes (§. 1380.) plurimorum animos occupaverint; de jurejurando, novo tanquam vinculo morali, cogitatum eſt, quo homines ad explenda officia ſermonis magis adſtringi poſſint.

§. 1441. *Jusjurandum* eſt actus, quo quis Deum tanquam vindicem in ſe depoſcit, ſi ſibi defuturum ſit propoſitum promiſſo ſatisfaciendi. Eſſe jusjurandum aſſeverationem religioſam, facile patet (§. 836.).

SCHOLION. Cur in notione juramenti non niſi promiſſi rationem habeam, §. 1457. commonſtrabit.

§. 1442. Jusjurandum eſt aſſeveratio religioſa (§. 1441.) Religio vel vera eſt vel falſa (§. 837.). Hinc dantur *juramenta*



Digitized by Google

*vera*, ubi quis Deum verum tanquam vindicem invocat; dantur & *imaginaria* & *ex opinione alterius pendentia*, ubi quis Deum imaginarium invocat.

§. 1443. In jurejurando deprehenditur repræſentatio juſtitiæ vindicativæ divinæ (§. 1441.), quæ omnipræſentiam & omnipotentiam divinam præponit. Hinc & jurans Deum, tanquam teſtem facti ſui, invocat.

§. 1444. Qui bonum bono, *remunerator boni*, qui malum malo compenſat, *vindex mali* dicitur. Jurans ergo Deum in ſe depoſcit tanquam ens, quod violationem promiſſi malo compenſare & vult & poteſt (§ 1441.).

§. 1445. In jurante datur repræſentatio mali futuri, a vindicta divina pendentis (§. 1441. 1443.), & conſequenter metus (§. 314.), qui eum ad expletionem promiſſi magis ſtimulare poſſit.

§. 1446. *Juſtitia divina* eſt nexus ſummæ bonitatis cum ſumma ſapientia (§. 798.). Quatenus Deus cum actionibus bonis præmia, cum malis vero pœnas copulavit; eatenus ipſi tribuitur *juſtitia remuneratoria* & *vindicativa* ſeu *punitiva* (§. 1444.).

§. 1447. Pœnas & præmia naturalia, quibus actiones per ſe turpes honeſtæve ſtipantur, eſſe divina §. 366. demonſtravimus. Id quod etiam ex §. 818. patet.

§. 1448. Ejusmodi pœnæ vel præmia naturalia ad juſtitiam divinam vel vindicativam vel remuneratoriam ſpectant (§. 1446.).

§. 1449. Exiſtentiam contingentem totius mundi & conſequenter omnium phænomenorum dependiſſe ab arbitrio divino, ex theologia naturali conſtat. Vnde patet, quod exiſtentia omnium mundi phænomenorum arbitraria eſſe debeat.

§. 1450. Dantur fata, quæ nobis vel proſpera vel adverſa ſunt, & quæ non ex actionibus noſtris liberis, ſed ex ſyſtemate mundano exiſtenti dependent. Ejusmodi fata cum ſint phæno-

Digitized by Google

phænomena mundana, quæ fines divini particulares ſunt (§. 817.); eadem finibus divinis particularibus accenſeri merentur. Sed cum omnes fines particulares divini tendant ad conſecutionem finis ultimi divini, qui eſt illuſtratio gloriæ divinæ (§. 816.); Summum Numen utitur fatis adverſis proſperisve ad illuſtrandam gloriam ſuam, & ex conſequenti ad religioſiorem legum naturalium cuſtodiam nobis inculcandam & ad nos ab earundem violatione deterrendos (§. 823.). Fata proſpera ſunt bona, fata adverſa mala ſunt, eademque ab arbitrio divino pendentia (§. 1449.). Repræſentat itaque ſummum Numen hominibus bona & mala arbitraria, ut eos ad LL. naturalium cultum commoveat, deterreatque ab earum contemtu. Sed ejusmodi mala vel bona arbitraria ſunt pœnæ vel præmia divina arbitraria (§. 362.); dantur itaque pœnæ & præmia divina arbitraria, quæ peculiari ratione efficiunt, ut Deum tanquam legislatorem veneremur. Suffecerit jam tetigiſſe hanc materiam arduam, alio forte tempore calamo pleniori elaborandam. Conf. Illuſtr. *Wolffii* doctr. Moral. §. 30. 31.

§. 1451. Juſtitia divina remuneratoria & vindicativa, non minus præmiis vel pœnis naturalibus, quam arbitrariis utitur (§. 1446. 1448. 1450.). Id quod in doctrina de jurejurando eo magis notandum, quo magis neceſſariæ ſint pœnæ divinæ arbitrariæ ad coercenda perjuria.

§. 1452. In eodem noſtro argumento maximi momenti eſt veritas, quæ ex vera idea ſyſtematis mundani divini, & ex axiomatibus ſummi Numinis derivanda eſt, & quæ eo redit, ut nulla actio maneat vel irremunerata vel impunita.

§. 1453. Quæ omnia ſatis commonſtrant, quanti momenti ſit conjunctio veræ religionis naturalis cum ſtudio Legum naturalium, quippe qua efficitur, ne homines leviori jurent lingua & mentem injuratam gerant.

§. 1454. Datur officium ſermonis, quod eo tendit, ut veritatem

Digitized by Google

ritatem facti, aliis occulti, retegamus, ſi eorum inde promoveatur utilitas & felicitas (§. 695.). Ejusmodi officium cum ſpecies auxilii ſit (§. 720.), illud indebitum eſt in foro externo (§. 745.). Sed ſi quis paciſcatur citra violationem τῦ ſuum cuique de alicujus rei veritate revelanda cum altero cujus intereſt illam noſſe; officium illud humanitatis mutatur in officium debitum (§. 1325.).

§. 1455. Sed ob rationes, §. 1440. allatas, homines, quibus alii revelationem veri promittunt, eis ſæpius deferre ſolent *jusjurandum*, alias *aſſertorium* dici ſuetum.

§. 1456. Eisdem cauſſis, §. 1440. in medium *prolatis*, commoti ſunt mortales ad promiſſiones & pactiones *alias* circumvallandas *jurejurando*, *promiſſorium* appellari ſolito.

§. 1457. Jusjurandum unum eſſe, puta promiſſorium, patet ex §. 1455. 1456. adſtipulante *Gundlingio*. In utroque enim caſu promiſſum jurejurando corroboratur.

§. 1458. Jusjurandum præponit promiſſum & pactum magis corroborandum (§. 1457.). Ex pacto oritur obligatio, & jus alteri quæſitum pactitium (§. 1324. 1328.). Jusjurandum ergo præponit obligationem, & jus alteri jam quæſitum, magis corroborandum.

§. 1459. Pactum juſtum producit obligationem pactitiam, quæ deprehenditur in promittente citra jusjurandum (§. 1324.).

§. 1460. Jusjurandum (§. 1458.), & conſequenter obligatio ex illo ceu effectus, oriunda, præponit obligationem & jus pactitium. Si itaque ſuſtuleris obligationem illam & jus pactitium jam quæſitum, tolles jurisjurandi obligationem. Hinc ubi nulla datur promiſſi aut pacti obligatio, nec ullum jus pactitium; ibi nulla datur jurisjurandi obligatio. Enimvero nulla obligatio pactitia, nec ullum jus pactitium absque pacto juſto concipitur (§. 1324. 1328. 1329.); jurisjurandi ergo obligatio absque pacto juſto non datur. Hinc ſi pactum fuerit injuſtum, nulla producitur juramenti obligatio, h. e. nihil juratur.

CON-

Digitized by Google

Consectarium I. Cum jusiurandum præponat pactum iuſtum per §. præſentem, & paciſci non poſſimus de rebus vel abſolute, vel naturaliter, vel moraliter impoſſibilibus caſibus juramentum nullam producit obligationem.

Consectarium II. Pactum poſterius, cum aliquo celebratum, quo violatur pactum prius, cum aliis initum, ita eſt comparatum, ut illud paciſcentes priores lædat (§. 1320.); & conſequenter ſuum cuique violet (§. 767.), atque adeo iniuſtum ſit (§. 797.). Eiusmodi pactum poſterius iuratum nullam producit obligationem. per §. præſentem. Hoc caſu pactum iuratum non eſt præferendum pacto iniurato.

§. 1461. Pacta iniuſta in foro externo ſunt ea, quibus violatur τὸ ſuum cuique (§. 797.). Hoc ergo caſu nihil iuratur (§. 1460.).

§. 1462. Si poſueris pacta iniuſta iuramento corroborari poſſe, iuramentum eſſet vinculum iniquitatis, iniuſtitiæ, perfidiæ, atque adeo violationis legum naturalium, illuſtrationi gloriæ divinæ repugnantis (§. 823.). Jusiurandum in iuſtum & iniuſtum partiri poteſt (§. 1441.).

§. 1463. Dantur homines, qui ob leviores cauſſas pactum iuſtum violant, qui tamen in eius adimpletione religioſiores ſunt, ſi ei acceſſerit jusiurandum. Hoc itaque ceu maius incitamentum adhiberi poteſt ad iuris N. cuſtodiam (§. 1323. 1300.), cum illuſtratione gloriæ divinæ copulatam (§. 823.).

§. 1464. Dantur alii, qui a pacto quidem iuſto adimplendo alieni non ſunt, licet illud non ſit iureiurando munitum, qui tamen eius præſtatione tutius fidei ſuæ pignus dare poſſunt paciſcentibus, accedente eiusmodi aſſeveratione religioſa (§. 1338.). Jureiurando itaque promoventur promiſſiones mutuæ, quibus alii ab aliis promtius auxilium expectare poſſunt (§. 1229.), quod Juri Naturæ convenientiſſimum eſt (§. 721.).

§. 1465.

Digitized by Google

§. 1465. Licitum eſſe jurare, facile eſt ad judicandum ex §§. 1463. 1464.

§. 1466. Si malis, quorum non ſumus cauſſæ, & quæ præpedire non poſſumus, ad bonum finem utamur, ejusmodi malorum uſus malus non eſt (§. 145.). *Uti tali malo ad bonum finem* perinde eſt ac malum illud dirigere ad bonum finem.

§. 1467. Dantur homines, qui divinitatem falſam & imaginariam reverentur. Ejusmodi cultus divinitatis fictitiæ & ex conſequenti religio falſa (§. 837.) eſt error (§. 115.), & malum (§. 145.). Si cultor veri Numinis paciſcatur cum homine, ſacris impurioribus addicto, eumque, ſi aliter rebus ſuis conſulere nequeat, adigat ad promiſſum juſtum jurejurando, quod falſi dei invocatione nititur, circumvallandum, eumque adeo ad arctiorem pacti cuſtodiam commoveat; ejusmodi uſus jurisjurandi majorem juris naturalis cultum promovet (§. 1323. 1300.), & ex conſequenti ad bonum finem obtinendum tendit, neque adeo malus eſſe poteſt (§. 1466.).

§. 1468. Si pactum fuerit injuſtum, nihil juratur (§. 1460.). Hinc juramentum, quo pactum injuſtum communitur, nullum eſt & injuſtum. Ergo jusjurandum metu, qui nullam læſionem, vel nullam aliam juſtam cauſſam præponit, nullum eſt & injuſtum (§. 1395.). Huc redit proverbium Germanorum: *Ein gezwungener Eyd iſt GOtt leyd.* Expendi merentur §§. XV. XVI. XVII. J. N. *Gundlingii.* Nec minus notatu digna ſunt verba Guarini: *Là libertà è don del cielo, chi non fà forza à chi riceve forza.* De vi injuſta loquimur (§. 1092.).

§. 1469. Jusjurandum concuſſori vel latroni præſtitum invalidum eſt (§. 1468. 1299. 1269.). Ponas aliquem ſub juramento alteri promiſiſſe retegere arcana patriæ, quæ tamen reticere obligatus eſt; ejusmodi jusjurandum invalidum eſt.

§. 1470.

Digitized by Google

§. 1470. Nec in ejusmodi caſu opus videtur eſſe *relaxatione juramenti*, quæ actus eſt, quo illud declaratur invalidum & inefficax, hoc eſt, minus ſervandum (§. 1269.) Quod in ſe invalidum eſt, illud ut declaretur pro invalido, opus non eſt.

Schol. Licet nulla obligatio ex juramento producatur, ſi pactum injuſtum fuerit (§. 1460.); ſi pacta tamen juſta jurejurando corroborentur, jurans pœnas divinas arbitrarias, ſibi, jusjurandum violaturo, expectandas (§. 1451.), & ex conſequenti mala graviora, quæ diverſa ſunt a malis, ex violatione pacti, jurejurando non vallati, haud oriundis, ſibi repræſentat. Enimvero repræſentatio ejusmodi malorum peculiarium ſunt motiva nova (§. 170.), quæ connectuntur in animo jurantis cum eventuali jurisjurandi violatione; præſtatio itaque jurisjurandi, quo pactum juſtum ſtipatur, novam obligationem producit (§. 302. lit g.), qua accedente obligatio pactitia magis corroboratur, id quod finis eſt jurisjurandi (§. 1440.).

§. 1471. Dantur promiſſa, metu juſto extorta, quæ juſta ſunt (§. 1400.). Dantur ergo & jurajuranda, metu juſto extorta, quæ juſta ſunt, & quæ obligationem, jusque pactitium roborant (§. 1401.). Huc referas caſum, quo victor victo ex jure victoriæ conditiones duriores, juramento corroborandas, proponit.

§. 1472. Violatio jurisjurandi ſignificat *perjurium*. Hoc præponit propoſitum violandi jusjurandum (§. 509.), quod in foro ſaltem interno imputationem patitur (§. 572.). Conf. §. 586.

§. 1473. Perjurii reus eſt, qui pactum juratum, idque juſtum violat (§. 1472.). Violatio pacti juſti eſt læſio perfecta (§. 1311.). Hinc commiſſio perjurii eſt læſio, & conſequenter cauſſa diſceptationis & belli juſtifica (§. 1092.).

§. 1474. Perjurii reus eſt, & qui pactum juratum, idque juſtum violat (§. 1472. 1441. 1460.), & ex conſequenti commiſſio perjurii eſt perfidia (§. 1338.).

§. 1475. Perjurus vult jurare lingua & mentem injuratam gerere (§. 1472. 1441.), & ex conſequenti uti ſermone, diverſo a mente, hoc eſt, falſiloquio (§. 1060.), quod conjunctum eſt cum læſione alterius (§. 1473.). Quod cum dicatur mendacium (§. 1060.); perjurus vult uti mendacio ad pactum juſtum violandum (§. 1474.).

§. 1476. Perfidus famam ſuam minuit (§. 1338. 1311.). Id quod applicandum ad perjurii reum (§. 1474.).

§. 1477. Juſtus vel externe talis, perfidus & perjurus non eſt (§. 801. 1338. 1473.).

§. 1478. Jurare poſſumus per litteras, nec minus per mandatarium. Caſu poſteriori alter *in alterius animam jurare* dicitur, cum mandatarius perſonam mandantis repræſentet (§. 1379.).

EXER-

# EXERCITATIO VII.
## DE
# JVRE DOMINIORVM.

§. 1479.

Res externæ vel pertinent ad nos eodem modo, quo pertinent ad alios; vel ad nos ita pertinent, ut non ad alios eodem modo pertineant. Priori caſu *res externæ* dicuntur *communes*, poſteriori vero nobis *propriæ* ſeu *noſtræ*. *Res* vero *alienæ*, quæ rebus poſterioris generis opponuntur, dicuntur eæ, quæ ad alios ita pertinent, ut eodem modo ad nos non pertineant.

§. 1480. Status hominum, ubi omnibus vel pluribus ex æquo competit facultas rebus externis in ſui emolumentum utendi, dicitur *communio bonorum.* (§. 1479.). Hinc in communione bonorum omnes habent jus æquale utendi rebus in ſui emolumentum.

§. 1481. Nemo alterum, ſecum in communione rerum viventem, ab uſu earum excludere poteſt (§. 1480. 787. 768.).

§. 1482. Res propriæ ita comparatæ ſunt, ut unus vel quidam ſoli gaudeant facultate illis pro arbitrio utendi in ſui commodum (§. 1479.).

§. 1483. Quibus ſolis competit facultas rebus quibusdam pro arbitrio utendi in ſui commodum, illi gaudent rerum earundem proprietate (§. 1482.).

§. 1484. Si proprietas dicatur *dominium*; hoc nihil aliud eſt, quam facultas, uni vel quibusdam ſolis competens, re aliqua externa pro arbitrio utendi in ſui emolumentum (1483.).

§. 1485. Penes quem deprehenditur proprietas rei (vel diviſa vel indiviſa), eidem tribuitur dominium. Et penes quem nulla eſt proprietas rei, ei non competit illius dominium (§. 1484.).



Digitized by Google

§. 1486. Res externa, cujus domini ſumus, ita ſe habet, ut jure gaudeamus ſoli, ea utendi pro arbitrio noſtro (1482.). Res proinde externa, cujus domini ſumus, ad nos ita pertinet, ut non eodem modo ad alios pertineat. *Res* ergo *externa*, cujus domini ſumus, cur dicatur *noſtra*, patet ex §. 1479.

§. 1487. Nec abſimili modo cognoſcimus, cur *res externa* vocentur *aliena*: quæ in alterius dominio ſunt (§. 1479 1481.).

§. 1488. Status communionis bonorum præponit perfectiones & conditiones peculiares, quas in hominibus non deprehendimus, ſi eorum & varia atque multiplex indoles & multitudo inſignis, & voluntas depravata ſpectetur. Communio proinde bonorum hac ratione eſt hypothetice impoſſibilis, licet illius intrinſecam poſſibilitatem minus negaveris (§. 39.).

§. 1489. Hominem oportere eſſe ſollicitum de acquirendis rebus externis, ad victum & amictum, ad cultum & recreationem animi & corporis, ad habitationem commodam ſpectantibus, §. 688. monuimus. Quam legem naturalem eſſe divinam, ſi vel ejus originem conſideraveris, vel ejus cuſtodiam ad voluntatem ſummi Numinis retuleris, patet ex §§. 361. 830. Nec inde difficile eſt ad judicandum, creatorem benigniſſimum tam varias res in mundo corporeo vel ob id conſtituiſſe in medio, ut earum apprehenſione & uſu felicitatem noſtram conſervemus & amplificemus.

§. 1490. Res communes rebus, quæ nobis propriæ ſunt (§. 1479.), & ex conſequenti communionem ſtatui dominiorum (§. 1480. 1482.) contradictorie opponi, manifeſtum eſt. Si itaque uſum rerum externarum ſpectemus, hominibus, de promovenda ſua felicitate ſollicitis, aut in rerum communione vivendum, aut ad earum dominia confugiendum erat, cum ſtatum tertii generis non concipiamus, nam inter contradictorie oppoſita nullum tertium datur. Sed communio bonorum eſt hypothetice impoſſibilis, ſi ad hominum indolem & conditionem præſentem (§. 1488.) reflectas; introducenda ergo fuerunt rerum dominia ad conſervandam generis humani felicitatem.

§. 1491.

Digitized by Google

§. 1491. Introductio dominiorum contingens eſt & hypotheticæ neceſſitatis(§.179.182.),id quod & de omnibus negotiis,inde oriundis,& eorum conſectariis intelligendum erit.

§. 1492. Introductio dominiorum eſt e numero remediorum, quibus homines felicitatem ſuam tanquam finem promovere poſſint (§. 1490. 695. 511.).

§. 1493. Res, in noſtro dominio exiſtentes, ad ea bona pertinent, quibus jamjam inſtructi ſumus, & quibus felicitatem noſtram promovere poſſumus (§. 1490. 1492.). Res itaque in dominio noſtro exiſtentes ſpectant ad id, quod noſtrum eſt (§. 747.).

§. 1494. Turbatio alterius in eo, quod in ejus dominio exiſtit, eſt læſio perfecta (§.767.1593.). Huc referas præcipue *fures*, qui rem alienam *clam*, hoc eſt, inſcio & invito domino auferunt, eamque ſuam faciunt. Dantur etiam, qui aliis res, eis proprias, vi injuſta auferunt,quorſum referenda ſunt latrocinia & ſpolia. Nec deſunt, qui alios doloſe ſuo privant (§. 1154.). Huc ſpectant crumeniſecæ.

Consectarivm. Illi, qui rem alienam clam auferunt ſine animo tamen eandem ſibi propriam habendi, furtum non committunt.

§. 1495. Nemo in eo, quod in ejus dominio exiſtit, eſt turbandus (§. 768. 1494.).

Scholion. Probe notes, quod turbationes ejusmodi non ſolum repugnent conſcientiæ, ſed & Juri Nat. externo contradicant, cum læſiones ſint.

§. 1496. *Diſpoſitio* eſt voluntatis declaratio, quid fieri vel non fieri quis velit. Domino igitur competit jus de re ſua & circa illam quam liberrime inter vivos diſponendi (§. 1484.). Nemo proinde dominum impedire poteſt, quo minus re ſua pro arbitrio utatur, niſi uſus ejusmodi ad violationem τȣ̃ ſuum cuique tendat (§. 970.).

§. 1497. Ponat dominum non habere jus excludendi alium non dominum ab uſu rei ſuæ, præter dominum etiam alius gauderet jure utendi eadem re. Soli proinde domino



Digitized by Google

jus utendi re ſua non competeret. Sed hoc contradicit ideæ dominii (§ 1484.); ergo *domino competit jus excludendi quemcunque alium non dominum ab uſu rei ſuæ.*

§. 1498. Res propria non eſt ſimul res communis (§. 1479.) Ponas rem propriam ita comparatam eſſe, ut dominus rei alterum non dominum ab uſu illius excludere non poſſit; res propria ſimul communis eſſet (§ 1481.), quod eſt contradictorium. Ergo jus proprietatis ſeu dominium eſt conjunctum cum jure excludendi quemcunque alterum non-dominum ab uſu illius.

§. 1499. In ſtatu naturali nemini niſi Deo & conſcientiæ dominus reſpondere tenetur de uſu rerum ſuarum (§. 917.), dummodo non violatur τὸ ſuum cuique (§. 969.). Quæ § 965 ſeqq. dicta ſunt generaliter de uſu & abuſu ejus, quod noſtrum eſt, etiam huc transferenda veniunt.

§. 1500. *Vindicare rem ſuam* eſt efficere, ut illa, quæ detinetur ab aliis, in noſtram poteſtatem, & poſſeſſionem redeat. Qui ergo vult vindicare aliquam rem, is demonſtrare tenetur, eam eſſe ſuam, ſeu, ſe illius eſſe dominum (§ 1486.). Vnde clarum eſt, cum dominio copulatum eſſe jus vindicandi rem amiſſam a quocunque poſſidente. Pone, domino jus vindicandi non competere, ipſi non tribueretur jus efficiendi, ut res ſua, ab aliis detenta, in ſuam poteſtatem redeat, per definitionem vindicationis. Sed hac ratione dominus privaretur facultate utendi re ſua. Quod cum contradicat ideæ dominii (§. 1484.), domino jus vindicandi rem ſuam omnino tribuendum eſt.

§. 1501. Nec Deus res univerſas & ſingulas, neceſſariæ & commodæ transactioni vitæ deſtinatas, in dominia deſcripſit cum jure excludendi reliquos, nec in ſtatu naturali datur homo, qui univerſalem ejusmodi dominiorum deſcriptionem ſibi ſumere potuerit (§. 899.); nec in rebus externis ipſis deprehenditur ratio ſufficiens, cur earum uſus magis ad hos, quam ad alios homines individuos pertinere debeat; nec ex natura individui, cujusdam hominis perſpicuum eſt domi-

Digitized by Google

dominium rerum externarum. Remanet itaque ars ſeu factum humanum, unde modus dominii acquirendi veniat repetendus (§. 749.).

§. 1502. Cum res externa, cujus domini ſumus, dicatur noſtra (§. 1486.); factum humanum, unde modus acquirendi dominium rei alicujus externæ repetendus eſt, ejusmodi factum eſt, quo res externa degenerat in rem noſtram. Sic incidimus in τὸ noſtrum acquiſitum (§. 749.). cujus ſpeciem in doctrina de pactis jamjam deteximus (§. 1310.).

§. 1503. *Rem nullius* vocabimus, quæ in dominio non exiſtit. Ejusmodi res vel dominii capaces, vel minus tales cenſentur.

§. 1504. In determinandis modis acquirendi dominii occurrit nobis duplex caſus. Res enim dominii capax vel in dominio non exiſtit, ſeu nullius eſt (§. 1503.), vel dominum jamjam habet. *Modus acquirendi dominium* rei nullius dicitur *originarius*, quem diſtinguimus a modo acquirendi dominium rei alienæ (§. 1487.), & quem *derivativum* ſ. *translativum* appellitant, de quo inferius.

§. 1505. Ex facto humano modus dominii acquirendi repetendus eſt (§. 1501.). Sed modus dominii acquirendi originarius rem nullius & in medio poſitam præponit (§. 1504.), modus itaque dominii acquirendi originarius præponit factum humanum, quo res nullius dominio noſtro ſubjiciatur. Dominium eo tendit, ut rem quomodocunque in utilitatem noſtram convertere valeamus (§. 1484.). Ergo modus dominii acquirendi originarius præponit factum humanum, quo efficimus, ut ex re nullius utilitatem capiamus. Id quod aliter fieri non poteſt, niſi ut rem nullius actu apprehendamus.

§. 1506. Dominium exigit proprietatem rei (§. 1484.), atque adeo factum, quo declaramus animum rem nobis propriam habendi. Hinc modus dominii acquirendi originarius actualem poſtulat apprehenſionem rei nullius (§. 1505.), cum animo eam nobis propriam habendi, h. e. *occupationem*.

SCHOLION. Notemus, quod in apprehenſione rerum



Digitized by Google

actuali, rationem quidem, ſed non ſufficientem (§. 43.) acquiſitionis dominii originariæ deprehendamus. Occupatio ita definienda eſt, ut notio oſtendat rationem ſufficientem acquiſitiónis originariæ.

§. 1507. Hinc res nullius cedit occupanti, h. e. occupans rem nullius fit ejus dominus (§. 1506.).

§. 1508. Sic incidimus in τὸ *noſtrum occupatorium* ſeu *occupatitium*, quod contradiſtinguitur noſtro pactitio, alii ſpeciei τȣ̃ noſtrum quæſitum. Dari *ſuum progeneratum*, ad ſuum acquiſitum referendum, § 200. Spec. Jur. G. indicavi.

§. 1509. In acquiſitione dominii originaria ſic argumentamur: Qui res nullius occupat, is fit illius *dominus* (§. 1506.). Britanni hanc inſulam occuparunt; Britanni ſunt inſulæ domini. In majore deprehenditur lex naturalis, in minore factum, in concluſione acquiſitio dominii inſulæ. Jam cum concluſio concipiatur ex utraque præmiſſarum, atque adeo præmiſſæ ſint principia ſeu cauſſæ concluſionis (§. 42.); lex & factum occupantis dicuntur cauſſæ acquiſitionis dominii originariæ. Porro cum concluſio proxime ex minore & remote ex majore concipiatur; acquiſitio ejusmodi originaria proxime ex facto occupantis, & remotius ex lege naturali intelligitur. Vnde patet, cur lex dicatur acquiſitionis dominii cauſſa remota, factum vero illius cauſſa proxima.

§. 1510. Cauſſa acquirendi dominii remota dicitur *titulus*, proxima vero *modus acquirendi* ſalutatur, cum factum, in minore propoſitum, modum acquirendi indicet. Illud, quod nititur *titulo*, *titulatum* dicitur. Huc referas poſſeſſionem titulatam.

§. 1511. Nec minus ex §. 1499. patet, cur *titulus* cauſſa juris, & *modus acquirendi* cauſſa facti dicatur. Cauſſa enim remota, quæ titulus eſt, deprehenditur in majore, ubi provocatur ad legem ſeu jus; cauſſa vero proxima, quæ modus acquirendi eſt, invenitur in minore, ubi allegatur factum. *Titulus* itaque etiam definiri poteſt per cauſam ſeu rationem

(§. 42.)

Digitized by Google

(§. 42.) acquiſiti dominii in lege fundatam, & *modus acquirendi* per rationem acquiſiti dominii, in facto, legibus convenienti, fundatam. Et cum modus acquirendi dominium præponat factum (§. 1501.), vel inde patet, quod modus acquirendi dici mereatur causſa facti. Illuſtrationis loco ſit hic caſus ſpecialis:

*Lex*: Occupans fit dominus. *Titulus.*
*Factum*: Titius rem occupavit. *Modus acquirendi.*
Titius eſt dominus rei.
vel hac ratione:
Titius dominus rei eſt.
*Cauſa proxima*: Nam occupavit rem. *Modus acquirendi.*
*Cauſa remota*: Occupans enim fit dominus. *Titulus.*

§. 1512. Exiſtentia finis absque exiſtentia remediorum (§. 512.), absque remotione impedimentorum, quæ nobis objiciuntur (§. 517), & ſæpius absque occaſione agendi (§. 527) concipi non poteſt. Qui ergo habet jus ad finem, ejusque conſecutionem, habebit & jus ad uſum remediorum, ad impedimenta removenda, & ad arripiendam ſuſcitandamve agendi occaſionem. Jam cum ex conceſſione creatoris ſummi habeamus jus ad occupationem rerum nullius (§. 1489. 1506.), tanquam finem aliquem (§. 1490.); conceſſum etiam nobis eſt jus ad uſum remediorum, conſequendo fini huic inſervientium, ad impedimenta nobis objecta removenda, & ad occaſionem occupandi arripiendam vel ſuſcitandam

§. 1513. Agitatur quæſtio, utrum corporalis apprehenſio rei nullius ſit abſolute neceſſaria in occupatione ejusdem, an ſecus? Vulneratum utrum ſit occupatum, nec ne? Dicam ingenue, quod ſentio, ſalvo judicio aliorum, quos veneror. Voluntas ſeu propoſitum agendi diſcriminandum eſt a fine, ejusque conſecutione (§. 509. 510.). Voluntas itaque ſeu conatus occupandi rem nullius, e. gr. feram, eſt diverſus ab illius occupatione, tanquam fine. Vulneratio & perſecutio ferarum ſunt remedia adhiberi ſolita & neceſſaria ad earum capionem, quæ eſt finis. Jam cum finis & ejus conſecutio a



Digitized by Google

remediis, eorumque uſu differant (§. 510. 511.); vulneratio ferarum & earum perſecutio ſunt diverſa a capione ipſa. Licet itaque quis feram vulneravit, eandemque perſequatur, & conatum eam capiendi continuet; vulneratum tamen, quod is perſequitur, nondum pro occupato videtur habendum.

Scholion. Notum eſt, quod, quamdiu verſemur in uſu remediorum, voluntas ſeu conatus conſequendi finem adhuc duret, & quod finem ipſum nondum conſecuti fuerimus

§. 1514. Cum ergo ex ſola vulneratione & perſecutione vel, ut, generaliter loquar, ex ſolo uſu remediorum nulla rerum nullius occupatio concipiatur; nec hoc caſu *concipitur* originaria dominii acquiſitio (§. 1506.), nec alia jura cum dominio copulata locum habere poſſunt (§. 1496. 1500.).

Scholion. Heic loci inſtituta majorum & conſuetudines alicujus gentis a jure Gentium diſtingui debent.

§. 1515. Si uſu remediorum noſtrorum rem nullius actu conſecuti non fuerimus, ea hactenus ad id, quod noſtrum eſt, non pertinet (§. 1514. 1486.). Hinc ſi alius rem nullius e.g. feram, a nobis vulneratam, intercipiat; nos non turbat in eo, quod noſtrum eſt, nec ex conſequenti nos perfecte lædit (§. 767.), nec adeo nobis damnum infert (§. 769.). Quod quis nondum habet, illud ei auferri non poteſt.

§. 1516. Sed ſi quis alterum turbet in expediendis remediis legitimis, quibus ille utitur ad conſequendam rem, in medio conſtitutam, & ad quorum uſum jus habet; ejusmodi turbatio perfecta eſt læſio (§. 787.). Hinc ſi quis alterum qui feram, a ſe vulneratam, perſequitur, impediat, quo minus is perſecutionem continuare poſſit; is alterum perfecte lædit (§. 1512.). Hoc caſu & alter habet jus removendi impedimenta, quæ ſibi ab alio objiciuntur (§. 1512.).

§ 1517. Ex quibus omnibus ſat patere arbitror, limitationem & cuſtodiam rei in medio conſtituendæ ab ejus occupatione, ſeparari non poſſe, ſi ſtatum naturalem ſpectaveris.

§. 1518. Sunt qui arctiſſimam rei captæ cuſtodiam expoſcunt,

Digitized by Google

poſcunt, ſed hanc neceſſariam non eſſe exiſtimem, cum limites laxiores, quibus circumſcribitur res capta, æque limites ſint ac anguſtiores. Majus & minus non variare ſpeciem conſtat.

§. 1519. Res *abjectæ* ſeu *pro derelictis habitæ* ſunt, quas dominus eo animo abjecit, ut eas in rerum ſuarum numero amplius eſſe nolit. Hinc res ejusmodi nullum dominum habent (§. 1486.), atque adeo naturam rerum nullius induunt (§. 1503.). Res itaque abjectæ cedunt occupanti (§. 1507.).

§. 1520. Res, quæ quidem dominum habuit, vel adhuc habet, ſed qui ignoratur, æquiparatur rei, quæ nullum dominum habet, quamdiu dominus non appareat. Hinc ejusmodi res, cujus dominus ignoratur, jure habetur pro re nullius (§. 1503.). Non eſſe & non apparere in ſphæra juris pari paſſu ambulant.

§. 1521. Datur *occupatio*, quæ dicitur *acceſſoria*. Huc referunt *foeturam animalium*. Foetus ſe habent ad noſtra animalia, ut effectus naturales ad cauſſas naturales. Ejusmodi effectus ſunt fructus, qui ex eo, quod noſtrum eſt, oriuntur, & qui ad utilitatem, quam ex rebus noſtris percipere poſſumus, ſpectant. Jam cum domino competat jus utilitatem omnimodam capiendi ex re ſua (§. 1484.), is ſolus ejusmodi fœtum jure acquirit, ſi utriusque animalis dominus ſit. Sed ſi admiſſarii dominus aliquid impedimenti ei faceſſat, fœtum potius communem pronunciat *Gundlingius*.

§. 1522. In *alluvione* deprehendimus incrementum beneficio fluminis pedetentim & latenter terræ noſtræ adjectum. Vnde patet, quod in alluvione particularum terreſtrium decerptarum dominus ignoretur. Hinc nemini acquiruntur ejusmodi arenulæ, niſi cujus agro arcifinio illæ appoſitæ ſunt (§. 1520.). Per *agrum arcifinium* ſcriptores rei agrariæ intellexerunt eum, qui non haberet fines menſoria ratione comprehenſos, & qui non niſi flumine limitaretur. Conf. *Gronovii notas ad Grotium*, nec minus *Heineccii* Elem. Jur. Civ. §. 358.

§. 1523.

Digitized by Google

§. 1523. Acceſſionibus annumeratur *adjectio terræ cum coalitione conjuncta*, ſi partem noſtro agro adjectam, quæ prædii ſui pars fuit, ante coalitionem vindicare neglexerit. Præſumitur dominus ejusmodi partem terræ ſuæ poſt tantum temporis ſpatium dereliquiſſe. Jam cum res derelictæ cedant occupanti (§. 1519.); adjectio ejusmodi pro acquiſitione acceſſoria merito habetur.

Scholion. Ejusmodi neglectio, quæ duravit per tantum temporis ſpatium haberi poteſt pro facto, unde ad negligentis animum derelinquendi partem terræ concluditur. Qua ratione oriretur conſenſus tacitus (§. 1347.).

§. 1524. Si dominus in fundo ſuo detexerit *theſaurum* vel pecuniam olim depoſitam, cujus memoria non extat; etiam hoc caſu ignoratur dominus. Theſaurus itaque pro re nullius habetur (§. 1520.), & conſequenter domino fundi cedit (§. 1507.).

Scholion. Nemo jure gaudet fodiendi in fundo ſine conſenſu domini (§. 1484.). Foſſio eſt remedium inveniendi aurum defoſſum. Qui non habet jus ad remedia, is non habebit jus ad conſequendum finem (§. 511.). Licet itaque aliquis in alterius agro foſſione detexerit theſaurum, hunc tamen acquirere non poteſt.

§. 1525. Domino fundi ſub eadem hypotheſi cedere *alveum derelictum*, facile patet.

§. 1526. Unde *novus alveus*, quem flumen per alterius agrum ruens efficit, atque iterum relinquit ad priorem, qui cognoſcitur, rei principalis dominum pertinet. Sunt verba *Gundlingii*.

§. 1527. In alluvione, adjectione terræ, cum coalitione copulata, in theſauro, in mutatione alvei, non niſi ſitus fundi noſtri occupationi acceſſoriæ occaſionem præbet, in quo hæ acceſſiones differunt a fœtura, ubi acceſſorium eſt effectus naturalis.

§. 1528. Obligati ſumus ſuum cuique tribuere (§. 750.) Ergo quod alterius eſt, ſeu alienum (§. 1487.), domino ſuo reſtituendum.

§. 1529.

Digitized by Google

§. 1529. Si res,quas invenimus,ſint res nullius, eæ inventori cedunt,in ipſo inventionis articulo (§. 1507.).

§. 1530. Si inveniamus res,ab alio amiſſas, ejusque dominum ſciamus in ipſo articulo inventionis, ea eſt reſtituenda domino (§. 1528.).

§. 1531. Ex §. præcedenti patet,quod in ſola inventione rei amiſſæ non contineatur ratio ſufficiens acquirendi illius dominium (§. 85.). Ergo ad inventionem rei amiſſæ novi quiddam accedere debet,quod efficiat, ut proprietatem rei perditæ, quam invenimus, nanciſci poſſimus.

§. 1532. Si poſueris, inventori non innoteſcere, quinam ſit rei inventæ dominus; hoc caſu res amiſſa eſt illa, quæ quidem dominum habet, qui tamen ignoratur. Dominum habere, qui tamen ignoratur, perinde eſt ac dominum nullum habere. Hoc caſu res amiſſa æquipollet rei nullius (§. 1503.), & ex conſequenti cedit inventori occupanti (§. 1507.).

§. 1533. Si ex intervallo appareat rei amiſſæ dominus, qui dominium ſuum docere poſſit; deſinit res inventa eſſe nullius (§. 1503.),& fit denuo aliena (§. 1484.), reſtituenda domino (§. 1528.),qui eam vindicandi jus habet (§. 1500). Vnde patet, inventorem hoc caſu nactum eſſe nonniſi *dominium interimiſticum*, conjunctum cum jure utendi cognomine. Id quod tamen hunc habere debet effectum, ut inventor non reſtituat fructus, ex re inventa perceptos.

§. 1534. Actus, quo efficitur, ut res noſtra dominio alterius ſubjiciatur, dicitur *rei noſtræ alienatio* (§. 1487.). Adhuc generalius definiri poteſt *alienatio* ſeu *translatio ejus, quod noſtrum eſt*, per actum, quo efficitur,ut id,quod noſtrum eſt, fiat alterius (§. 1479.).

Corollarium. Translatio rei noſtræ, & conſequenter jurium noſtrorum (§. 786.) præponit rem transferendam eſſe transferendis.

§. 1535. Res externa noſtra dicitur ea, quæ in noſtro dominio eſt (§. 1486.). Hinc alienatio rei alicujus præponit domi-

Digitized by Google

dominium alienantis (§. 1534.). Qui proinde rei dominus non eſt, rem alienare non poteſt.

§. 1536. Complures dantur, qui res externas vel plane nullas, vel neceſſariæ commodæve transactioni vitæ non ſufficientes poſſident. Et licet quidam pluribus facultatibus inſtructi ſint, indigent tamen rebus, in aliorum dominio exiſtentibus. In variis regionibus diverſa naſci, nec omnes agriculturam exercere poſſe, conſtat. Vnde præcipuas concipimus cauſas, quibus homines commoti fuerint ad transferenda rerum ſuarum dominia in alios, ſeu ad res ſibi proprias alienandas (§. 1534.).

§. 1537. Dominus, isque ſolus, habet jus alienandi rem ſuam (§. 1496. 1534.).

§. 1538. Alienatio eſt actus, quo noſtrum mutatur in alienum (§. 1534.). In ſolis pactis juſtis continetur ratio mutationis τȣ͂ noſtrum in alienum (§. 1314.). Sola ergo pacta juſta continent rationem alienationis, & ex conſequenti modum acquirendi dominii derivativum (§. 1504.).

Corollarium. Specificatio, ad plumbatura, afferuminatio, commixtio, confuſio non ſunt modi acquirendi dominium. Ejusmodi ergo caſus, ubi quilibet dominium ſuum retinet, tanquam inſtantiæ contra theſin demonſtratam noſtram adhiberi non poſſunt.

Scholion. Contra poſitionis noſtræ univerſalitatem hoc dubium formari poteſt: Derelinquens rem ſuam non paciſcitur cum eo, qui rem derelictam occupat, & qui nihilo minus illius dominium acquirit (§. 1519.). Idem etiam deprehenditur in adjectione terræ, cum coalitione facti (§. 1523.), nec minus in theſauro (§. 1524.), alluvione (§. 1522) & inventione (§. 1532.). Ad hanc objectionem ſic reſpondeo In primo & ſecundo caſu deprehenditur factum, ex quo vel voluntas rem derelinquendi expreſſa cognoſcitur, vel ad tacitam alterius voluntatem concludimus (§. 1347.), id quod etiam de adjectione terræ, cum coalitione facta in Schol. §. 1523. monui. In utroque ergo caſu concipimus pactum vel

Digitized by Google

vel expreſſum vel tacitum(§.1368.),licet easdem acquiſitiones per principium reductionis (§. 85.) ad occupationem revocaverim (§.1519.1523.). In tertio,quarto & quinto caſu non datur alienum,ſaltim interimiſtice,quod ultimum in inventione locum habet,quatenus dominus ignoretur(§.1533)

§. 1539. Hinc doctrina de pactis admodum acquirendi dominii derivativum applicanda venit.

§. 1540. Inſeparabilitas eorum, per quæ ens in eſſe ſuo determinatur efficit *unitatem entis*. Illuſtretur notio joachimico, republica, corpore humano.

§. 1541. Si plura a ſe invicem diſtincta conſtituant unum; illa vocantur *partes*; hoc *totum*.

§. 1442. Plura quæ deprehenduntur in aliqua re, ſunt vel extra ſe poſita,vel non extra ſe exiſtentia. Priori caſu *res* dicitur *extenſa*, poſteriori vero *intenſa*.

§. 1543. Res. extenſa habet partes extra partes;res intenſa partes evtra partes non habet (§.1542.1541.). Conf. 424.

§. 1544. Res, quæ ope intellectus ſolius cognoſcuntur, ſeu,quæ non niſi ideales ſunt,partes extra partes non habent, atque adeo rebus intenſis annumerantur (§. 1542.).

§. 1545. Res incorporales & conſequenter jura rebus intenſis annumerantur (§. 1584. 1432.).Majeſtas eſt jus, in quo continentur plura jura,majeſtatica dici ſolita,quæ tamen non ſunt partes extra partes. Quæ ratio eſt.cur majeſtas rebus intenſis accenſeatur.

§. 1546. Dantur *tota extenſa*, dantur & *intenſa* (§. 1541. 1542.).Vnde & *partes* vel *extenſæ* vel *intenſæ* denominantur

§. 1547. Toti extenſo *compoſitio realis*, toti intenſo *compoſitio rationis* tribui poteſt.

§. 1548. Res incorporales & conſequenter jura poſſunt conſiderari tanquam tota intenſa, quæ diviſionem in partes intenſas admittunt (§. 1545.1546.). Hinc jura rebus phyſicis,quæ partes extra partes habent, annumerari nequeunt.

§. 1549. Jus proinde proprietatis,domino competens,ita dividi poteſt in partes,ut pars altera in alium derivetur,parte altara manente penes dominum.

§. 1550.

Digitized by Google

§. 1550. Si pars proprietatis cum jure utendi re, eamque amiſſam vindicandi, in alium transferatur, parte altera proprietatis manente penes alienantem; prior *dominus utilis*, alter *directus* dicitur. Sic inciderunt doctores juris in *dominium directum* & *utile*.

§. 1551. *Uti* & *frui* re ita differunt, ut *uſus* neceſſitate circumſcribatur, fruitio non modo ad utilitatem, verum etiam ad voluptatem pertineat. *Uſus* & *abuſus* ita differunt, ut *utamur* ſalva rei ſubſtantia, *abutamur*, diſperdendo rem & fructum. Sunt verba cel. *Heineccii*, quæ §. 415. Elem. Jur. Civ. deprehenduntur.

§. 1552. Domino competit jus fruendi & abutendi re ſua (§. 1484. 1499. 1551.).

§. 1553. Fieri poteſt, ut dominus in alium non niſi jus utendi re ſua (§. 1551.) transferat, reſervando ſibi proprietatem. Quo caſu dominus *proprietarius*, alter vero *uſuarius* ſtylo Romano vocatur. Hoc jus utendi juxta §. 1551. ſumtum diſtinguendum eſt a *jure utendi re ad arbitrium*, quod domino competit (§. 1484.).

§. 1554. Fieri poteſt, ut a domino in alium transferatur jus, ex jure utendi & jure fruendi re collectum (§. 1551.), reſervando ſibi proprietatem rei. Quo caſu dominus iterum *proprietarius* & alter *uſufructuarius* appellatur.

CONSECTARIUM. Cum in uſufructu jus fruendi cum jure utendi re adeo arcte copulatum ſit, ut illud per hoc ſimul determinetur; uſufructuarius re non aliter frui poteſt, quam ſalva illius ſubſtantia (§. 1551.). Nec minus patet, quod uſufructuarius re abuti non poſſit (§. 1551.).

§. 1555. Concipimus, cur uſuarius & uſufructuarius nihil dominii (§. 1553. 1554. 1485.), neque adeo jus rem vindicandi (§. 1500. nanciſcantur.

§. 1556. Cum jure proprietatis jus utendi re corporali ad arbitrium (§. 1484.), jus fruendi & abutendi re (§. 1552.), jus de re ſua liberrime diſponendi (§. 1496.), jus excludendi quemcunque ab uſu rei ſuæ (§. 1497.), jus rem amiſſam vindicandi

dicandi (§. 1500.), jus rem alienandi (§. 1537.), connexa ſunt (§. 1415.). Huc referas jus determinandi pretium rei ſuæ ex arbitrio, de quo paulo inferius.

§. 1557. Vſuarius & uſusfructuarius cum domino manet in nexu (§. 1556.).

§. 1558. Fieri poteſt, ut non tam pars dominii derivetur, quam facultas ex re alterius capiendi utilitatem. Vnde *ſervitutes* ortæ ſunt, quæ ſunt jura in re aliena, vel perſonæ vel rei poſſeſſoribus ad aliquam utilitatem conceſſa. Hinc *ſervitutes* in *perſonales* & *reales* diſpeſcuntur. Species ſervitutum perſonalium ſunt uſusfructus & uſus (§. 1553. 1554. 855.).

CONSECTARIVM. Sola pacta juſta ſunt modus acquirendi jura in re aliena (§. 1538.), id quod applicandum ad acquiſitionem ſervitutum. Pacta ſunt vel expreſſa, vel tacita (§. 1347.). Vtroque pacto ſervitutes acquiri poſſunt. Applices huc, quæ de omiſſione contradictionis dicta ſunt §. 1363. Vnde patebit, quomodo ex patientia domini ſervitutes cooriri poſſint.

§. 1559. Jus proprietatis eſt totum intenſum (1548.) & compoſitionem partium, non realem, ſed rationis, ſeu intellectu talem, tantum admittit (§. 1547.). Hinc in jure proprietatis non niſi diviſio rationis locum habet. Proprietas ergo non poteſt divelli in partes ſegreges & a ſe invicem prorſus ſeparatas. Vnde patet, quod dominus utilis cum domino directo in nexu maneat (§. 1550.).

SCHOLION. Si quis ponere velit, dominum utilem non permanere in nexu, in contradictionem incideret.

§. 1560. Quod præcedenti §. demonſtravimus de jure proprietatis, de quocunque jure, quod totum intenſum eſt, valeat neceſſe eſt. Notemus proinde hanc propoſitionem: Si jus quoddam dividatur in partes, quæ diverſis ſubjectis conferuntur; ejusmodi ſubjecta manent in nexu ratione juris diviſi, e. gr. ſi majeſtas ponatur a nonnullis diviſa in rebus p. mixtis. In dyarchiis, triarchiis &c. dyarchæ,



Digitized by Google

triarchæ &c. manent etiam in nexu ob cauſas peculiares, de quibus alibi.

§. 1561. Modus dividendi jura in partes, hasque per varias perſonas diſpergendi, eſt res ingenio (§. 89. 90.), ratione (§. 93.), & ſapientia (§. 789.) plena, atque adeo conſideratu digniſſima. Cum modo componendi jura eaque dividendi ſi comparaveris fines & effectus, quorſum tetenderunt conditores ejusmodi entium moralium, veritatem aſſerti cognoſces.

Scholion. In jure ſociali demonſtrari poteſt, patrem familias habere jus compoſitum vel ex jure paterno & herili, vel ex jure maritali, paterno & herili, vel ex jure maritali & paterno. Quale jus compoſitum eſt jus novum, & quod a nudo jure vel paterno, vel herili, vel maritali diverſum eſt. De quo in Specimine de Jure familiæ egimus.

§. 1562. Si quis jus proprietatis ſimpliciter transfert in alterum, omnia jura, quæ cum proprietate connexa ſunt (§. 1556. in alter devoluta cenſentur.

§. 1563. Si quis id, quod ſuum eſt, & ex conſequenti rem, quæ in ejus dominio eſt, in alterum gratis transferat; ejusmodi pactum dicitur *donatio*, ubi acceptans *donatarius* audit. Hinc donatio eſt gratuita rei noſtræ alienatio (§. 1534.). *Gratuita rei translatio* ea eſt, cujus intuitu acceptans nihil ex eo, quod ipſius eſt, in promittentem transſcribere tenetur. Donatarius nanciſcitur *titulum pro donato* (§. 1510.).

§. 1564. Donatio eſt pactum unilaterale (§. 1375. 1563.).

§. 1565. Promittens ante ſubſecutam acceptationem alterius, cui fit promiſſum, illud revocare poteſt (§. 1276. 1331.).

§. 1566. Donans ante ſubſecutam alterius acceptationem donationem revocare poteſt (§. 1565. 1563.).

§. 1567. Dantur homines, quibus nullæ res externæ propriæ ſunt, & quibus reſtant ſolæ vires animi & corporis, earumque

Digitized by Google

rumque uſus, unde neceſſariam & commodam ſui conſervationem expectare poſſint.

§. 1568. Ejusmodi vires, earumque uſus pertinent ad id, quod noſtrum eſt (§. 747. 1567.), & ex conſequenti habent ſimilitudinem cum rebus, quæ in alicujus dominio ſunt (§. 1486.). Ob hanc analogiam per principium reductionis a rebus, in dominio exiſtentibus, ad vires alicujus, earumque uſum argumentari, adeoque ea, quæ de dominio rerum nobis nota ſunr, ad vires earumque uſum, & conſequenter ad labores & operas noſtras applicare poſſumus, quantum id quidem permiſerit analogiâ (§. 84. ſeqq.).

Scholion. Actiones proprias cum Grotio ad id, quod noſtrum eſt, recte referri, patet ex §. 747. Ad quod in hac materia ſimul reflectere poſſumus.

§. 1569. Si quis vires alterius debilitet, vel eum in libero earum uſu turbet & circumſcribat, cum tamen ſibi nulla inde metuenda ſit læſio externa; is alterum lædit perfecte. (§. 1568. 1494. 1496.). Confer. § 974. unde eadem propoſitio derivari poteſt.

Scholion. B. L. dijudicandum relinquo, utrum haſce læſiones concipere nobis concederetur, ſi vires hominis, earumque uſus, nec non actiones propriæ ad id, quod ſuum eſt, referri nequeant.

§. 1570. Cum dentur caſus, ubi ne in foro quidem interno ad res noſtras alteri donandas (§. 722. 724. 729. 1563.) obligamur; leges vero naturales externæ plane neſciant ejusmodi obligationem (§. 745.), quarum quippe menſuram aliquis impleviſſe exiſtimatur, ſi τὸ SVVM CVIQVE cuſtodiat (§. 754.); juſtitiæ internæ non minus, idque haud raro, quam externæ conveniens eſt (§ 802. 797.), τὸ ſuum ea lege mutare in alienum, ut ſimul aliquid ex eo, quod alterius eſt, nanciſcamur. Quales *actus* vocantur *oneroſi*, diſtinguendi ab actibus *beneficis* & *gratuitis*, e quorum numero donatio eſt (§. 1563.). Hinc *pacta* in *beneficia* & *oneroſa*

T 2 diſtin-

diſtingui poſſunt. Huc ſpectat diviſio *tituli* in *onerosum* & *lucrativum* (§. 1510. 1511.). Titulus pro donato eſt lucrativus (§. 1563.).

§. 1571. Sic factum eſt, ut homines dominium, ſibi in res ſuas competens, in alios ea lege transferrent, ut dominium rerum, aliis competentium, nanciſcerentur. Ejusmodi actus *permutatio* dicitur, quæ pactum (§. 1415.) antiquiſſimum eſt. Huc referas *titulum pro permutato* (§. 1510.).

§. 1572. Cum dentur homines, qui rebus externis ſeu corporalibus deſtituuntur, & qui, ne juxta juſtitiam quidem internam, ſemper ab aliis poſtulare poſſunt gratuitam rerum externarum translationem (§ 802. 722.); factum eſt, ut alii dominium rerum ſuarum vel alia jura in alios eo pacto transferrent, ut hi obligarentur ad ſuſcipiendos labores, qui ab eorum uſu virium mentis corporisve, vel utriusque dependent. Et cum vires earumque uſus pertineant ad id, quod noſtrum eſt (§. 747.), etiam hoc caſu alter τὸ ſuum ea lege mutat in alienum, ut ſimul aliquid ex eo, quod alterius eſt, nanciſcatur. Hac ratione res corporalis (§. 1432.) commutatur cum uſu virium ſeu cum operis alterius.

§. 1573. Neceſſitas & commoditas effecit, ut alter uſum virium ſuarum commutaret cum uſu virium alterius. Sed & hoc caſu noſtrum mutatur in alienum (§. 1568.).

§. 1574. Sic enatæ ſunt pactiones; do ut des (§. 1571.); do, ut facias (§. 1572.); facio, ut facias (§. 1573.). Vel res cum rebus, vel res cum operis, vel operæ cum operis commutantur. Vnde orta eſt obligatio dandi, faciendi, &c. (§. 1324.).

§. 1575. Ex præcedentibus patet, quod introductio dominiorum commutationibus rerum occaſionem dederit.

§. 1576. Vtilitas, quam res externæ afferre poſſunt neceſſariæ commodæve vitæ transactioni, dedit occaſionem deriva-

Digitized by Google

derivativæ non minus, quam originariæ acquiſitioni dominiorum (§. 1484. 1489. 1492.).

§. 1577. Vtilitas pro conditione, & judicio hominum, & pro ratione circumſtantiarum variare poteſt infinitis modis. Neque ea minus vel vera, vel imaginaria, ſeu a phantaſia dependens, eſſe poteſt (§. 1174.).

§. 1578. Vtilitas, quam quis expectare poſſit a quibusdam rebus externis, poteſt eſſe major vel minor, quam ea, quæ in ſe ex aliis rebus videtur redundare, idque ſaltim ex opinione judicantis (§. 1577.).

§. 1579. Permutantes transferunt dominium rerum ſuarum in ſe invicem earumque utilitatem (§. 1571.), ad quam ſaltem ut plurimum reſpicere conſueſcnnt (§. 1576.). Quæ utilitas rerum cum major vel minor eſſe poſſit (§. 1578.) commutantes majus minusve quidpiam & ex conſequenti certum quantum rebus, ſecum invicem commutandis, tribuere ſolent (§. 426.).

§. 1580. *Comparare res inter ſe* eſt nihil aliud, quam earum identitatem & diverſitatem (§. 50. 51.) ſibi repræſentare.

§. 1581. Homines in commutandis rebus ſuis cum aliis de iisdem inter ſe comparandis ſolliciti ſunt (§. 1579. 1580.).

§. 1582. Quantum, rebus commutandis tribui ſolitum, eſt intenſum (§. 1542.), cum illud ſit imaginarium. (§. 1578.).

§. 1583. Homines ut plurimum debuerunt quantum minus rei commutandæ aſſumere pro unitate, ejusque rationem ad quantum majus rei commutandæ determinare & exprimere, nec minus hoc pacto res commutandas dimenſionis capaces efficere (§. 427.). Hoc modo opus fuit, ut homines rebus commutandis aſſignarent pretium, ſeu valorem (§. 428.). Hoc fit e. gr. ſi hordeum ad triticum, ut 1. ad 2. vel ut 2. ad 3. habere ſe debeat.

§. 1584. Vt homines uſum virium ſuarum vel cum uſu virium alterius, vel cum rebus externis commutare po-



Digitized by Google

tuerint; uſui virium & operis ſtatuendum fuit pretium (§. 1572. 1573. 1583.).

§. 1585. *Pretium*, rebus externis vel operis commutandis tribui ſuetum, *vulgare* dicitur.

§. 1586. Pretium rerum eſt commutationis (§. 1583.), & conſequenter dominii earundem (§. 1571.) acceſſorium.

§. 1587. Derivationes dominiorum fieri debent ope pactorum (§. 1538.). Sed cum ad paciſcendum nemo ante ipſius læſiones cogi poſſit (§. 1291.); dominus etiam ſub eadem hypotheſi cogi nequit ad transferendum rerum ſuarum dominium, & ex conſequenti ad res ſuas cum rebus alienis commutandas (§. 1571.). Et cum pretium rerum ſit earum commutationis acceſſorium (§. 1586.); dominus etiam ad pretium rei ſuæ commutandæ determinandum cogi non poteſt.

§. 1588. Ab arbitrio domini dependet, imponere rei ſuæ commutandæ pretium (§. 1587.); id quod etiam de operis, & laboribus, quos quis alterius gratia in ſe ſuſcipit, intelligendum (§. 1568.).

§. 1589. Propoſitio eadem ex domini jure utendi re ſua, de eademque ad arbitrium diſponendi concipi poteſt.

§. 1590. Determinatio quanti ſeu pretii ejus, quod noſtrum eſt, rationi & conſcientiæ attemperanda, ex *materia* de uſu ejus, quod noſtrum eſt, §. 966. ſeqq. tradita, dijudicari debet.

§. 1591. In rebus publicis imperans ob ſalutem publicam, cujus conſervatio & amplificatio ipſi commiſſa eſt, *pretium rerum & operarum* determinare poteſt, quod *legale* dicitur.

§. 1592. Repræſentatio utilitatis, quam homines ex rebus ſibi promittere poſſunt, dedit occaſionem dominiis (§. 1576.), & conſequenter pretiis, rebus imponi ſolitis (§. 1586.). Ponas res, quæ utiles non judicantur; eis nullum tribuetur pretium.



Digitized by Google

§. 1593. Dominia rerum præponunt utilitatem, uni vel quibusdam ſolis competentem (§. 1484.), atque adeo ſingulariter & *ſeparatim* percipiendam. Hinc res, dominio alicujus ſubjiciendæ, præponunt earum ſeparationem a rebus aliis, in medio poſitis, vel jamjam in dominio alicujus exiſtentibus. Reflecti etiam hic poteſt ad jus excludendi quemcunque non dominum ab uſu rei ſuæ.

§. 1594. Removeas mente a rebus utilitatem, ex illis ſingularibus & ſeparatim percipiendam, removebis cupiditatem conſectandi earum dominium (§. 1593.), nec ita minus tolles earundem pretium (§. 1586.). Vtilitas itaque privative & cum excluſione aliorum ex rebus externis capienda, eſt cauſa dominiorum.

§. 1595. Rebus, quarum numerus exiguus datur, tribuitur *raritas*. Quo magis exiguus rerum numerus datur, eo rariores eæ exiſtimantur.

§. 1596. Ponas res quaſcunque, easque vel utiliſſimas reperiri in tanta copia, quæ longe major exiſtimatur numero hominum, eas appetentium. Ponas alias res quaſcunque, quarum numerus inferior deprehenditur multitudine eas appetentium; res prioris generis non judicantur dignæ dominio (§. 1594.). Remanent itaque res poſterioris generis, quas judicaveris mereri; quæ dominio circumſcribantur. Dominium itaque & conſequenter pretium rerum (§. 1586.) præponunt earundem raritatem (§. 1595.).

§. 1597. Vtilitas, ex rebus ſingulariter & ſeparatim nobis percipienda, & earundem raritas, cum contineant rationem pretii rerum (§. 1594. 1596.); eædem pro concauſis pretiorum merito habentur (§. 202.), & rationem ſufficientem pretiorum continent (§. 43.).

§. 1598. Rebus, quæ raræ quidem ſunt, quibus vero nullam utilitatem tribuit opinio hominum, pretium nullum imponitur (§. 1594.). In raritate rerum vel ad tempus præſens, vel futurum reſpicere ſolemus.



Digitized by Google

§. 1599. Pretia rerum exigunt utilitatem, privative percipiendam, cum raritate conjunctam (§. 1597.). Utilitas reſpicit bonum, & ex conſequenti rem, quæ nos ſtatumque noſtrum perficit (§. 141.). Repræſentatio ergo perfectionum, ex rebus, quæ raræ ſunt, in nos redundantium, occaſionem præbuit pretiis, iis impoſitis.

§. 1600. Ex rebus, quibus pretium tribuimus, capimus voluptatem (§. 1599. 131.), & gaudium pro gradu perfectionis (§. 361.).

§. 1601. Vtilitas, quam ex rebus ſingulariter & privative percipere poſſumus, eſt concauſa pretii rerum (§. 1597.), & præponit bonitatem rei, nos ſtatumque noſtrum perficientis (§. 141.). Repræſentatio itaque utilitatis rerum oritur ex earum relatione ad noſtrum ſtatum. Neque ejusmodi relatio, quæ fit mente, neque ipſa raritas, quæ altera eſt concauſa pretii, rebus ipſis ineſt, cum utraque potius extra illas deprehenditur. Vnde patet, quod pretium non ſit in rebus ipſis, ſed potius extra illas. B. GVNDLINGIVS §. V. c. XXIII. J. Nat. his utitur verbis: *pretium non a re ipſa, ſed comparatione, phantaſia ac ratiocinatione noſtra pendet.*

§. 1602. Notum eſt, quod pretia rerum, pro ratione majoris minorisve utilitatis & raritatis (§. 1597.), augeantur vel minuantur. Nec minus ſæpius fieri ſolet, ut res valorem ſuum plane amittant, unde denuo clara eſt veritas § præcedentis.

§. 1603. Pretium, rebus imponi ſolitum, eſt fictio moralis. (§. 36. 1601.).

§. 1604. Incommoda complura cum rerum permutationibus & cum ſol ius pretii vulgaris uſu copulata ſunt, eo præcipue caſu, ubi hominum & rerum, quibus utimur, multitudo inſignis fuerit, quæ difficultatem determinandi tot rerum pretia particularia nimium quantum ita adauxit, ut commutationes & commercia infinitis obſtaculis ſubjicerentur. Fieri enim ſæpe ſæpius potuit, ut, cum tu haberes,

quod

Digitized by Google

quod ego deſiderarem, invicem non haberem, quod tu accipere velles. Si uſum pecuniæ ex commercio rerum ſuſtuleris, difficultates innumeras pretiorum vulgarium & particularium abunde cognoſces.

§. 1605. Commoti itaque ſunt mortales a pretiis rerum particularibus tranſire ad pretium univerſale & commune, imponendum rei cuidam, quæ cum rebus quibuscunque, in commercium venientibus, commode commutari, ſeu, quæ in vicem rerum commutandarum omnium commode ſurrogari poſſit. Ejusmodi *pretium* univerſale & conſequenter vicarium omnium pretiorum rerum externarum commutandarum dicitur *eminens*.

§. 1606. Res, cui imponitur pretium univerſale & vicarium omnium pretiorum, dicitur *nummus* ſeu *pecunia*.

§. 1607. Pecunia eſt res mobilis vicaria omnium rerum permutandarum (§. 1606.).

§. 1608. Ob utilitatem & raritatem rebus pretium tribuitur (§. 1597.). Id quod adplicandum ad materiam, ex qua nummi conflantur (§. 1606.).

§. 1609. Vt ne homines in rebus ſuis in alios pro pecunia transferendis difficiles ſint, materia nummi ita comparata eſſe debet, ut durabilis ſit, & ut parti illius exiguæ pretium magnum aſſignari, atque ſic pecunia de loco in locum commode transferri, numerari celeriter & facillime cuſtodiri poſſit. Hinc materia nummi rara, diviſibilis, portabilis & durabilis ſit neceſſe eſt. Cui fini obtinendo nulla metalla accommodatiora ſunt auro & argento.

§. 1610. Pecuniæ adulteratores æque nocivi ſunt ac fures (§. 1494. 1606.).

§. 1611. Pactum requirit conſenſum mutuum (§. 1287.) & conſequenter eandem voluntatem in paciſcentibus (§. 1260.). Jam cum voluntas ad finem exiſtentiæ reddendum tendat (§. 513.); in paciſcentibus deprehenditur idem finis, exiſtentiæ reddendus.



Digitized by Google

§. 1612. Si quis de pactis obvenientibus judicare voluerit, finem paciſcentium ante oculos habeat neceſſe eſt (§. 1611.).

§. 1613. Ex pacto fluit obligatio & jus pactitium (§. 1324. 1328.). Jam cum in paciſcentibus deprehendatur idem finis (§. 1611.); obligatio & jus pactitium ex eodem fine paciſcentium dijudicanda veniunt. Hinc ex ſine paciſcentium obligationum & jurium termini intelliguntur.

CONSECTARIVM. Quousque patet finis paciſcentium, eousque extendenda ſunt eorum jura & obligationes.

SCHOLION. In Jure Gentium demonſtravi, quod omnia jura & obligationes ſociorum perfectæ ex pactis oriantur. Vnde patet, jurium & obligationum ſocialium terminos non niſi ex finibus ſocietatum dijudicandos eſſe, per §. præſentem

§. 1614. Conſenſus reciprocus eſt cauſſa pacti efficiens (§. 1427.). Conſenſus reciprocus eſt voluntas agentium eadem & mutua (§. 1260.), voluntas ergo & conſequenter intentio (§. 509.) agentium mutua eſt cauſſa pacti efficiens. Hinc geneſis pactorum ex agentium intentione conſpirante repetenda eſt. Vnde factum eſt, ut pacta vocentur *entia intentionalia*. Conf. *Gundlingii* J. N. G. cap. XXIII. § XXXIII. Et cum geneſis alicujus rei eſſentiam illius conſtituat (§. (§. 227.); animt intentio unicuique conventioni eſſentiam, formam & naturam conciliat.

CONSECTARIVM I. Paciſcens, qui agit contra intentionem hanc mutuam, pactum violat, *per* §. *præſentem*, & conſequenter compaciſcentem lædit (§. 1311.).

CONSECTARIVM II. Verba paciſcentium, quæ explicantur convenienter eorum intentioni mutuæ, etiam convenienter pacto explicantur, *per* §. *præſ.*

CONSECTARIVM III. Verba paciſcentinm, quæ explicantur contra intentionem eorum mutuam, contra pactum explicantur, *per* §. *præſ.*

§. 1615. Perfectionem pacti ab ejus conſummatione & implemento diſcriminandam eſſe, ex præcedentibus facile eſt ad intelligendum.

§. 1616.

Digitized by Google

§. 1616. Quæ §§. 1611. 1612. 1613. 1614. 1615. allata ſunt, ad pacta, quibus dominia rerum transferuntur, præcipue applicanda veniunt.

§. 1617. In paciſcentibus deprehenditur finis idem & communis, exiſtentiæ reddendus (§. 1611.). Sed fines ejusmodi paciſcentium pro diverſitate auxilii, quod alius ab alio expectare poſſit, multis modis variant (§. 1251. 1285.). Vnde enatæ ſunt tam variæ pactorum ſpecies.

§. 1618. Translatio dominii rei noſtræ pro determinata pecuniæ ſumma dicitur *venditio*. Acquiſitio dominii rei alienæ pro determinata pecuniæ ſumma vocatur *emtio*. *Emtio-venditio* eſt pactum, quo quis dominium rei ſuæ transfert in alterum pro determinata pecuniæ ſumma, ſeu, eſt commutatio rei cum pecunia, illam æſtimante. Rem commutans appellatur *venditor*, pecuniam ſolvens, *emtor*, res venalis *merx*, unde *mercator* & *mercatura* ſtrictius dicuntur. Pecunia, mercem æſtumans, *pretium*, actus offerendi pretium, *licitatio* nuncupatur. Huc referas *titulum pro emtore* (§. 1591.), qui eſt oneroſus (§. 1570.).

CONSECTARIVM. Solo conſenſu noſtro pactitio, eodemque juſto, id, quod noſtrum eſt, in alios transfertur (§. 1349.). Translatio dominii rerum noſtrarum eſt translatio ejus, quod noſtrum eſt, in alios (§. 1486.); ſolo ergo conſenſu venditoris & emtoris, eodemque juſto, dominium rerum venditoris in emtorem transfertur, & conſequenter non tum demum derivatur, ſi res vendita ex poſſeſſione venditoris in poſſeſſionem emtoris transeat. Sed actus, quo res ex noſtra poſſeſſione in poſſeſſionem alterius tranſit, dicitur *rei traditio*; dominium itaque rei venditæ non tum demum in emtorem devolvitur, ſi illa ſibi a venditore tradatur. Traditio ergo non ad perfectionem, ſed tantum ad conſummationem pacti pertinent. Quod aſſertum a GVNDLINGIO aliisque admittitur (§. 1615.).

§. 1619. Fieri poteſt, ut quis ſolum rei ſuæ uſum alteri concedat, idque vel gratis vel pro certa mercede. Conceſſio

Digitized by Google

ceſſio uſus rei noſtræ gratuita, *commodatum*, concedens *commodans*, alter vero *commodatarius* audit. E diverſo conceſſio uſus rei noſtræ pro certa mercede *locatio-conductio*, concedens *locator*, alter paciſcens *conductor*, merces pro uſu rei danda *locarium* vocatur.

Consectarium. Commodatarius vel conductor, qui re commodata vel locata ultra intentionem commodantis vel locantis utitur, læſionem committit, per Conſect. I. §. 1614.

§. 1620. Dantur res, in dominio exiſtentes, quæ conſiſtunt in numero, pondere & menſura, & quæ uſu conſumuntur. Fieri poteſt, ut quis dominium rei ſui conſumptibilis in alterum ea lege transferat, ut eadem ex eodem genere, tempore convento, reſtituatur. Vocabulum *generis* hic ſumitur pro *ſpecie*. Ejusmodi pactum dicitur *mutuum*, & dominus *mutuans* ſeu *creditor*, alter paciſcentium *mutuatarius* ſeu *debitor* ſenſu ſtrictiori appellatur. Conf. §. 1326.

§. 1621. Dantur res, quibus uti non poſſumus, niſi earum pereat ſubſtantia, ſeu quarum uſus cum earum abuſu (§. 1551.) copulatus eſt.

§. 1622. Dantur res aliæ, quarum quidem uſus non exigit, ut earum deſtruatur ſubſtantia, ſed ut eæ ſaltem cuſtodiam noſtram egrediantur, quorſum pecunia referenda venit. Prior *conſumtio naturalis*, poſterior vero *moralis* ſeu *juris intellectualis* appellatur. Conſumtio igitur moralis in pecuniam cadit, quæ hanc ob cauſam rebus conſumptibilibus accenſeri ſolet. Unde naſcitur argentum mutuum (§. 1620.).

§. 1623. Occaſione mutui aliusque crediti, generalius ſumti (§. 1326.), introductæ ſunt pactiones, de ſecuritate crediti initæ, quæ dicuntur *cautiones*.

Consectarium. Securitas crediti, quam creditor cautione quærit, metum præponit (§. 314.). Hinc cautiones præponunt metum, ex jactura crediti creditori ſubnatum

Quo

Digitized by Google

Quo caſu itaque metus juſtus non eſt faciendi jacturam crediti, eo non opus eſt cautione.

§. 1624. Fieri poteſt, ut a debitore creditori obligentur res ad ſecuritatem crediti, *pignora* appellari ſuetæ.

§. 1625. Datur cautio pignoratitia (§. 1624. 1623.).

§. 1626. Fieri poteſt, ut vel debitor nulla pignora habeat, vel creditori eorum cuſtodia moleſta ſit, vel cauſæ ſat graves deprehendantur, cur debitor creditori pignora tradere dubitet. Sic prognata ſunt pacta, quibus quis in majorem creditoris ſecuritatem in ſe ita ſuſcipit obligationem debitoris, ut & hic adhuc maneat obligatus. Ejusmodi pacta dicuntur *fidejuſſiones*.

§. 1627. Dantur cautiones fide juſſoriæ (§. 1626. 1623.).

§. 1628. Quæritur, utrum diuturna aliqua poſſeſſio validum dominii vel imperii titulum hominibus, in ſtatu naturali viventibus præbere poſſit? Tentabimus reſolutionem hujus quæſtionis ex principiis, ſuperius demonſtratis.

§. 1629. Hoc caſu populus, cujus terræ ab alio populo poſſidentur, ignorantia invincibili excuſare ſe non poteſt. *Poſſeſſio* hic ſumitur pro ea detentione rei alicuius, quæ cum animo eam habendi copulata eſt.

§. 1630. Si fuerit cauſa ſat prægnans, cur metuamus aliquid, *metus juſtus*; ſin minus, *injuſtus* dicitur *reſpectu ejus, in quo ille ſubnaſcitur*.

§. 1631. Genti vigilanti & rerum ſuarum ſatagenti per longiſſimum annorum decurſum occaſio deeſſe non poteſt adhibendi *unicum* ſaltem *contradictionis actum* contra utut alias potentiorem rerum ſuarum poſſeſſorem, præcipue ſi ſtatum, in quo gentes liberæ vivunt, curatius perpenderis. Neque proinde metu iuſto gens libera noſtro caſu ſe excuſare poteſt.

§. 1632. Si gens poſſederit terras alterius gentis per longiſſimum temporis ſpatium, neque hæc unquam contra eiusmodi poſſeſſionem proteſtatione uſa fuerit; gens altera

in

in ejusmodi poſſeſſionem terrarum tacite conſenſiſſe cenſetur (§. 1363. 1629. 1631.).

§. 1633. Ope pacti ea, quæ noſtra ſunt, in alterum transfernntur (§. 1308.). Populus ergo noſtro caſu terras ſuas, ab altero populo ſub noſtra hypotheſi poſſeſſas, in alterum per pactum tacitum derivaſſe exiſtimatur (§. 1368. 1632.).

§. 1634. Ejusmodi modus acquirendi dominia aliaque jura, populo cuidam competentia, ope poſſeſſionis diuturnæ, contradictione illius non interruptæ, dicitur *præſcriptio gentium.*

§. 1635. Jus præſcriptionis, gentibus vindicandum, ex pacto tacito concipimus (§. 1634. 1633.). Neque alia videtur ſupereſſe cauſa, unde illud derivare poſſimus, cum id, quod noſtrum eſt, non niſi facto noſtro pactitio in alios transferri poſſit, ſi ſtatum naturalem ſpectaveris (§. 1429.).

§. 1636. Præſcriptio eſt titulus ad transferendum dominium habilis in ſtatu naturali (§. 1511. 1635.), adeoque & præſcribendi poſſeſſionem titulatam tribuit (§. 1510.).

§. 1637. *Jus prætenſum* dicitur, quod in res, quæ poſſidentur ab aliis, nobis competit & quod conſervare nobis animus eſt. Ejusmodi jura prætenſa præſcriptione extingui, patet ex præcedentibus. Et cum prætenſiones ſubminiſtrent cauſas belli juſtificas (§. 1201. 1204.); præſcriptio eſt modus illas extinguendi & ex conſequenti conſervandi tranquillitatem & felicitatem populorum publicam, quæ conjuncta eſt cum illuſtratione gloriæ divinæ (§. 828.). *Caſſiodorus* præſcriptionem tricennalem patronam generi humano dixit.

§. 1638. Porro disquiramus, utrum occupatio bellica ſit modus acquirendi rerum dominium.

§. 1639. In controverſiis hominum, in ſtatu naturali viventium, nullus datur tertius qua judex, in cujus deciſo partes litigantes acquieſcere debeant (§. 919.). Nec alterutra pars litigantium propter æqualitatem ſibi ſumere poteſt deciſionem cauſæ controverſæ. Nihil ergo reſtat, niſi ut altera

pars

Digitized by Google

pars vel jus ſuum prætenſum remittat, vel compoſitionem amicabilem tentet, vel controverſam bello committat.

§. 1640. Si itaque partes, inter quas oritur diſceptatio, confugiant ad vim armorum, eligunt bellum & ex conſequenti illud volunt, tanquam rem, cui deciſionem cauſæ controverſæ committunt.

§. 1641. Datur eadem voluntas ſuſcipiendi bellum in partibus diſceptantibus (§. 1640.), & ex conſequenti conſenſus reciprocus (§. 1260.) in ſuſceptionem belli, a quo cauſæ deciſio dependeat (§. 1639.).

§. 1642. Bellum eſt ſtatus, quo homines inter alia feruntur quoque propoſito ſibi invicem inferendi mala (§. 806.), quorſum referuntur mala fortunæ, quæ jacturam facultatum, terrarum, juriumque noſtrorum complectuntur.

§. 1643. Datur in partibus ejusmodi litigantibus, noſtra quidem ſententia, conſenſus reciprocus in talem ſtatum, ubi illæ feruntur propoſito ſibi invicem eripiendi terras & jura, ſibi in illas competentia, ita tamen, ut inde dependere debeat cauſæ controverſæ deciſio (§. 1641. 1642.).

§. 1644. Propoſitum tendit ad actum (§. 509. 508.), & noſtro caſu ad actualem ereptionem terrarum & jurium (§. 1643.). Hoc dependet noſtra ſententia a vi armorum ſuperiori. Datur itaque in belligerantibus conſenſus reciprocus in actualem jacturam terrarum & jurium, a vi armorum ſuperiori dependentem, unde illi expectant controverſiæ deciſum (§. cit.).

§. 1645. Ejusmodi conſenſus reciprocus conſtituit pactum (§. 1288.). Concipimus ergo in belligerantibus pactum de actuali jactura ſeu translatione terrarum juriumque ſuorum, a vi armorum ſuperiori dependente, unde illi expectant controverſiæ deciſum (§. 1644.).

§. 1646. Ponas proinde, alterum belligerantium occupaſſe terras hoſtiles vi armorum ſuorum ſuperiori, cui quippe alter ſe imparem ſentit; in eum ejusmodi terrarum dominium ex pacto derivatum eſſe noſtra ſententia exiſtimatur (§. 1538.).

Digitized by Google

(§. 1538.). Occupatio itaque bellica, quam ſuperior vis armorum comitatur, hac ratione eſt modus acquirendi dominium translativus (§. cit. & 1645.)

§. 1647. Cum in ejusmodi occupatione bellica requiratur vis armorum ſuperior, in quam ſolam belligerantes conſentiunt (§. 1646.); rerum ablatarum, quas alter denuo recuperat durante bello, dominium in occupantem priorem nondum devolutum eſſe judicatur, cum hoc caſu vis ſuperior, hoc eſt, *victoria decidens*, deficiat. Eadem aſſertio concipiatur ex belligerantium pacto, quod durante adhuc bello durat.

§. 1648. Ceſſante cauſſa dominii, ceſſat dominium. Vtilitas, quam quis ex rebus externis ſingulariter & privative percipere poſſit, eſt canſſa dominiorum (§. 1593.). Ceſſante itaque hac utilitate, ceſſat dominium. Sed in articulo mortis ceſſat eadem utilitas, eodem itaque temporis momento expirant dominia & jura, illis annexa, & ex conſequenti jus transferendi rerum dominia in alios. Vnde patet, an teſtamenta ſint juris naturæ? In qua quæſtione reflectas ad §. 1538., ubi demonſtravimus, dominia rerum non poſſe transferri niſi per pactum. Conf. *H. E. Keſtneri* J. N. G. cap. XIII. §. 2.

S. D. G.

INDEX.

Digitized by Google

# INDEX.

NUMERI SIMPLICITER POSITI DESIGNANT §§.

EXERCITATIONUM,

ET

*VOCULA PROLUS.*

INDICAT DISSERTATIONEM PROLUSORIAM.

---


A.

ABuſus rei. def. 1551. quomodo differat ab uſu illius. ibid.

*Acceptans*, promiſſum cur dicatur creditor. 1326.

*Acceptatio promiſſi*, def. 1264. ubi nulla datur. 1265. requirit intellectus & voluntatis uſum. 1266. ad eam quinam inhabiles ſint. 1267. 1268. eo tendit, ut ex alieno fiat noſtrum. 1303.

*Acquirere rem*, def. 749.

*Acquiſitio dominiorum*, Originaria, derivativa, def. 1576. utriusque occaſio. ibid.

*Actiones*. liberæ ratione executionis. def. 310. mere naturales. def. 311. earum autor qui dicatur, 317. 567. vel commiſſivæ, vel omiſſivæ. 383 quæ moralitatis expertes ſint. 410. quæ bonæ, quæ malæ. 412. 413. moraliter imputabiles quæ ſint. 415. quæ ſecus. 415. 482. 492. indifferentes quæ dicantur. 421. 747. 863. invitæ per violentiam ſimpliciter ſumtam. 491. 579. invitæ per ignorantiam quando culpabiles. 578. invitæ per violentiam ſecundum quid. 579. mixtæ quid? 579. earum juſtitia vel injuſtitia externa. 797. injuſtæ diſtinguuntur ἀπὸ τοῦ agere injuſte. 960. injuſtæ ſunt læſiones. 971. hominis. def 193. humanæ. def. 201.

*Actiones alienæ*. quatenus ex nobis non imputentur. 574.

*Actio coacta per coactionem ſecundum quid*. voluntaria eſt & imputabilis. 580. 581. 582.

*Actiones culpoſæ*. ſunt imputabiles. 551. earum autores cur dicamur. 568.

*Actiones doloſæ*. ſunt imputabiles. 551. earum autores cur dicamur. 558.

*Actiones imputabiles*. earum autores cur dicamur. 569

*Actiones liberæ.* ex illis oriuntur mutationes. 194. 323. vel perfectionem, vel imperfectionem noſtram promovent. 195. prælucente intellectu: 200. & decernente voluntate fiunt. 201. earum conſectaria quædam ex natura corporum, quædam ex natura animæ concipiuntur. 324. earum conſectaria concipiuntur ex natura humana. 325. earum moralitas objectiva quomodo cognoſcatur. 199. 342. phyſicæ. def. 574.

*Actiones morales.* def. 196. 574. quotuplex ſunt. 198. proportionem admittunt. 432. earum geneſis. 493. ſunt vel bonæ, vel malæ. 561. earum cauſæ & autores dicimur. 568. phyſicæ, quid? 574. externæ, internæ, def. 574.

*Actiones per ſe bonæ.* def. 327. præmiis naturalibus, iisque divinis ſtipantur. 366.

*Actiones per ſe malæ.* def. 327. pœnis naturalibus, iisque divinis ſtipantur. 366.

*Actus*, oneroſi, benefici quinam. 1570.

*Adjectio terræ cum coalitione facta.* def. 1523.

*Adjutor hoſtis noſtri.* quo caſu fiat hoſtis noſter. 1134. quo caſu contra eum detur jus defenſionis, vel jus belli, ad reparandum damnum 1135 quo caſu contra eum detur jus arripiendi remedia proportionata viribus auxiliatricibus. 1136. is & hoſtis noſter quo caſu reputetur pro uno hoſte. 1138. ejus vires & vires hoſtis noſtri quo caſu habeantur pro unica vi. 1138.

*Adplumbatura.* an ſit modus acquirendi dominium. Coroll. §. 1538.

*Æqualitas.* def. 892. hominum externa. def. 894.

*Æquivocatio.* def. 1339. ejus uſus quibus caſibus licitus ſit. 1066.

*Affectus.* def. 158. grati, ingrati. 159. 160. eorum origo, 161. eis in anima reſpondet mechanicum in corpore. 162. illi cur motivis annumerentur. 172. ſunt niſus fortiores animæ. 506. eorum imputabilitas. 588. ſecuritati animalium inſerviunt. 667.

*Afferruminatio.* an ſit modus acquirendi dominium. Coroll. §. 1538.

*Ager.* arcifinius. def. 1522.

*Alienare rem.* non poteſt, qui dominus non eſt. 1535.

*Alienatio rerum.* def. 1534. ad eam quidnam homines commoverit. 1536. ea quidnam præſupponat. Coroll. §. 1535. ejus rationem ſolum pactum juſtum continet. 1538.

*Alienum.* def. 747. ab eo abſtinendum. 751. non poteſt trans-

Digitized by Google

transferri in nos niſi conſenſu ejus, cujus illud eſt. 1431. illud cum firmitudine aliis promittere non poſſumus. 1432. domino ſuo reſtituere obligamur. 1528.

*Alluvio*. def. 1522.

Ἄλογον. 100.

*Alveus*. derelictus cuinam cedat. 1525. novus cui cedat. 1526.

*Amici externi*. vid. non hoſtes.

*Amare*. Si vis amari, ames. 712.

*Amor*. def. 689. actus amoris, quà talis, non obtrudi non poſſunt. 692. erga alios coactionis impatiens eſt, 691. oculatus, cœcus. def. 698. erga alios demonſtratur. 701. ordinatus incipit à ſe ipſo. 703.

*Amor noſtri*, 697. 698. nutui divino & rationi conveniens eſt 687.

*Anima*. def. 6. quatenus cogitet. 13. ejus lumen vel tenebræ. def. 22. ſibi repræſentat mundum. 247. ejus natura, def. 248. in ea datur vis repræſentandi mundum. 248. ejus eſſentia 249. ejus facultates naturales & eſſentiales. 255. ejus natura a natura corporis differt. 256. 261. 263. 264. 265. ejus attributa ab illius natura ſunt inſeparabilia, adeoque ei naturalia 271. ei naturale quid ſit. 271. cum ejus natura quæ pugnent. 278. eſt à Deo diverſa. 293. 294. ejus vis & natura eſt ens contingens. 294. de ejus commercio cum corpore. 623. ſeqq. ejus perfectio ſtatum externum præſupponit. 632. ejus inclinatio, reclinatio quid? 505.

*Animus gratus*. def. 746. non eſt officium perfectum. 746.

*Animus ingratus*. def. 746. ſimplex non eſt læſio. 766.

*Apperceptio*. def. 9. à perceptione nuda diſtinguitur. ibid. in ea quænam concurrunt. 12.

*Appetitus*. ejus gradus. 157. cur motivis annumeretur. 172. absque motivis præviis concipi non poteſt. 174.

*Appetitus lex*. 175. liberatur à dubiis. 176. ex illa palmaria lex naturalis deduci poteſt. Schol. 2. §. 175. & Schol §. 352.

*Appetitus ſenſitivus*. def. 154. ejus origo. 156.

*Approbatio actionis*. def. 501. eſt vel antecedens, vel conſequens ibid. vel recta, vel erronea 503. erronea vel vincibilis, vel invincibilis, 503.

*Arma*. armorum jus naturale. def. 809 de eorum paritate in defenſione. 1194 de iis cogitandum media in pace. 1103.



Digitized by Google

*Attentio.* def. 49. turbatur à ſenſu & imaginatione. 58.
*Attributa rerum.* def. 228. communia vel propria. ibid.
*Averſatio.* ejus gradus unde pendeant. 157.
*Averſatio ſenſitiva.* def. 155. ejus origo. 156.
*Auxilium.* def. 720. ad auxilium aliis ferendum quando obligati ſimus. 721. ſeqq. aliis ferendum eſt officium amoris. 740. non poteſt aliis obtrudi. 745. nec extorqueri. 745. ejus extorſio eſt læſio perfecta. Schol. 2. §. 794. ejus denegatio non eſt læſio. 766. hoſti latum quo caſu ſit læſio. 1134. & quo caſu ſecus. 1137.

B.

*Bellum.* ejus defin. 806. & Schol. 1. § 806. vel pro ſtatu, vel pro actu certandi ſumitur. Schol. 1. §. 806. ejus jus naturale quid ſit. 810. ejus jus eſt jus divinum. 829. 831. ej. jus non eſt contra pium naturale. 849 ej. jus non eſt jus neceſſitatis. 1228. ej. jus contra quem ſolum à I. N. concedatur. 1090. ejus cauſa juſtifica. def. 1092. ejus cauſa minus juſtifica. def. 1093. ejus cauſa ſuaſoria. def. Schol. §. 1092. ejus cauſæ juſtificæ, ex violatione officiorum abſolutorum oriundæ, enumerantur. §. 1201. 1204. ejus cauſæ minus juſtificæ, ex eâdem violatione oriundæ, recenſentur. 1205. ejus ratio, ſtrictius vel ſtrictiſſime ſumta. def. 1238. 1240. quousque duret. Conſect. 1. §. 806. durat durantibus induciis. Conſect. 1. §. 806. in quibus hominibus nullum *detur.* Conſectar. 2. §. 806. ejus cauſa juſtifica ſola eſt læſio. 1089. 1092. de eo, ceu remedio pacis conſervandæ cogitandum eſt media in pace. 1103. juſtum, injuſtum quodnam ſit. 1091. 1092. 1093. à latrocinio differt. 1093. defenſivum, offenſivum. def. 1124. non niſi ad pacem reconciliandam ſuſcipiendum. 1127. ſuſceptum debet eſſe remedium pacis reconciliandæ. 1128. offenſivum quo ſenſu juſtum, vel injuſtum eſſe *poſſit.* 1125. 1126. ſuſceptum vel protractum quo caſu fiat injuſtum. 1130.
*Beneficia.* def. 744. ea aliis exhibere interne obligamur. 744. non ſunt officia perfecta. 745. non poſſunt aliis obtrudi. 745.
*Benignitas.* def. 141. 793. ad benignitatem colendam obligamur. ibid. eſt officium amoris & extorſionis impatiens. 794. illius extorſio

torſio eſt læſio, Schol. a. §. 794.
*Bona naturalia*, nobis non imputantur. 589.
*Bonitas erga alios*. v. *Benignitas*.
*Bonum*. def. 141. naturaliter tale. 142. verum, apparens, def. 143. 144. ejus gradus unde æſtimandi. 148. vel corporis vel animæ, vel ſtatus externi. 642. ad ejus cognitionem obligamur. 644.
*Bonum minus*. habet rationem mali. 149.
*Bonum totius*, comparatum cum bono partis. 149.
*Bonus communiter talis*. def. 1015. præſumitur quilibet talis, donec probetur contrarium. 1054.
*Bruta*. in illa cadit analogum rationis. 109. ad actus liberos edendos inepta ſunt. 200.

C.

*Cauſa*. def. 202. actionis. 571. phyſica actionis. 574.
*Cauſa actionis moralis*, κατ' ἐξοχὴν *ſic dicta*. def. 574. ejus ſpecies, ibid.
*Cautiones*. def. 1623. præponunt metum faciendi jacturam crediti. Confectar. §. 1623. quo caſu non opus ſint. ibid. pignoratitiæ, 1625. fidejuſſoriæ. 1627.
*Charitatis lex*. eſt juris imperfecti in foro externo. Schol. §. 752.
*Coactio*. def. 583. ἁπλῶς ſumta. 579. ſecundum quid. def. 491.
*Cognitio*, ſymbolica. def. 57. ejus certitudo, incertitudo. def. 62. 63. dubia. 63 viva quæ ſit. 508. viva unde oriatur. 660. mortua. def. 660. viva quando mutabilis in mortuam. 660. viva eſt cauſa voluntatis efficacis. 659.
*Cognitio à poſteriori hauſta*. def. 69. principiis certis, veris, & indubitatis annumerari debet. 69.
*Commixtio*, an ſit modus acquirendi dominium. Coroll. §. 1538.
*Commodatum*, Commodans. Commodatarius, def. 1619.
*Commodatarius*, qui utitur re commodata ultra intentionem commodantis, hunc lædit. Confect. §. 1619.
*Communio bonorum*. def. 1480. in illa omnes habent jus æquale. ibid. in ea nemo alterum ab uſu rei communis excludere poteſt. 1481. eſt hypothetice impoſſibilis. 1488.
*Commutatio*. rerum cum operis occaſio. 1572. operarum cum operis occaſio. 1573. ejus ſpecies, 1574. effecit, ut homines rebus operisve, cum rebus vel operis commutandis, pretium tribuerent. 1583. 1584.

*Comparare aliquam rem.* def. 1580.
*Conatus mentis.* efficax vel ineſficax. 508. efficax eſt in ſe imputabilis. 586. ejus crimen 586.
*Conceptibile.* def. 41.
*Concipere aliquid.* def. 41.
*Conductio. conductor.* def. 1619.
*Conductor.* qui utitur re locata ultra intentionem locantis, hunc lædit. Conſectar. §. 1619.
*Confuſio.* an ſit modus acquirendi dominum. Coroll. §. 1538.
*Connexa.* def. 73. 1415.
*Conſcientia moralis.* def. 382. 416. ejus gradus. 417. non eſt chimæra. 417. recta, erronea. 440. recta quidnam requirat. 441. 442. recta vel certa, vel probabilis. 444. incerta, dubia quæ ſit ibid. excitat vel voluptatem vel tædia. 446. 447. ad quæ nos obliget. 449. ejus LL. dantur 451. ejus LL. ſunt LL. naturæ. 452. ea, quà naturalis, eſt dictamen rationis. 458. ejus vox eſt vox DEI & naturæ. 464. ea. quà naturalis, quousque ſe extendat. 465. erronea quando imputabilis. 578.
*Conſcium eſſe.* def. 7.
*Conſenſus.* (Bewilligung) def. 1253. intellectus & voluntatis uſum requirit. 1256. in promiſſum. def. 1262. debet eſſe ſingularis & determinatus. 1335. debet eſſe ſerius. 1337. reciprocus ſeu mutuus def. 1260. reciprocus quidnam requirat. 1263. reciprocus in quibusnam non detur ibid. expreſſus, tacitus. def. 1347. ad tacitum à quibusnam factis concludere non liceat. Coroll. 1347. taciti exempla 1348. fictus def. 1369. præſumtus. def. 1370. 1372. verus. def. 1371. præſumtus eſt fictus. 1372. volatilis ad pacta non ſufficit. 1337.
*Conſenſus paciſcentis.* Eo ſolo ſuum transfertur in alios. 1349.
*Conſentiendi facultas.* phyſica, moralis. def. 1357.
*Conſervatio noſtri.* Conſervando nos ordine nemini damnum inferimus. 973.
*Conſilium.* def. 752. alterum, cui datur, in foro externo non obligat. 752. 758.
*Conſuetudo agendi.* def. 213. ejus requiſita. ibid. ejus imputabilitas. 587.
*Conſumtio.* naturalis, moralis ſ. intellectu talis. def. 1622.
*Contemnere.* de non contemnendis aliis obligatio interna. 1033.
*Contemtus.* def. 1014. ejus gradus unde naſcantur. 1015. externus. def. 1014. ſummus in ſphæra morali quando oriatur. 1016. 1017.

Digitized by Google

1017. juſtus in foro externo quis ſit. Schol. §. 1018. juſtus in foro externo efficit, ut aliquis jure habeatur pro inæquali. 1020. quinam ſit læſio perfecta. 1059. 1026. is contra quos locum non habeat. 1226. 1029. contemtus noſtri externus quibus caſibus alteri tribui non poſſit. 1028. externus quomodo reparetur. 1215.

*Contingens.* def. 179.

*Contradictio quid?* 37.

*Contradictio , pro proteſtatione ſumta.* conſervat jus contradicentis. 1358.

*Conventio.* vid. pactum.

*Corpus.* ejus requiſita. 242. ejus eſſentia. 243. ejus materia. 244. ejus natura. 245. 259. ejus natura ab illius eſſentia differt. 246. ejus natura à natura animæ differt. 256. in eo quæ naturaliter contingunt. 260. 269. ejus attributa ab illius natura ſeparari neſciunt 269. cum ejus natura quæ pugnant, 278. ejus regimen, animæ tribui ſolitum. 193. ejus motus vel voluntarii vel neceſſarii ſunt. 193. 574. ejus perfectio, imperfectio. def. 669. ejus integritas eſt conſervanda. 669. ejus organa ſunt conſervanda. 677. ejus membra an cum internecione aggreſſoris defendi poſſint. 1195. 1196. non peccat. 572.

*Corporalis* (res) def. 1432.

*Creditum. Creditor.* in ſenſu laxiori. 1326. in ſtrictiori. 1620.

*Crimen conatus.* unde concipiatur. 586.

*Culpa.* def. 547. 553. imputabilis eſt. 551. ubi ceſſat. 552. in ea gradus concipiuntur. 554. eſt commenſurabilis. 554. quousque ſe extendat. 557. ejus diverſitas unde pendeat. Coroll. §. 547. quotupliciter committi poſſit. 558. quousque ſe non extendat. 559. quam ſimilitudinem habeat cum dolo. 561. in ea datur minor pravitas quam in dolo. 562. ſtricte ſumta. def. 949. 952. ſtricte ſumta quousque non extendenda. 950. in quos actus non cadit. 645. leviſſima, levis, lata. def. 1403. datur, quæ læſio perfecta eſt. 1409. datur leviſſima, levis, lata, quæ ex pacto deſcendit. 1412. lata æquiparatur dolo. 1413. ejus imputabilitatem in ſtatu naturali ad reparandum damnum concipimus. 1414.

## D.

*Damnum.* def. 769. 945. ejus ſpecierum origo. 946. in quibus caſibus illud non de-



Digitized by Google

deprehendatur. 771. 961. mediatum, immediatum. def. 963. culpoſum vel doloſum, unde originem capiat. 953. 954. interceptio ejus, ad quod alteri jus non competit, damnum non eſt. 977. interceptio ejus, ad quod alteri jus competit, damnum eſt. 981. directe datum, def. 981. quod in conſequentiam venire dicitur. 983. in proprie tale quid ſit. ibid. malum, alteri ſubnatum ex cuſtodia officii noſtri, damnum non eſt. 985. nulli ſubnaſcitur conſervando nos ordine. 973. poſitivum, privativum. def. 986. mere caſuale. 988. ejus reparatio. def. 990. reparabile, irreparabile. 991. ejus æſtimatio datur. 995. ad illud reparandum obligamur. 996. eſt malum ortum ex actione injuſta, externe tali. Coroll. 2. §. 972. malum, ortum ex actione haut injuſta, damnum non eſt. Coroll. 2. §. 971. malum, ex noſtra actione juſta alteri prognatum, damnum non eſt. 973. à furioſis & hominibus intellectus & voluntatis uſu deſtitutis nobis inferri poteſt. 958. datur, quod culpoſum, quod doloſum eſt. 1410. datur, quod nec culpoſum, nec doloſum eſt. 959. à pluribus illatum, quotuplex ſit. 964. illud reparandi modus varius unde dijudicandus. 1210. malum, ex noſtri defenſione aggreſſori ſubnatum, damnum non eſt. 1120. malum, ex defenſione noſtri violenta nobis ſubnatum, damnum eſt, aggreſſori reparandum. 1121. malum, ex defenſione noſtri alteri (tertio) ſubnatum, damnum eſt, aggreſſori reparandum. 1123. ejus reparandi modus intuitu homicidii & vulnerationis. 1211. 1212. 1213. ejus reparandi modus intuitu ſtuprationis & contemtus externi. 1214. 1215.

*Debitum. debitor.* quando laxius ſumatur. 1326. quando ſtrictius. 1620.

*Declaratio honorifica.* def. 1215. ad quam contemnens alterum quando obligatur. ib.

*Decorum. Decus.* def. 854. actionum humanarum. 857.

*Decretum.* def. 1261.

*Defectus naturales.* non imputantur. 589.

*Defenſio ſui.* def. 1110. ejus jus connatum. 1111. ejus cauſa juſtifica ſola eſt læſio imminens. 1112. contra quos detur. 1114. non eſt læſio, aggreſſio, offenſio. 1120. mala, ex defenſione aggreſſori ſubnata, damna non ſunt. 1121. à reparatione

damni

damni & ſatisfactione eſt diſtinguenda. 1121. malum ex illa tertio ſubnatum, damnum eſt, aggreſſori reparandum. 1123. quo caſu degeneret in aggreſſionem. 1131. 1147. ejus remedia debent eſſe proportionata periculo defenſoris. 1116. ejus remedia an remediis invaſoris æqualia eſſe debeant. 1117. mala, quibus quis in defenſione ſui utitur, utrum proportionata eſſe debeant malis, quæ aggreſſor defenſori infligere connititur. 1118. membrorum corporis vel cum internecione aggreſſoris utrum juſta, & quam proportionem exigat. 1196. ejus cauſæ juſtificæ, quæ oriuntur ex violatione ſui connati metuenda. 1201. ea quibus caſibus non opus ſit. 1183. 1186.

*Defenſionis jus.* copulatum eſt cum jure præventionis. 1115. In uſu juris defenſionis, qui nos impedit, nos lædit, & nobis dat cauſam belli juſtificam. 1139.

*Defenſionis termini.* eos obſervare. def. 1143. ad eos obſervandos obligatio. 1143. illi quando violantur. 1144. eorum transgreſſio quando invaſori vel defenſori imputanda. 1151. 1152. illi cur in ſtatu naturali laxiores ſint, quam in ſtatu civili. 1543.

*Defenſionis violentæ jus.* quando nobis competat in quocunque foro. 1164. non eſt jus neceſſitatis. 1529.

*Defenſor.* intuitu invaſoris à ſe occiſi, ad quænam non teneatur. 1211. 1212. 1213. vid. lædendus.

*Deliberatio.* def. 1343.

*Demeritum.* def. 418. ſtricte ſumtum. 419. ejus determinatio. 1024. & Schol.

*Dependens ab altero.* def. 909.

*Deprecatio.* def. 1215. ad eam quando obligetur contemnens alterum. ibid.

*Deus.* eſt origo omnium poſſibilium, veritatum & eſſentiarum. 295. eſt fons moralitatis objectivæ actionum. 328. ad quæ nos obliget. 333. 336. 337. eſt fons & origo LL. naturalium. Schol. § 361. condidit mundum ad illuſtrationem gloriæ ſuæ. 816. vult, ut LL. naturales religioſe cuſtodiamus. 825. 830.

*Diligentia.* ejus notio 544.

*Diligentia debita ſ. legitima.* def. 546. ejus diverſitas. 547. in foro externo. def. 947. in eodem foro quousque non extendenda. 948. ad eam præſtandam quando LL. ſtricte dictæ nos obligent. 951.

*Diſceptatio.* ejus cauſæ juſtifi-



Digitized by Google

cæ. 1201. 1204. minus juſtificæ. 1205.

*Diſpoſitio de re aliqua.* def. 1496.

*Diſpoſitio naturalis.* def. 214.

*Diſſenſus.* def. 1353. externus. def. ib. mutuus externus. def. 1422. mutuus externus tollit conſenſum mutuum externum. 1423.

*Diſſenſus abſque convicio.* non eſt læſio. Schol. §. 1202.

*Dolus.* in genere. def. 1154. bonus. def. 1156. malus. def. 1157. quando licitus, immo præceptus eſt. 1156. quo caſu bonus ſit. 1158 eſt præferendus vi apertæ. 1159. is, quo quis uſus eſt in pactis, eſt læſio & dolus malus, 1385. 1386.

*Dolus, culpæ oppoſitus.* def. 547. 553. eſt imputabilis. 551. ubi ceſſat. 552. ejus gradus. 554. eſt commenſurabilis. ibid. quousque ſe extendit. 557. quotupliciter committi poſſit. 558. quousque ſe non extendit. 559. ejus ſimilitudo & diſſimilitudo cum culpa. 561. in eo major pravitas & imputabilitas, quam in culpa. 561. ſtricte ſumtus. def. 949. 952. ſtricte ſumtus quousque non extendendus. 950. ſtricte dictus datur. 1411. eum ad fugiendum quando nos LL. ſtrictæ obligent. 951. datur, qui eſt læſio perfecta. 1409.

*Dominium.* def. 1484. cui illud competat, & cui ſecus. 1485. ejus introductio ad conſervandam generis humani felicitatem tendit, & eſt hypothetice neceſſaria. 1490. 1491. 1492. res in dominio in exiſtens dicitur noſtra. 1493. ejus turbatio eſt læſio perfecta 1494. in eo nemo eſt turbandus. 1495. ejus acquirendi modus non niſi à facto humano repetendus. 1501. ejus acquirendi modus originarius, derivativus. def. 1504. ejus acquirendi modus. def. 1510. 1511. ejus acquirendi modus translativus eſt ſolum pactum juſtum. 1538. directum, utile. def. 1550. ejus jura annexa. 1556. ejus cauſa eſt utilitas, privative ex rebus capienda. 1594. ejus, ſimpliciter in alios translati, effectus. 1562. dedit occaſionem commutationibus rerum. 1575. præponit rerum raritatem. 1597. eorum acquiſitionis occaſio. 1576

*Dominus.* ei competit jus de re ſua liberrime inter vivos diſponendi. 1496. eum in uſu rei ſuæ quousque nemo impedire poſſit. 1496. ei competit jus excludendi quemcunque non-dominum ab uſu rei ſuæ. 1497. 1498. de uſu rei ſuæ quousque

Digitized by Google

usque nemini niſi Deo reſpondere teneatur. 1499. habet jus rem ſuam à quocunque poſſeſſore vindicandi. 1500. in vindicatione rei ſuæ ad quidnam obligetur. ibid. ſolus habet jus alienandi res ſuas. 1537. ei competit jus fruendi & abutendi re ſua. 1552. quo caſu dicitur proprietarius κατ' ἐξοχήν. 1553. 1554. cogi non poteſt ad translationem rerum, nec ad commutationem earum, nec ad pretium eis imponendum. 1587. ejus ab arbitrio dependet determinatio pretii, rebus ſuis imponendi. 1588. 1589. utilis cum domino directo manet in nexu. 1559.

*Donatarius*. def. 1563.

*Donatio*. def. 1563. eſt pactum unilaterale. 1564. ante acceptationem alterius eſt revocabilis. 1566. ad eam an obligemur? 1570.

E.

*Eadem*. def. 50.

*Ebrietas*. involuntaria non eſt imputabilis. 601.

*Effectus*. def. 802.

*Electio*. def. in Schol. §. 187. requirit contingentiam rei electæ. Conſectar. 1. §. 187. nulla datur in rebus abſolute neceſſariis. Conſectar. 3. §. 187. datur etiam eo caſu, ubi vel ad minimum duæ nobis obveniunt res poſſibiles. Conſect. 4. §. 187.

*Emtio venditio*. def. 1619. in illa ſolo paciſcentium conſenſu, eoque juſto, dominium rerum venditoris in emtorem transfertur. 1618.

*Error*. def. 115. 1387. quomodo evitetur. 118. efficax. def. 1391. efficax obeſt pacto. ibid. inefficax. def. 1390. inefficax pactum invalidum reddere non poteſt. ibid. juris, facti. 474. vincibilis, invincibilis. 475. vincibilis imputatur. 578.

*Exceptio à regula*. def. 611. unde oriatur. 611. quando ſuſcipienda ſit. 612. quando fruſtranea. 613. 616. intuitu partis quando facienda. 614. eſt hypothetice neceſſaria. 616. ubi nulla. 617. 611. eam detegendi modus. 620. eâ cur utatur ſapiens. 790.

*Exiſtimatio*. in genere. def. 998. bona, mala def. 998. oritur ex imputatione. 999. intenſiva ſeu aucta. def. ib. bona eſt inſtrumentum felicitatis noſtræ. 1049.

*Exiſtimatio ſimplex ſ. communis ſ. popularis*. def. 1000. illius à defectu ad defectum exiſtimationis auctæ valet conſequentia. 1000. ejus attributa propria. 1002. eſt exiſtimatio infimi generis. Schol. §. 1007.

Expe-

*Exſpectatio caſuum ſimilium.* 70. 71.

*Experientia.* def. 65. externa, interna. def. 66. verſatur circa ſingularia. 67. ad eam provocantis officium. ibid. quibus principiis annumeranda. 69. 77. 80. rationi contradiſtinguitur, 104. nos condocet, quæ actio ſit bona, vel mala. 357. eſt magiſtra juris Naturæ. 358.

*Extenſum.* 424. 1548.

F.

*Facilitas.* def. 1169. ad eam nemo cogi poteſt. ibid.

*Factum.* def. 383. ejus quæſtio in imputatione eſt diſtinguenda à quæſtione juris. 387. injuſtum eſt diſtinguendum ab injuſtitia perſonæ. 960.

*Falſiloquia.* def. 1060. dantur quæ mendacia non ſunt. 1064. dantur, quæ permiſſa & præcepta ſunt. 1066. quæ ſint læſiones. 1067. 1068.

*Fama.* def. 1000. ad eam conſervandam obligatio. 1045. ejus jactura eſt impedimentum felicitatis noſtræ. 1046. eam qui negligit, crudelis eſt in ſeipſum. 1048. ea eſt inſtrumentum felicitatis noſtræ. 1049. ejus violatio eſt læſio. 1050. eam alteri intactam relinquere obligamur perfecte. 1051. famæ alterius violatio eſt injuſta in foro externo. 1053. alterius quamdiu ſalva maneat. 1054. alterius famam qui violat, propriam famam minuit. 1055. ad aliorum famam conſervandam, augendam & defendendam interne obligamur. 1057.

*Favor neceſſitatis*, def. 1218. jus dici non meretur. Schol. §. 1218. in quibus caſibus obtinet. 1219. illo non niſi in extrema neceſſitate uti poſſumus. 1225. datur contra alios non-lædentes: 1227. non eſt jus belli. 1228. non tribuit in ſtatu naturali jus compellendi alios, ut nobis dent ea, quæ ſibi non nocent, & nobis proſunt. 1236. ejus uſum contra nos perferre non obligamur perfecte. Schol. §. 1237.

*Favore neceſſitatis qui utitur*, is alterum lædit. 1231. nec tamen culpoſe, doloſeve. 1230. injuſte non agit, ejus tamen actiones ſunt injuſtæ. 1232. contra eum datur alteri jus defenſionis, cum exceptione tamen in ſphæra rationis. 1233. 1234.

*Felicitas philoſophica.* def. 368. oritur ex cultu juris N. 369. vera, imaginaria. 748. externa. 806. noſtra aliarumque cum illuſtratione gloriæ divinæ copulata eſt. 828. noſtra

Digitized by Google

noſtra aliarumque voluntati divinæ conſentanea eſt. 828.
*Felicitatis deſiderium.* reſpondet officio emendandi voluntatem. 61.
*Felicitas noſtra.* ad eam promovendam LL. naturales nos obligant. 695.
*Fictiones.* def. 36. poſſibiles, impoſſibiles. def. 40. 47. poſſibiles quotuplices ſint. 45. heuriſticæ. def. 78. heuriſticarum ſpecies. 727. 1373. 894. 1379.
*Fides pactitia.* def. 1338. eſt officium perfectum. ibid.
*Fidejuſſiones.* def. 1626.
*Finis.* def. 510. ejus exiſtentia absque exiſtentia remediorum, absque remotione impedimentorum concipi non poteſt. 512. 517. eum obtinendi jus cum quibus aliis juribus copulatum ſit. vid. *jus finem obtinendi.*
*Foetura animalium.* de ea agitur. §. 1521.
*Forum.* externum ſ. humanum. def. 421. 738. internum, conſcientiæ, divinum, poli. 421. 738. 848. rationis. 421. externi ab interno diverſitas. 421.
*Fortuna.* def. 375. res ab ea pendentes non ſunt in noſtra poteſtate. 438. ejus res non ſunt conſectaria actionum liberarum. 438. ejus res non admittunt meritum, præmium, pœnam, imputationem. 439. ejus delictum implicat. 439.
*Frui re.* def. 1551. fruitio rei ab uſu quomodo differat. 1551.
*Fuga.* ad eam arripiendam quo caſu invaſus obligetur, vel ſecus. 1193.
*Furioſus.* ejus actiones moraliter imputabiles non ſunt. 601. 572. facta injuſta committere poteſt. 960.
*Furtum.* def. 1494. quo caſu non committatur. 1494.

G.

*Gloria divina illuſtratio.* ejus notio. 816. cum ea cuſtodia juris N. copulata eſt. 823. cum inſigni voluptate eſt conjuncta. 832. ad illam datur obligatio fortiſſima. 833. 834. à jure Naturali inculcatur. Schol. 1. §. 835.
*Gradus.* def. 424.
*Gratitudo.* ejus lex eſt juris imperfecti in foro externo. Schol. §. 752. licet in foro interno duplex obligatio ad eam, benefactori exhibendam, obvia ſit. 746.
*Gravamen.* ejus formandi cauſæ juſtificæ. 1201. 1204. minus juſtificæ. 1305.

H.

*Habitus.* def. 212. 215. ejus imputabilitas. 387.

Hiſtoria

*Hiſtoria.* eſt theatrum prudentiæ & ſapientiæ. 323. g. ejus ſtudium in colendo jure Naturæ utiliſſimum. 360.

*Honeſtas animi.* quousque ſe extendat. 736.

*Honeſtatis infimus gradus.* quis ſit. 1001. ei ſoli qui ſatisfacit, laudis nihil in foro interno & externo nanciſcitur. 1021. 1022. ei ſoli qui ſatisfacit, in foro externo contemtum non meretur. 1023. eum cuſtodientes jus æqualitatis externæ habent 1025. & externe contemnendi non ſunt. 1026.

*Honeſtas externa.* def. 797.

*Honor.* def. 1013. extorqueri non poteſt. Conſect. §. 1013.

*Hoſtes.* def. 1094. diſtinguuntur à latronibus. ibid. qui populi pro hoſtibus non habentur. 1095. eorum attributa. 1101. in eos quando inimici ſemper degenerant. 1102.

*non-Hoſtis.* def. 1094. ejus attributa. 1096. 1097. 1098. 1099. poteſt eſſe is, qui nobis minus amicus vel inimicus eſt. 1100.

*Humanitas.* quousque ſe extendat. 736.

I.

*Ignorantia.* vincibilis, invincibilis. def. 475.

*Imitatio.* def. 73. oculata, cæca. 72.

*Impedimentum.* def. 515. ejus remotio eſt remedium finis obtinendi. 517. ejus remotio eſt vel poſſibilis vel impoſſibilis, idque vel in ſe vel naturaliter. 519.

*Imperfectio.* def. 126. vera, apparens. def. 127. apparens eſt perfectio. 128. moralis, externa. def. 1014.

*Impoſſibilia.* abſolute talia. def. 38. moraliter talia. 483.

*Impoſſibilitas.* intrinſeca. def. 39. extrinſeca ſ. hypothetica. 39.

*Impotentia naturalis.* def. 590. differt ab impoſſibilitate abſoluta. 590.

*Imputabilis, moraliter talis, def.* ejus criterium. 569.

*Imputabilitas facti.* facti alieni in noſtri liberationem à ſatisfactione. Schol §. 574. ad reparandum damnum cadit in homines intellectu & ratione deſtitutos. in Schol. §. 996.

*Imputabilitas moralis.* ejus initium. 499. ubi ceſſet. 570. ejus cauſa & fons. 572. non niſi in actiones humanas cadit. 575. habituum, conſuetudinis, affectuum. 587. 588. an in intermiſſionem voluntatis cadat. 548. an in non-uſum virium noſtrarum cadat. 549. culpæ & doli. 551. in infirmitatem humanam in foro humano

Digitized by Google

mano non cadit. 592. in quam infirmitatem cadit, 591. non cadit in defectus naturales, nec in bona naturalia. 589. cadit in effectus actionum noſtrarum liberarum. 593. 594. in quos homines cadere non poſſit. 601. in quos actus non cadit. 576. 645. cadit in inſtinctuum naturalium uſum vel abuſum. 576. an cadat in ſomnum & ſomnia. 600. 599.

*Imputans.* de eruendo (inſpiciendo) facto ſollicitus eſt. 383. debet noſſe rationem legis. 389.

*Imputatio.* in genere, def. 381. ejus diverſitas. 573. & Coroll. 381. quando variet. 384. quando nova emergat. 384. quando ſuſpendenda. 385. 386. in foro interno, externo. 738. eſt actus approbandi vel reprobandi actionem. 504.

*Imputatio moralis.* def. 414. ei an ſubſint actiones athei. 417. ad illam judicium de merito actionis referendum. 423. in ea graduum moralitatis & meriti actionis ratio habenda. 436. in ea an commenſuratio meriti actionum locum habeat. 437. recta, erronea. 440. 474 recta quænam requirat. 441. 442. recta vel certa vel probabilis. 443. incerta, dubia, 443. naturalis eſt dictamen rationis. 457. erronea eſt ſpuria. 459. erronea quando imputabilis. 578. certa quidnam poſtulet. 467. probabilis quidnam exigat. 468. 469. 470. in ea duplex vitium committi poteſt. 472. requirit libertatem & internam & externam. 489. ante eam quid examinandum ſit. 577.

*Inæqualitas.* def. 892. externa hominum. def. 894.

*Inclinatio animæ.* explicatur. §. 505.

*Incorporalis res.* def. 1432. rebus incenſis annumeranda. 1545.

*Indifferens.* ad aliquam rem homo quando dicatur. 1360.

*Induciæ.* def. in Confect. 1. § 806.

*Inevitabilis res.* 438.

*Infamia.* def. 1007. ejus inurendæ cauſa juſtifica eſt inſignis improbitas. 1034. 1035. eam non inurit quodvis vitium. 1036. multo minus tortura & pœnæ, quibus innocentes ſubjiciuntur. Confect. §. 1036. ejus inurendæ cauſa juſtifica quando in dolo latitet. 1037. eâ dignus contemtum externum meretur. 1038. an in ſtatu naturali oriri poſſit. 1039. quo caſu pro pœna haberi non poſſit. Schol. §. 1039. eam facta aliena

Digitized by Google

aliena efficere non poſſunt. 1040. ingratitudo ſimplex eam non producit, bene tamen ab ingratitudine qualificata ea ſubnaſci poteſt. 1641. quando exſpirat 1042. eſt impedimentum felicitatis noſtræ. 1046.

*Infamis* omni numero in commercio mundi privatur. 1008. omne quantum amittit in commercio mundi. 1009. ſtatum æqualitatis perdit. 1010. æqualia jura & æquales obligationes connatas perdit. 1011. naturâ ſolâ nemo talis efficitur. 1012.

*Infelicitas*. philoſophica. def. 368. oritur quoque ex violatione juris Nat. 370.

*Infirmitas humana*. def. 550. à qua infirmitate diſtinguenda ſit. ibid.

*Imperium*. def. 896.

*Independentia actionum noſtrarum*. def. 909.

*Inimicitiæ*. aliorum quando evitatu moraliter impoſſibiles ſint. 706.

*Inimicus*. def. 693. quo caſu fiat hoſtis. 1102. diſtinguendus ab hoſte. 1105. eum emollire. def. 706.

*Injuria*. vid. læſio. def. 769. ſtricte dicta. def. 1068. ad ſtricte dictam quæ requirantur. Conſect. §. 1068.

*Injuſte agere*. diſtinguendum ab actione injuſta. 960.

*Injuſtus in foro externo*. def. 79. quis non ſit. Coroll. §. 751.

*Injuſtitia*. perſonæ à facto injuſto diſcriminanda. 960.

*Injuſtitia externa*. def. 797. 751. & Schol.

*Inſtinctus naturales*. def. 163. eorum ſpecies. 163. 693. ex illis finis & providentia ſummi Numinis conſpicitur. Schol. 1. 2. 3. 5. 163. in Jure N. non ſunt negligendi. 164. à natura connexos à ſe invicem divellere nobis non licet. 164.

*Intellectus*. def. 61. certo ſignificatu à ratione differt. 103. ejus perfectio. 648.

*Intellectus divinus*. eſt quodammodo origo omnium poſſibilium, veritatum & eſſentiarum. 297. eſt hoc modo fons omnium ſcientiarum & ſic Juris Nat. & Gent. 296.

*Intelligibile*. def. 61.

*Intenſum*. def. 1542. ejus ſpecies. 1544.

*Intentio ſtricte dicta*. def. 509.

*Interpres*. 398. 402. ejus officium. 398. ſeqq.

*Invaſus*. quo caſu ad fugam & regreſſum obligetur, & quo ſecus. 1193.

*Inventio*. de ea agitur. §. 1529. ſeqq.

*Ira*. def. 1150.

*Iucundum*. def. 685. ejus jus naturale datur. 1073. illius turbatio quæ ſit læſio. 1072.

Digitized by Google

1072. illius conſectatio & fruitio quæ læſio non ſit. 1074.

*Iudicium*. verum. def. 1387. falſum. def. 1387. ſymbolicum. def. in Schol. §. 1013.

*Iuramentum*. ejus occaſio. 1440. def. 1441. eſt aſſeveratio religioſa. ib. vel verùm vel imaginarium. 1442 aſſertorium. 1455. promiſſorium. 1456. omne eſt promiſſorium. 1457. ab eo quando obligatio nulla producatur. 1460. 1461. 1462. an ſit licitum. 1465. per falſos deos præſtitum majorem Iuris N. cultum in ethnico promovet. 1467. metu injuſto extortum nullum eſt. 1468. concuſſori vel latroni præſtitum eſt invalidum. 1469. ejus relaxatio definitur. 1470. injuſtum relaxatione non indiget. ibid. juſtum an novam obligationem producat. Schol. §. 1470. metu juſto extortum eſt validum. 1471. præſtari poteſt per litteras, nec non per mandatarium. 1478. in alterius animam præſtare. def. ibid.

*Juriſprudentia*. def. 394. naturalis. 396. naturalis ſtrictius dicta. def. in Conſect. §. 753.

*Juris ſcientia*. 393.

*Jus*. ejus diverſa acceptio. *Jus naturale*. Schol. 2. §. 797. pro licito ſumtum. Schol. §. 861.

*Ius*, pro *attributo perſonæ ſumtum*. def. 772.

*Ius belli*. vid. Bellum.

*Ius cogendi*. def. 776. naturale. def. 778 naturale quousque tendat in genere. 783.

*Ius defenſionis*. vid. defenſio.

*Ius finem alterius infringendi*. cum quo jure copulatum eſt. 1132. 1133.

*Ius finem obtinendi*. eſt copulatum cum jure arripiendi remedia proportionata fini. 1082. 1084. ad removenda impedimenta 1085. ad arripiendam vel ſuſcitandam occaſionem. 1087.

*Ius Gentium*. ad illud quomodo Ius N. ſingulorum applicari poſſit. 87.

*Ius humanius*. in Schol. §. 1006.

*Ius imperfectum ſ. inefficax*. def. in Schol. §. 773. an detur. 773. naturale an detur. 777.

*Ius irrevocabile*. ejus acquirendi modus eſt pactum juſtum. 1330.

*Ius naturæ*. ad inſtar ſyſtematis tractandum. 82. ſingulorum quomodo applicari poſſit ad Ius Gentium. 87. opiniones reſpuit. 112. quas LL. complectitur. 268.–270. quod natura omnia animalia docuit. 281. hominibus proprium. 282. ejus fons duplex. 126. proluſ. & 286. 287. Exerc.

cum theologia naturali combinandum. 288. 289. quotupliciter ſumatur 351. ejus principium. 340. 352. ejus principium ſe extendit ad omnes actiones liberas. 343. eſt immutabile. 354. ejus magiſtræ. 358. ei convenienter vivere, quid? 358. ejus cultori uſus rationis & experientiæ neceſſarius eſt. 360. ejus incrementa unde pendeant, 360. quousque pateat. 360. ejus fons eſt DEUS. 361. ejus cultus inter alia etiam nos reddit philoſophice felices. 369. ejus violatio nos reddit infelices. 370. ej. violatio minor eſt præferenda ejus violationi majori. 678. ej. cuſtodia ex voluntate divina etiam derivatur. 826. ad illius cuſtodiam ex theologia naturali oritur nova obligatio. 844.

*Ius naturale externum ſ. cogens.* §. 2. Proluſ. & 753. Exerc. ejus denominationis ratio. Schol. §. 753. ejus principium adæquatum quomodo comparatum eſſe debeat. Schol. §. 755. ejus principium. 754. quousque pateat. 754. 757. non approbat neglectum juſtitiæ internæ. Schol. §. 869.

*Ius neceſſitatis.* vid. favor neceſſitatis.

*Ius pactitium.* def. 1329. eſt ſpecies juris quæſiti. ibid. eſt copulatum cum jure cogendi promittentem ad cuſtodiam pacti. 1330. cum obligatione pactitia in altero paciſcente eſt copulatum. 1416

*Ius perfectum, efficax, expletrium.* Befugniß. def. 772. 773. ejus rationes unde petendæ. 773. ad illud quis provocare non poſſit. 773. eſt effectus legis ſtrictæ. 774. illud in quanam libertate non deprehendatur. Conſect. §. 774. jure ſuo qui utitur, nemini facit injuriam. 784. 970. præſupponit legem ſtricte dictam. 778. illud ſibi tribuens ad quidnam teneatur. 778. à jure perfecto unius ad obligationem alterius perfectam valet conſequentia. in Schol. 2. §. 780. ejus exercitium. def. 785. ei quilibet renunciare poteſt. in Coroll. §. 785. cum jure alterius repugnantia eſt læſio. in Coroll. §. 787. jus rebus intenſis annumeratur. 1545. jus noſtrum qui violat, nos lædit. 787. in ejus uſu, qui nos impedit, nos lædit. 787. ejus remiſſio *vid. remittere jus ſuum.* ſolo conſenſu pactitio in alios transfertur. 1350. illud quamdiu noſtrum permaneat. 1352. perpetuum, temporarium, def.

Digitized by Google

def. 1433. diviſionem in partes intenſas admittit. 1548. rebus phyſicis annumerari neſcit. ib. ejus, in partes diviſi, effectus. 1560. prætenſum. def. 1637. vel abſolutum, vel hypotheticum. 889. quodnam pendeat, vel ceſſet. 982. nullum nobis ab extrema neceſſitate indulgetur. Schol. §. 1218.

*Ius perfectum naturale.* natürliche Befugniß. def. 777. eſt effectus legis naturalis expletoriæ. 778 quousque extendendum 778. eſt jus divinum. 779. 827. eſt vel connatum vel quæſitum 781. quousque tendat in genere. 782. nobis competens ad id, quod noſtrum eſt, pertinet. 776. noſtrum qui violat, nos lædit. 787. ad quænam nobis non detur. 975. ad quænam nobis detur. 979.

*Iuſſum.* def. 806.

*Iuſtitia, univerſalis, particularis, expletrix, attributrix.* def. 799.

*Iuſtitia divina.* def. 1446. remuneratoria. vindicativa. 1446. ad illam ſpectant pœnæ & præmia naturalia. 1448. utitur etiam pœnis & præmiis arbitrariis. 1451.

*Iuſtitia externa ſ. expletoria.* def. 797. ejus cuſtodia ab altero extorqueri poteſt. 804.

*Iuſtitia interna.* def. 798. ad ejus cultum quænam obligatio. 798. ejus cultus coactionem externam neſcit. 804.

*Iuſtus in foro externo.* def. 797. alterius famam non violat. 1052. perfidus & perjurus non eſt. 1477.

*Iuſtus in foro interno.* de aliorum non minus quam de ſui conſervatione ſollicitus eſt. 1180. utitur remediis, quibus & ſe & adverſarium conſervare poſſit. 1183.

*Iuvare alterum.* vid. auxilium.

L.

*Lædendus*, ſeu, *cui læſio eſt metuenda.* an jus habeat ſe reſtituendi in ſtatum plenariæ ſecuritatis. 1081. an jus habeat utendi remediis proportionatis illi fini. 1183. 1184. an in obtinendo illo fine jure gaudeat removendi impedimenta. 1086. nec non arripiendi & ſuſcitandi occaſionem, qua ſe in ſtatum illum reſtituere poſſit. 1087. quo caſu ad durius remedium recurrere poſſit. 1088. quo caſu jure polleat arripiendi bellum. 1089. jure gaudet eo diſpiciendi, ne adverſarius (hoſtis) fine ſuo potiatur. 1132. nec non infringendi remedia hoſtis. ibid. ut & eidem præſcindendi occaſionem, quam is in conatu lædendi exſpectat



Digitized by Google

vel ſuſcitare connititur. 1133. nullo jure gaudet remedio mitiori præferendi acerbius periculo. 1140. obligatur perfecte præferre mitius remedium acerbiori periculo. 1141. quando is abeat in aggreſſorem. 1131.

*Lædere.* nemo eſt lædendus in utroque foro. 768. & Schol.

*Læſio* (*externa ſ. perfecta.*) def. 764. 767. 945. ejus ſpecierum origo. 946. eſt fugienda in foro externo non minus quam interno. 768. doloſa, vel culpoſa, quam originem habeat. 953. 954. immediata. mediata. def. 964. quando utendo re noſtra, vel jure noſtro neminem lædamus. 970. eſt actio injuſta. 971. actiones, quæ injuſtæ non ſunt, non ſunt læſiones. Coroll. 1. §. 971. ad menſuram, vel ad certum gradum data quæ detur, & quæ ſecus. 989. quo caſu ſit cauſa belli juſtifica. 1089. præſens vel futura. 1109. imminens vel certo certa, vel probabiliter talis. 1113. ad quam ferendam in utroque foro non obligemur. 1163. dantur doloſæ, nec non culpoſæ. 1410. ejus ſpecies, quæ ante pacta alteri ſubnaſci poſſunt, vide in *cauſis belli juſtificis.*

*Læſio interna.* quæ dicatur. 764.

*Læſiones leviores.* def. 1166. Ab iisdem abſtinere & eas reparare obligamur. Læſus an jure gaudeat adigendi lædentem ad earundem reparationem. 1167. 1168. ad illas tolerandas juſtitia interna, prudentia & cultus pacis externæ nos commovet. 1181. non ſunt cauſæ belli juſtificæ in ſphæra rationis. 1182.

*Læſus.* jure gaudet adigendi lædentem ad reparandum damnum, confect. 1 §. 996. quo ſenſu hoc jus ei competat in infinitum. 1079. jus habet utendi remediis proportionatis fini ſuo, 1084. removendi impedimenta, eidem fini obtinendo contraria. 1086. arripiendi vel ſuſcitandi occaſionem, qua damni reparationem nanciſci poſſit. 1087. quo caſu is ad remedium durius *recurrere* poſſit. 1088. quo caſu confugere poſſit ad bellum. 1089. is ab illo, qui eum in jure læſi exercendo impedit, læditur, & contra illum cauſam belli juſtificam nanciſcitur. 1139. perfecte obligatur præferre remedium mitius ſatis proportionatum, acerbiori. 1142.

Lr

Digitized by Google

*Latrocinia*, quæ dicuntur. 1093. 1094.
*Latrones*, qui dicantur. 1094. 1095.
*Laus*. def. 1013. vera, imaginaria. ibid. extorſionem non patitur. Conſect §. 1013.
*LL. divinæ*, earum differentia. 361.
*Leges, latiſſime ſumtæ*, def. 345. Logico-morales. 207. ad jus naturæ humanæ pertinentes. 253. 261. quæ homini, qua tali, naturales ſunt. 277.
*Leges externæ*. quæ ita dicantur 738. def. 753.
*Leges naturales*, def. 350. earum diverſa acceptio. 351. earum cultus ſuo modo nos reddit felices. 369. ſunt divinæ. 361. ſunt dictamina rationis. 462. ex primis naturæ, homini propriis, deſcendunt. 463. quæ conſilia ſint in foro externo. 759. earum cuſtodia cum illuſtratione gloriæ divinæ copulata eſt. 823. earum ſanctitas. 824.
*Lejulejus*. def. in Schol. §. 395.
*Lex, in ſenſu morali ſumta*. def. 346. eſt propoſitio obligatoria. 348. naturalis, poſitiva. 349. poſitiva vel divina vel humana. 349. ejus diverſitas unde pendeat. 349. ejus ratio. def. 388. ejus ratio eſt anima illius. 388 ad quænam nos obliget. 532. 539. 540. 541. 546. ad impoſſibilia nos obligare non poteſt 543. quemnam virium noſtrarum uſum requirat. 546. quas conditiones nobis repræſentet. 532. 533. 534. 535. ejus violatio moralis. def 536. in ejus violatione ad quam libertatem reſpiciendum. 536. ejus finis. 538. ejus violationis quæ conſequentia. 537. exigit cognitionem vivam & voluntatem efficacem ſeu propoſitum agendi. 539. 540.
*Lex, ſtricte dicta, ſeu cogens*. def. 752 & Schol.
*Lex naturalis, ſtricte dicta, ſeu cogens*. vid. *Ius Naturale cogens*. eſt divina. 759.
*Liberi*. an de confiſcatione bonorum paternorum, parente adhuc vivo facta, conqueri poſſint. Schol. §. 983.
*Libertas*. quæ jus perfectum non ſit. Conſect. §. 774.
*Libertas*, interna, externa, 489.
*Libertas, externa reſpectu imperii*. def 909. 910.
*Libertas mentis*. def. 186. 187. quam neceſſitatem reſpuat. 189. ejus gradus. 188. ejus fundamentum eſt ratio. 204. à voluntate eſt inſeparabilis. 205. eſt attributum proprium voluntatis.



Digitized by Google

Schol. §. 201. eſt imputabilitatis moralis baſis. 490.
*Libertas naturalis.* def. 912. non interit, licet limitetur. 937. facta an dentur, quibus ea plane tollatur. 939. dantur facta, quibus ea tantum circumſcribitur. 940. ea ſub qua hypotheſi in aliis nec deſtruenda, nec limitanda. 944.
*Libet.* Non omne quod libet, licet. 921.
*Licentia ſtatus.* quis dicatur. 902.
*Licitatio.* def. 1619.
*Licitum.* quid in foro externo. 861. quid in foro externo naturali. 866. quod licet, meum eſt, Schol. §. 861. in eo, qui nos turbat, nos lædit. Coroll. §. 861. non omne quod libet, licet. 921.
*Limitationes.* externæ, internæ, 886. earum doctrina. §. 924. ſeqq. proponitur.
*Locarium.* def. 1619
*Locatio conductio.* def. 1619.
*Lucrum ceſſans.* def. 986.
*Lumen.* def. 22. mentis. def. 22. mentis naturale. 262. 276.

M.

*Mala.* def. 145. vera, apparentia. def. 146. 147. eorum gradus. 148. minora habent rationem bonorum. 150. ea, quæ ſequuntur bona majora & eminentiora, mala non ſunt, ſed bona. 151. malum partis, totum conſervans vel augens, non eſt malum. 335. quotuplicia ſint. 643. ad eorum cognitionem obligamur. 644.
*Malitia.* vid. *dolus*, *culpa oppoſitus.* in quos actus non cadit. 645. ejus gradus & commenſuratio. 554.
*Malus.* nemo gratis malus. Confect. 2. §. 175.
*Mendacium.* def. 1060. eſt fugiendum in foro externo. ibid. ejus attributa. 1061. 1062.
*Meritum.* 418. 422. 1024. ejus ſpecies 418. ſtricte ſumtum. 419. ejus gradus. 434.
*Metiri.* def. 427.
*Modeſtus.* def. 1030.
*Metus.* def. 314. juſtus, injuſtus, reſpectu vim paſſi. def. 1630. juſtus, injuſtus reſpectu vim inferentis. 1092.
*Moderamen inculpatæ tutelæ.* de eo agitur. §. 1191. ſeqq.
*Modus acquirendi dominium.* vid. *dominium.*
*Moralitas actionum.* in ea dijudicanda quid opus ſit. 199. ejus fons duplex 411. ab imputabilitate actionum morali ſeparari neſcit. 415. in ea concipimus quantum intenſum. 430. eſt dimenſionis, pretii & valoris capax. 431. in ea concipimus gra-

Digitized by Google

gradus. 433. non niſi in actiones humanas cadit. 576.
*Moralitas actionum objectiva.* def. 327. 361. ejus fons eſt DEVS. 328. ea uſus eſt Deus ad illuſtrandam gloriam ſuam. 820 ejus cultus eſt conveniens gloriæ divinæ & pietati. 845.
*Moralitas actionum ſubjectiva.* 327.
*Mors.* def. 1189. alterius quando nobis imputatur. 594.
*Motiva.* def. 170. libertati mentis non repugnant. 190. actionem in ſe neceſſariam ſeu coactam non efficiunt. 190. diverſa quænam. 302. c. vera, erronea. 304.
*Motus corporis.* voluntarii vel neceſſarii. 193. voluntarii obligationi morali ſubſunt. 310. alterius quando nobis imputantur. 596. 597.
*Mutuum. mutuans. mutuatarius.* def. 1620. argentum mutuum. 1622.

N.

*Natura.* non eſt erubeſcenda, ſed veneranda. 164.
*Natura in genere.* ejus notiones. 225. 227. 238. 257. ei convenienter vivere quid. 241. 279. cum ea quænam pugnent. 278.
*Natura animæ.* def. 248. cum ejus eſſentia coincidit. 249. 261. à natura corporis differt. 256. 263. 265. cum ea quæ pugnent. 278. ei convenienter vivere quid 279. eſt ens contingens. 294. non eſt particula ex divinitate decerpta. 295.
*Natura animalis.* def. 281.
*Natura corporis.* ejus def. 245. 259. ab ejus eſſentia differt. 246. cum ea quæ pugnent. 278. ei convenienter vivere quid? 279. non eſt ens à ſe 291.
*Natura humana.* 225. 266. ex duabus naturis conſtat. 267. ab illa quænam attributa inſeparabilia. 272. ab ea quænam LL. inſeparabiles. 274. cum ea quæ pugnent. 278. ei convenienter vivere quid. 279. 280 eâ cum actionibus liberis copulata ſunt corollaria quædam bona vel mala. 327. eâ ad quæ obligemur. 329. 331. 332. 336. 337. 338. 340. ejus vox eſt vox & nutus DEI. 330. ea ad illuſtrandam gloriam divinam & ad officia erga Deum colenda nos ſtimulat. Schol. 4. §. 835. nos obligat ad amandos alios & ad cuſtodienda officia erga alios. 701.
*Natura rerum.* 291. ex Deo tanquam ex cauſa materiali non eſt orta. 292. non eſt ens à ſe 291.
*Naturæ prima.* homini cum bru-

brutis communia. 281. homini propria. 282.
*Natura rationalis*. 282.
*Naturalia in anima*. 254. 271. ad ea quæ referantur. 255.
*Naturale in corpore*. 260. 269. differt à naturali in anima. 264.
*Naturale in homine*. 273. 275.
*Naturale in re aliqua* quid. 240. 258. 269.
*Neceſſaria abſolute talia*. def. 178. in illis nulla electio, nec libertas datur. Conſectar. §. 187. obligationem moralem reſpuunt. 313.
*Neceſſaria, hypothetice talia*. 182.
*Neceſſitas*. non habet legem. 618.
*Neceſſitas abſoluta* ſeu *Geometrica*. 178.
*Neceſſitas extrema*. nunquam jus in alienas res indulget. Schol. §. 1218. in illa quando verſemur. 1224. diſtinguenda ab aliis caſibus neceſſitatis. 1226 non efficit, ut officia humanitatis ſecundum noſtram hypotheſin in officia perfecte debita mutentur. Schol. §. 1237.
*Neceſſitas hypothetica*. ejus à neceſſitate abſoluta diverſitas. 183. cum contingentia conſiſtit. 183.
*Nexus*. def. 73. neceſſarius, contingens. 674. pactitius. 1416. pactitius quousque duret & quando ſolvatur. 1417. 1418.
*Noluntas*. def. 167. non eſt nuda privatio voluntatis. 167. intellectum præponit. 168. abſque motivis non concipitur. 174.
*Norma*. def. 344.
*Noſtrum*. vid. *Suum*. non niſi facto noſtro transfertur in alios. 1429. non poteſt fieri alienum niſi facto noſtro. 1430. ad illud vires corporis, animæ & ſtatus externi noſtri pertinent. 974. ad noſtrum non pertinet id, ad quod nobis non competit jus perfectum. 976. ad noſtrum naturale quæ pertineant. 980. occupatitium. 1508. pactitium. 1310.
Nothwehre. iſt kein Nothrecht. 1229. vid. *moderamen inculpatæ tutelæ*.
*Nummus*. def. 1606.

O.

*Obligatio*. eſt effectus legis. 480. ultra poſſe non datur. Schol. §. 488. in non valentem agere non cadit. 1367.
*Obligatio*. quæ moralis non eſt, an detur? Schol. §. 300.
*Obligatio erronea*. naturalis non eſt, ſed ſpuria. 334.
*Obligatio externa*. def. 434. 761. datur, quæ moralis non eſt. Schol. §. 996. vid. *officia perfecta*.
*Obligatio imperfecta* def. 737. vid. *officia imperfecta*.

Obli-

Digitized by Google

*Obligatio interna.* def. 737. vid. *officia imperfecta.*

*Obligatio irrevocabilis.* ejus producendæ modus eſt pactum juſtum. 1331.

*Obligatio moralis in genere.* def. 300. in illius applicatione ad ſpecies quæ obſervanda. Schol. §. 300. in ea ſemper occurrunt motiva. 301. ejus gradus. 302. lit. a. f. & 312. ejus diverſitas. 302. c. nova quando oritur. 302. g. ejus impedimentum. 302. lit. i. & 312. Vera, erronea ſeu ſpuria, 304. ad impoſſibilia non datur. 306. requirit actiones, quæ ſunt in hominis obligandi poteſtate. 309. requirit actiones liberas. 310. ſe extendit ad motus corporis voluntarios. 310. in actiones mere naturales non cadit. 311. requirit intellectum & voluntatem. 312. nulla datur in rebus abſolute neceſſariis, ſed tantum in rebus contingentibus. 313. excitari poteſt per ſpem, per metum, per voluptatem, per tædium, per perfectiones, per imperfectiones. 314. 315. requirit actus ſpontaneos. 316. requirit libertatem mentis. 316. exigit hominem, qui pro autore actionis haberi mereatur. 317. requirit, ut homo obligandus decretum expediendi vel omittendi actionem formare poſſit. Conſect. 1. §. 317. non cadit in furioſos & homines intellectu deſtitutos. Conſect. 3. §. 317. naturalis, poſitiva, divina, humana. 318. activa, paſſiva. 320. 477. poſitiva abſque ſuperioris voluntate concipi non poteſt. 319. affirmativa, negativa, 321. datur, quæ eſt nexus præmiorum vel pænarum cum actione. 363. erronea eſt ſpuria. 334. paſſiva præſupponit legem. 479. eſt effectus legis. 480. triplicem requirit poſſibilitatem. 487. exigit in ſubjecto obligando libertatem & externam & internam. 489. naturalis quotuplex. 638. naturalis cum ſumma voluptate copulata eſt. 638.

*Obligatio naturalis.* eſt etiam divina. 330.

*Obligatio naturalis erga alios.* def. 715. perfecta ſeu externa. def. 434. 761. imperfecta ſeu interna. 737.

*Obligatio naturalis ſtricta.* def. 761. eſt effectus legis naturalis cogentis. 778.

*Obligatio pactitia.* def. 1524. ea cum jure pactitio eſt connexa. 1416. eſt vel dandi, vel faciendi. 1574.

*Obligatio perfecta.* def. 434. 761. eſt effectus legis cogentis. 774 datur, quæ moralis non eſt. Schol. §. 996.



Digitized by Google

995. ab obligatione unius perfecta ad jus alterius perfectum valet conſequentia. 780. præſupponit legem cogentem. Schol. §. 778. eam nobis tribuens ad quidnam teneatur. ibid. vid. *officia perfecta*.

*Occaſio agendi*. 526. vel expectanda vel ſuſcitanda. ibid. eſt remedium agendi. 527.

*Occupatio rei*. def. 1506. ea an etiam ſoli vulnerationi & perſecutioni feræ ſit tribuenda. 1514. ab ea cuſtodia rei ſeparari neſcit. 1517. 1518. bellica eſt modus acquirendi dominia. 1646. 1647.

*Odium*. def. 689. erga alios LL. naturalibus & divinis & rationi adverſatur. 714. odii erga hoſtes & inimicos effectus maligni & funeſti. 1105. 1106. 1108. 1145. 1146. 1149.

*Officia*. def. 476. ſunt actiones, quæ cum obligatione copulatæ ſunt, 476. cum obligatione paſſiva coincidunt. 477. præſupponunt legem. 479. eorum differentia ratione graduum diligentiæ. 555. eorum diverſitas unde oriatur. 621. naturalia. def. 621. officii impatientes ſint quinam actus. 645.

*Officia amicitiæ*. §. 736. vid. *officia imperfecta*.

*Officia amoris*. def. §. 736. 739. coactionem neſciunt. 735. eorum extorſio eſt læſio. Schol. 2. §. 794. vid. *officia imperfecta*.

*Officia commoditatis*. def. §. 735. vid. *officia imperfecta*.

*Officia debita in foro externo*. def. 1326. perfecte vel imperfecte debita. ibid.

*Officia efficacia*. def. 734. 738. vid. *officia perfecta*.

*Officia erga nos*. def. 622. quotuplicia ſunt. 638. eorum cuſtodia cum intenſa voluptate copulata eſt. 638. naturalia non ſunt ſeparanda, quantum fieri poſſit. 641. ſunt eadem cum officiis erga alios. 715. quando præferenda officiis erga alios. 719.

*Officia externa erga alios*. §. 734. 738. vid. *officia perfecta*.

*Officia humanitatis*. § 736. vid. *officia imperfecta*.

*Officia imperfecta erga alios*. def. 736. ſecundum noſtram ſententiam non mutantur in officia perfecta in caſu neceſſitatis. Schol. §. 1237. coactionem neſciunt. 735. eorum extorſio eſt læſio perfecta. Schol. 2. §. 794.

*Officia indebita in foro externo*. def. 1326.

*Officia inefficacia*. def. 736. vid. *officia imperfecta*.

*Officia juſti ſ. juſtitiæ*. def. 797.

*Officia naturalia*. def. 621. Eis an reſpondeant inſtinctus natu-

naturales. Schol. 2. §. 175. quouſque ſe extendant, 763.

*Officia naturalia erga alios.* def. 715. ad duo capita reducuntur. §. 9. Proluſ. ſunt vel abſoluta, vel hypothetica. 889.

*Officia naturalia ſtricta.* def. 761.

*Officia neceſſitatis erga alios.* eorum demonſtratio. §. 433. vid. *officia perfecta.*

*Officia perfecta erga alios.* def. 734. 761. eorum demonſtratio. 433.

*Officia ſtricte dicta erga alios.* def. 734. 761. vid. *officia perfecta.*

*Opiniones.* def. 79. earum origo. 110. ſunt mutabiles. 111.

*Ordo.* def. 604. in eo dantur regulæ. 605.

*Oriri.* quid. 955.

P.

*Paciſcentes.* in iis requiritur conſenſus reciprocus in idem placitum. 1288. volunt, ut ex ſuo actu fiat alienum. 1304. eorum ſermo ab illorum mente diverſus eſſe non poteſt. 1340. de fine obtinendo ad quænam obligentur. 1404. Inter eos datur nexus. 1416. de factis alienis ad quænam obligentur. 1432. in illis datur finis exiſtentiæ reddendus. 1611. Eorum obligationes & jura unde terminos nanciſcantur. 1613. & quouſque extendenda. Conſect. 1613. eorum intentio mutua eſt cauſa efficiens pacti. 1614. eorum verba quando pacto convenienter vel diſconvenienter explicentur. Conſect. 2. & 3. §. 1614. contra intentionem mutuam agentes ſe invicem lædere connituntur. Conſect. 1. §. 1614.

*Paciſci.* paciſcendi modus varius eſt. 1377. & dependens à voluntate paciſcentium. Schol. §. 1377.

*Pactum.* def. 1277. quo caſu nullum detur. 1278. 1279. ad illud requiritur factum bilaterale. 1279. exigit in paciſcentibus uſum intellectus & voluntatis. 1280. ad illud celebrandum quinam inhabiles ſint. 1281. 1283. illud ad validitatem promiſſi exigitur. 1286. exigit in paciſcentibus conſenſum mutuum in idem placitum 1288. LL. naturalibus conveniens in quibus caſibus concipiatur, & ubi ſecus. 1289. 1290. ad illud celebrandum ante læſiones nemo cogi poteſt. 1291. quouſque illud in foro interno & externo juſtum vel injuſtum, licitum, illicitumve fit. 1293. 1294. 1295. juſtum injuſtumve



Digitized by Google

in foro externo. 1296. 1297. 1298. injuſtum nec celebrandum, multo minus ſervandum eſt. 1299. juſtum eſt ſervandum in foro interno. 1300. injuſtum non continet rationem ſufficientem mutationis ſui in alienum. 1307. juſtum mutat ſuum in alienum. 1308. 1309. & §. 75. proluſ. pacti juſti violatio eſt læſio perfecta. 1311. juſtum non eſt violandum in foro externo. 1311. juſtum eſt ſervandum in eodem foro. 1312. juſtum ſolum eſt ſervandum. 1313. juſtum ſolum continet rationem ſufficientem mutationis ſui in alienum. 1314. & eſt cauſa mutationis ſui in alienum. Coroll. §. 1314. & eſt cauſa mutationis ſui in alienum. Coroll. §. 1314. juſtum qui violat, pacem externam rumpit & infimum honeſtatis gradum violat. 1317. pacti juſti violandi propoſitum eſt fraus. Confect. §. 1311. prius pro caſu poſteriori eſt præferendum, & quo minus. 1320. 1321. alteri pacto quando contradicit, & quando minus. Schol. §. 1321. pacti juſti cuſtodia eſt officium perfectum, & nobis injungitur à Jure Nat. cogente. 1322. 1323. de rebus impoſſibilibus celebratum nullam obligationem producit. Confect. §. 1324. juſtum mutat officia amoris in officia perfecta. 1325. 1326. revocatur à paciſcente quando? 1331. juſtum eſt modus acquirendi jura irrevocabilia & producendi obligationes perfectas irrevocabiles. 1331. ſervandum præponit rem ſingularem. 1332. non poteſt celebrari de rebus univerſalibus. 1335. requirit conſenſum ſingularem, ſerium, nec volatilem. 1337. eſt vel expreſſum, vel tacitum. 1368. vel præſumtum. 1370. unilaterale, bilaterale. def. 1375. in bilaterali datur pactum duplex, nec minus duplex obligatio & jus duplex 1375. in bilaterali datur duplex nexus pactitius. Confect. §. 1416. in eo celebrando litteræ non ſunt neceſſitatis abſolutæ. 1376. illud conſummandi & exequendi modus à voluntate paciſcentium dependet. 1377. & Schol. ei repugnat dolus, & illud nullum eſt, ad quod alter dolo inductus eſt. 1380. 1381. quæ illud impediunt, & quæ ſecus? 1388. 1389. conditionatum. def. 1378. pacti conditionati adimpletio ab exiſtentia con-

conditionis dependet. 1378. invalidum non redditur ab errore paciſcentis ineffi- caci 1390. eidem obſtet error efficax. 1391. metu injuſto extortum eſt nullum. 1393. 1395. illud metu extortum ex capite conſenſus deficientis pro invalido haberi non poteſt. 1394 cum latrone vel concuſſore initum invalidum eſt. 1395. metu juſto extortum eſt ſervandum. 1400. liberatorium. def. Schol. 1420. quando ſolvitur diſſenſu mutuo externo paciſcentium. 1424. 1427. quando non. 1428. de alieno cum aliis inire non poſſumus. 1432. nec de factis alienis. ibid. de jure temporario an valeat. 1434. cum hominibus diverſæ religionis & infidelibus initum eſt ſervandum, 1426. ſeqq. juratum an non jurato præferendum. Confect. 2. §. 1460. beneficium, oneroſum. 1570. de eo judicaturus quid obſervare debeat. 1612. eorum geneſis quænam. 1614. ſunt entia intentionalia. ibid. eis animi intentio eſſentiam, formam & naturam conciliat. 1614. ejus perfectio ab illius conſummatione diſtinguenda. 1615. eorum variæ ſpecies unde enatæ. 1617. pactum juſtum ſolum eſt modus alienandi res ſuas & modus dominium acquirendi translativus. 1538.

*Pars.* def. 1541. ei quo caſu pereundum non ſit. 615. eſt vel extenſa, vel intenſa. 1546.

*Pax* (*externa.*) def. in Schol. 1. §. 806. in quibus hominibus ea detur. Confect. 2. §. 806. colenda eſt ea, quamdiu haberi poſſit. Schol. §. 808. media in pace cogitandum de armis. 1103. debet eſſe finis belli. 1129.

*Peccatum.* ejus geneſis. 493.

*Pecunia.* def. 1606. 1607. ejus materiæ attributa. 1609. ejus adulteratores æque nocivi ſunt ac fures. 1610. in eam cadit conſumtio moralis. 1622.

*Perdurare.* def. 922. in ente perdurante datur perdurabile. 923.

*Perfectio in genere.* def. 124. vera, apparens. 125. in ea datur ratio ultima. 129. ejus gradus. 103. apparens eſt imperfectio. 128. in ea datur ordo. 606. com. poſita. def. 607. in ea dantur regulæ. 608.

*Perfectio moralis.* ej. gradus. 1015.

*Perfidia.* def. 1338. eſt læſio perfecta. ibid.

*Perjurium.* ejus notio. 1472. ejus

ejus commiſſio eſt læſio perfecta. 1473. ejus commiſſio eſt perfidia. 1474. illud committens vult uti mendacio ad violandum pactum juſtum. 1475 perjurii reus famam ſuam minuit. 1476. ad illud coercendum quænam neceſſaria 1451.

*Permutatio.* def. 1571. ejus incommoda. 1604. vid. *Commutatio.*

*Philoſophus.* ejus differentia ab ethnico, qua tali. 37.

*Pietas.* def. 839. vera eſt ſocialis. 850. naturalis. 840. ab ea ἀνθρωπομορφισμὸς removendus. 839. ejus cultus cum inſigni mentis voluptate conjunctus eſt. 842.

*Pignora.* def. 1624.

*Placitum idem.* def. 1261.

*Pœnæ.* in genere. def. 362. naturales, poſitivæ. def. 364. poſitivæ vel divinæ vel humanæ. 364. naturales ſunt divinæ. 365. ſunt ſpecies meriti. 418. civiles & militares quamnam exigant proportionem. 1119. divinæ arbitrariæ an dentur. 1450.

*Politica.* vid. *prudentia politica.*

*Poſſeſſio.* def. 1629.

*Poſſibile.* def. 38. naturaliter tale. def. 307. 308. moraliter tale. def. 483. 484.

*Poteſtas.* In poteſtate noſtra quæ eſſe dicuntur, vel ſecus. 307.

*Præmia.* in genere. def. 362. naturalia, poſitiva. 369. poſitiva vel divina vel humana. 364. naturalia ſunt divina. 365. ſunt ſpecies meriti 418. divina arbitraria an dentur. 1450.

*Præſcriptio gentium.* def. 1634. ex pacto tacito concipitur. 1635. an alia ratione concipi poſſit ibid. eſt titulus ad transferendum dominium habilis in ſtatu naturali & præſcribenti poſſeſſionem titulatam tribuit. 1636. eſt modus extinguendi prætenſiones. 1637. eſt remedium conſervandi tranquillitatem populorum publicam. ibid. dicitur patrona generi humano. ibid.

*Prætenſiones.* def. 1637. eas extinguendi remedium eſt præſcriptio gentium. ibid.

*Pretium.* def. 428.

*Pretium rerum.* vulgare. def. 1585. eſt commutationis rerum & dominorum acceſſorium. 1586. ejus determinatio ab arbitrio domini dependet. 1588. 1589. ejus determinatio domino quomodo conformanda conſcientiæ. 1590. legale. def. 1591. præponit rerum raritatem. 1596. ejus concauſæ. 1597. ejus ratio ſuf-

Digitized by Google

ſufficiens. ibid. quibus rebus nullum tribuatur. 1598. non eſt in ipſis rebus, ſed extra illas. 1601. eſt fictio. 1603. eminens. def. 1605.

*Principium principiatum*. def. 42.

*Principium adæquatum*. alicujus diſciplinæ. 353. Jur. Nat. generaliſſime ſumti. 353. & Schol. ejusd. §. nec non Schol. 3. §. 835.

*Principium Juris Belli & pacis*. 811.

*Principium Iuris N. latiſſime ſumti*. 340. 352. illud ad omnes actiones liberas ſe extendit. 343. ad officia erga Deum naturalia ſe extendit. Schol. 2. §. 835. eſt verum, certum & indubium. 353. illud eſt lex divina. 361.

*Principium Iuris N. cogentis*. 754. eſt adæquatum. 755.

*Principium rationis ſufficientis*. 43.

*Proæreſis*. def. 509. ſtricte dicta. def. 547. vid. *voluntas efficax*.

*Probabile*. ejus notio. 119. ad illud à poſſibili non valet conſeq. 121.

*Promittere*. promittendi modus varius eſt. 1377. & dependens à voluntate paciſcentium. Schol. §. 1377.

*Promiſſiones*. def. 1244. eo tendunt, ut alter alteri auxilio ſit. 1248. earum adimpletio conſideratur tanquam remedium, quo quis alteri opem ferre poſſit. 1249. earum occaſio. 1250. earum varietas unde. 1251. ad eas quinam inhabiles 1255. earum acceptatio. vid. acceptatio, eas ſervare. def. 1269. validæ. def. 1269. ad earum validitatem quæ requirantur. 1272. 1273. 1274. 1275. 1286. 1315. ad illas ante læſiones nemo cogi poteſt. 1291. invito obtrudi non poſſunt. 1271. quousque eæ in foro interno & externo juſtæ vel injuſtæ, licitæ illicitæve ſint. 1293. 1294. 1295. juſtæ vel injuſtæ in foro externo. 1296. 1297. 1298. effectui dantur quando? 1305. ante acceptationem alterius ſunt revocabiles 1565. eæ ſolæ non mutant noſtrum in alienum. 1306. cur & quando cadunt in debitum. 1326. quo reſpectu creditum & debitum dicantur. 1326. eis falſiloquia & joci repugnant. 1342. conditionatæ. def. 1378 earum adimpletio ab exiſtentia conditionis dependet. ibid.

*Promiſſi validitas*. exigit conſenſum reciprocum. 1273. in paciſcentibus. 1287. requirit acceptationem promiſſi. 1275. 1276. exigit pactum juſtum. 1315. unde ra-

Digitized by Google

rationem ſufficientem naneiſcatur. 1316.
*Promittentes*, ſignificant alteri, cui aliquid promittunt, conſenſum ſuum. 1254. in illis requiritur facultas conſentiendi phyſica. 1259. volunt, ut ex ſuo fiat alienum. 1302. cur dicantur debitores. 1326. impoſſibilia habentur pro ſtultis & abſentibus. 1334. eorum ſermo ab illorum mente diverſus eſſe non poteſt. 1340.
*Propoſitum agendi*. def. 509. illud in quo non deprehendatur. 514. vid. *voluntas efficax*.
*Proprietas*. rerum proprietate quinam gaudeant. 1483. ejus ſimpliciter in alium translatæ effectus. 1562.
*Proteſtatio*. def. 1353. vel fundata vel minus fundata. ibid. conſervat jus proteſtantis & poſſeſſionem, juris intellectu talem. 1357. ejus omiſſio quando non imputetur alteri. 1367.
*Proteſtatio facto contraria*. def. 1366. eam nihil operari demonſtratur. ibid.
*Prudens*. impoſſibilia non ſectatur. 1333.
*Prudentia in genere*. def. 1170. ſapientiam præponit. 1171. ejus attributa. 1172.
*Prudentia politica*. def. 1171. nos ſtimulat, ad odium erga hoſtes vel inimicos in nobis ſupprimendum. 1108. ſolertia & cautione abſolvitur, ad eam colendam obligamur. ibid. utile verum & durabile ſectatur. 1175. incommoda vera evitare connititur. 1176. eo tendit, ut incommoda perpetiamur, quæ majus commodum ſequitur. 1177. quo caſu ſuadeat, ut jus noſtrum remittamus & læſionem perpetiamur vel diſſimulemus, nec defenſionem arripiamus, vel reparitionem damni exigamus. 1179. ad illius uſum cogi non poſſumus. ibid.
*Prudentia politica ſpuria*. quænam ſit. 1187. ejus attributa intuitu adverſariorum 1184. 1186.
*Pudicitia*. ejus defenſio cruenta virgini vel fœminæ maritatæ & viduæ concedenda eſt. 1199. 1200.
*Pulchritudo*. in genere. def. 854. vera, imaginaria. ibid. in actionibus humanis. 855.

Q.

*Quanta*. 426. eorum ſpecies eſt gradus. 425. moralia dantur. 432. eorum ſpecies. 891. 900.

R.

*Rabula*. quis dicatur. Schol. §. 395.
*Raritas*. quib. rebus tribuatur. 1595.

Ratio

*Ratio.* (Grund). def. 43. ſuffi-ciens. def. 43.
*Ratio.* (Vernunfft). def. 93. ex ejus ſphæra quæ eliminanda. 95. in ejus ſphæram quænam recipienda. 97. ei conforme, difforme quid. 99. 100. experientiæ contradiſtinguitur. 104. ej. gradus. 105. ejus cultui cognitio ſymbolica plurimum confert. 106. eſt fundamentum libertatis mentis 204. à voluntate ſeparari non poteſt. 205. ejus analogi uſus ſecurus. 108. nos condocet, quæ actio bona, vel mala, 356. eſt magiſtra Juris N. ibid. ei convenienter vivere quid ſit. 358. ej. vox eſt vox DEI 359. & vox naturæ. 359. ejus cultus cultori Jur. N. apprime neceſſarius. 360. ejus tribunal. 421. 738. ejus culturæ & amplificationis neceſſitas. 647. ejus perfectio quænam requirat. 648.
*Ratio ſtatus, ſtrictius ſumta.* def. 1238. vera, ſpuria. 1239.
*Ratio beli, ſtrictiſſime ſumta.* cum favore neceſſitatis habet principium commune. 1243. ex Jure Gentium utrum oriatur. ibid.
*Ratio ſtatus ſtrictiſſime ſumta.* def. 1240. oritur ex pugna conſervationis noſtræ neceſſariæ cum cuſtodia LL. naturalium, ſtricte ſumtarum. 1241. ad illam quando reſp. provocare non poſſit. 1242. Ea cum favore neceſſitatis habet principium commune. 1243. ad eam ea applicanda, quæ de favore neceſſitatis demonſtrantur. ib.
*Ratum habere.* negotium. def. 1373.
*Reclinatio mentis.* explicatur. 505.
*Reductionis principium.* 85.
*Regimen corporis.* 193.
*Regulæ.* def. 344. earum coll. def. 610.
*Religio.* def. 836. eſt coactionis impatiens. 836. vera, falſa. 837. in illius exercitio turbatio imminens eſt cauſa defenſionis juſtifica. 1202. ejus diverſitas non eſt læſio. 1203.
*Remidium.* def. 511. quidnam pro tali non habetur. 1084. proportionatum periculo. def. 1140. ejus exiſtentia ab exiſtentia finis ſeparari non poteſt. 512.
*Remiſſio debiti.* def. 1419. ejus effectus. 1420. ea quando totum nexum ſolvat 1421. & quando minus. Schol. §. 1421. exigit pactum. Schol. §. 1420.
*Remiſſio juris.* def. 1169. exigit pactum. Schol. §. 1420.
*Jus naturale.*

*Remunerator boni.* def. 1444.
*Renunciatio juris.* def. 1419. ad eam applicanda, quæ de remiſſione debiti valent. 1416.
*Reparatio damni.* def. 990. ad illam etiam illi, qui intellectu & voluntati uſu carent, obligantur. Schol. §. 996. illa variat pro varietate damni, & quousque non eſt extendenda. 993. proportionata damno quæ ſit, & cur eſſe debeat. 993. quotupliciter fieri poſſit. 991.
*Reprobatio actionis.* quid & quotuplex. 501, 502, 503.
*Repromiſſio.* def. 1244.
*Res.* noſtra, propria. def. 1479. aliena. def. 1479. aliena. def. ibid. nullius. def. 1503. nullius cedit occupanti. 1507. abjecta, pro derelicto habita. def. abjecta cedit occupanti. ibid.
*Reſervatio mentalis.* an ſit licita & præcepta quibusdam caſibus. 1066. quæ læſio non ſit. 1069.
*Reſtitutio.* def. 991.
*Retorſio.* def. 1216. videtur defenſionis ſpecies. ibid.

**S.**

*Sapiens.* non ſectatur impoſſibilia. 1333. ſcit. vivere convenienter naturæ, rationis dictamini & nutui divino, perfectionibus ſuis, aliorumque Conſ. 1. 2. §. 792.
*Sapientia.* def. 789. 792. & Schol. ej. cultus exigit ſæpius uſum exceptionis. 750. in ſenſu morali conſiderata qualem intellectus & rationis cultum exigat. Schol. §. 792. ejus theatrum eſt hiſtoria. 323. g.
*Satisfactio.* def. 991.
*Satyrici libelli.* def. 1070. non ſunt læſiones, nec libellis famoſis accenſeri merentur. ibid.
*Scientia.* def. 78. eſt ſyſtema. 82.
*Securitatis plenariæ ſtatus.* in eum ſe redigere. def. 1080 in eum nos redigendi jure an gaudeamus. 1081.
*Servitus.* (Sclaverey.) def. 897. à natura non datur. 908.
*Servitutes.* def. 1558. ſunt vel Perſonales, vel reales. ibid. eas acquirendi modus eſt ſolum pactum juſtum. Conſect. §. 1558.
*Similia.* def. 52.
*Similitudo.* def. 52. caſuum. 70.
*Simulatio.* def. 1065. an ſit licita & interdum præcepta. 1066. quæ læſio non ſit. 1069.
*Sinceritas.* def. 1341. à promiſſionibus abeſſe non poteſt. ibid.

Spon-

*Somnium*, def. 598. ej. impu- tabilitas. 600.
*Somnus*, def. 598.
*Specificatio*. an ſit modus ac- quirendi dominium. Co- roll. §. 1538.
*Spes*. def. 314.
*Spontaneitas*, def. 186.
*Status civilis*. ejus præſtantia præ naturali indicatur. 942.
*Status hominis*. quæ eum con- ſtituunt. 882. moralis. 196. moralis quotuplex 196. externus. 632. 886. inter- nus. 886. animalis. 887. connatus. aſcitius. 883. naturalis. vid. ſtatus natu- ralis.
*Status irregularis ſ. extraordi- narius*. def. 1221. eſt ſtatus neceſſitatis. 1222. in illo gradus neceſſitatis unde dijudicandi. 1223.
*Status naturalis hominum*. ejus diverſa acceptio. 889. eſt ſtatus æqualitatis omni- modæ. 894. 895. in illo nemo alterum punire pot- eſt. 919. non eſt ſtatus li- centiæ. 921. eſt contin- genter tantum & per acci- dens ſtatus belli. 941. ejus conditio miſeranda. 942. doctrinarum de eo uſus inſignis. 943. is quo caſu vel in totum vel in tan- tum tollitur Coroll. §. 898. in eo non omne, quod libet, licet. 921. in illo homines æqua- les ſunt ratione exiſtima- tionis, ſed non niſi ſim- plicis. 1006. eſt ſtatus æqualitatis & ratione im- perii, & ordinis atque di- gnitatis. 899. 900.
*Status regularis ſeu ordinarius*, def. 1221.
*Stimuli naturales*. 163.
*Strategemata*. eorum uſus ju- ſtus. 1160.
*Subjectio*. def. 913.
*Subjectus alteri*. def. 897.
*Superbia*. def. 1030. quæ ſit læſio, quæ ſecus. 1031. exerit ſe verbis vel factis. 1032.
*Superior*. def. 897.
*Suum*. def. 747. quousque ſe extendit. 748. connatum, acquiſitum. 749. naturâ tale, def. 747. ſui connati ſpecies. 747. 749. 1188. ſui acquiſiti ſpecies. 1310. 1508. pactitium. 1310. oc- cupatitium, 1508. quod ſuum non eſt, alteri auffer- ri non poteſt. 983. conſen- ſu ſolo pactitio transfer- tur in alios. 1349.
*Suum cuique*. 750. eſt princi- pium Juris N. cogentis adæquatum. 754. 755. eſt principium I. B. P. 811.
*Syſtema*. def. 81.

T.

*Taciturnitas*. ab ea ad conſen- ſum alterius tacitum quan-

quando conſequentia valeat. 1363.

*Tædium.* def. 135. non eſt nuda privatio voluptatis. 136. verum, apparens. 137. verum eſt immutabile. 138. apparens eſt mutabile. 138. ejus gradus. 139. ejus origo. 140. illud cur motivis annumeretur, 172. quodnam ſit perferendum. 338. 378. cur illud ſæpius in voluptatem abeat. 496. apparens eſt fugiendum. 497. illius primus ſenſus eſt examinandus. 498. apparens quomodo ſupprimatur. 498.

*Terror.* def. 1150.

*Teſtamenta.* An ſint juris gentium. 1647.

*Theologia naturalis.* ejus uſus inſignis in cultu Juris N. 1453.

*Theſaurus.* def. 1524. domino fundi an cedat. ibid.

*Titulatum.* def. 1510.

*Titulus.* def. 1510. 1511. pro donato 1564 onerofus, lucrativus. 1570. pro permutato. 1571. pro emtore onerofus eſt. 1618. pro donato lucrativus eſt. 1570.

*Totum.* def. 1541. extenſum, intenſum. 1546.

*Tractatus.* bloſe Beredungen. def. 1343. non ſunt pacta. 1346. nec obligationem, nec jus pactitium producunt. ibid.

*Traditio rei.* def. Conſect. §. 1618. ea ad transferendum dominium in emtione venditione non eſt abſolute neceſſaria ibid. ad conſummationem pacti pertinet. ibid.

*Translatio rerum.* gratuita. def. 1563. vid. *alienatio rerum.*

*Triſtitia.* def. 367.

*Turpitudo externa.* def. 797.

V.

*Valor.* def. 428.

*Veracitas.* def. 1341. a promittente abeſſe non poteſt ibid.

*Victoria.* (*decidens*). def. 1647. quo caſu nulla concipiatur. 1104.

*Vindex mali.* def. 1444.

*Vindicare rem ſuam.* def. 1500.

*Violentia ſecundum quid.* def. 583.

*Violatio* (*moralis*) *legum.* def. 536. quo caſu nulla deprehendatur. Coroll. §. 536.

*Vires alterius.* earum debilitatio & earum uſus liberi turbatio & circumſcriptio quando eſt læſio perfecta. 1569. earum uſum quando impedire poſſimus, vel minus 974.



Digitized by Google

*Virginitas.* ejus defloratio violenta eſt læſio graviſſima. 1077. 1197. virginitatis jus virgini tribuendum. 1078.
*Virtus externa.* 797.
*Virtus moralis.* def. 571. ejus attributa, 372. 373. 376. ejus cultus cum intenſiori voluptate conjunctus. 378. quænam complectatur. 851. 852.
*Vis.* quæ juſta vel injuſta. 1692. vim injuſtam patienti Deus vim non infert. 1468.
*Vita.* eſt conſervanda. 664. ejus pericula ſunt evitanda. 668.
*Vitium morale.* def. 371. ejus attributa 374. tædiis ſtipatur. 378.
*Vivendi modus hominum communis* quis ſit. Schol. §. 1005.
*Ultio.* ejus modus quousque pateat in bello. 1206. proprio læſi judicio, rationis dictamini & conſcientiæ relinquendus. 1707.
*Unitas entis.* def. 1540.
*Unitas.* perſonarum & virium. 727.
*Voluntas.* def. 166. intellectum præſupponit. 168. ejus diverſa acceptio. 169. absque motivis concipi non poteſt. 174. 583. ab ea ratio ſeparari non poteſt. 205. non poteſt cogi. 206. quo ſenſu coacta dici poſſit. 583. 584. illius perfectio quorſum tendat. 649. ſeqq. ejus perfectio nutui divino & naturæ conveniens. 656. ejus imperfectio. 657. ejus emendatio præſupponit intellectus emendationem. 661. feria quæ dicatur. 337. moralis quæ dicatur. 538. 539. 549.
*Voluntas efficax.* def. 508. tendit ſemper ad fines, & remedia effectui danda, 513. ad removenda impedimenta, fini & remediis contraria, 518. nec non ad arripiendam & ſuſcitandam occaſionem. 528. quorſum ulterius tendat. 522. quæ voluntas efficax non eſt. 514. 418. quamnam rei actuandæ poſſibilitatem præſupponat. 520. ad impoſſibilia actuanda non ſufficit. 521. quamdiu duret. 1513. ei quænam repugnent. 523. ejus gradus unde dijudicandi. 524. 529. ad eam unde concludendum. 529. ad ejus defectum unde concludere liceat. 530. eſt vel efficiens vel inefficiens. Schol. §. 508. cum quonam uſu virium ſit copulata. 545 & Schol. in ſe imputabilis eſt. 586. producitur a cognitione viva. 659.



Digitized by Google

*Voluptas.* def. 131. vera, apparens. 132. apparens eſt mutabilis. 133. vera eſt immutabilis. 134. ejus gradus. 139. ejus origo. 140. cur motivis annumeretur. 172. cur ſæpius in tædium degeneret. 496. imaginaria fugienda. 497. ejus primi ſenſus examinandi. 498. apparens quomodo ſupprimatur. 498 imaginaria quando imputabilis in foro interno. 499.
*Uſuarius.* def. 1553. nihil dominii, nec jus rem vicandi nanciſcitur. 1555. cum domino manet in nexu. 1557.
*Uſufructuarius.* def. 1554. nihil dominii, nec jus vindicandi rem nanciſcitur. 1555. re non aliter frui poteſt, quam ſalva illius ſubſtantia. Conſect. §. 1554. nec re abuti poteſt. ibid. cum proprietario manet in nexu 1557.
*Uſurpatio.* def. 1356. eſt contra Jus N. ibid.
*Uſus rei.* def. 1551. differt à fruitione rei ibid. ab illius abuſu diſtinguendus. ibid. eſt ſervitus perſonalis. 1558.
*Uſus rerum noſtrarum.* quis juſtus vel injuſtus in foro interno. 966. 967. 968. quis juſtus vel injuſtus in foro externo. 965. juſtus in foro interno eſt coactionis impatiens. 967. 968. uſus ejusdem, qui juſtus *eſt* in foro interno, extorſio eſt læſio perfecta. 969.
*Uſusfructus.* eſt ſervitus perſonalis. 1558.
*Vulneratum.* an pro capto haberi poſſit. 1513.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google